


DISCVRSVS PRÆDICABILES

SIVE

VIRIDARIVM SACRARUM CONCIONUM

A DOMINICA IN ALBIS VSQVE AD Dominicam Adventus. ex plantis Sacræ Scripturæ, Doctrina SS. Patrum, aliorumque Auctorum, tam sacrorum quam profanorum ad virtutes & mores plantandos consitum,

OPERA ADM. R. P. M.

AUGUSTINI PAOLETTI, SS. THEOLOGIÆ DOCTORIS EXIMII Ordinis Eremitarum S. August. Provinciæ Senensis Prioris Provincialis, Viri Communis boni promovendi studiosissimi.

Cum indicibus valde necessarijs Auctorum, Argumentorum, Sacræ Scripturæ, rerum memorabilium & Concionum.

OPUS OMNIBUS ANIMARUM PASTORIBUS AC CONCIONATORIBUS SUMME NECESSARIUM.



COLONIÆ Apud JOANNEM BUSÆUM Bibliopolam, sub Monocerote.
ANNO M. DC LXII.
Cum Privilegio Sacræ Cæsareæ Majestatis.

M. Fr. HIPPOLYTUS MONTIUS FINALENSIS, TOTIUS

Ordinis Eremitarum Sancti Augustini Prior generalis licet indignus. Venerabili in Christo Patri sacræ Theologiæ Baccalaureo F. Augustino de Monte alcino ejusdem Ordinis, ac Voti, salutem in Domino.

VT Opus inscriptum *Discorsi predicabili delle Domeniche dalla Pentecoste sino a Quadragesima.* à te elucubratum, & à Patribus, per nos deputatis, recognitum & approbatum, Typis dare possis, harum vi Litterarum, nostrique muneris potestate quantum ad nos attinet, & servatis servandis facultatem impartimur. In Nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. amen. Datum Romæ die 22. Julij 1644. Nostri officij affixo sigillo.

Fr. Hippolytus Montius Generalis S. Augustini.

NOS MAGISTER FR. PETRUS LANFRANCONIUS

Ord. Erem. S. Aug. Vic. Generalis licet indignus.

ELaboratum ac per R. P. Augustinum Paulettum de Monte alcino S. Theologiæ Magistrum elucubratum opus, cui extat Titulus (Discorsi predicabili dalla Domenica in Albis sino à Pentecoste) per nostros examinatores deputatos, maturè discussum, & accurate perpensum, eorum nobis ita suadente relatione, ut ad Concionatorum levamen, ad posterorum utilitatem & ad Dei Sanctorum laudem ut typis mandetur dignum adjudicantes, facultatem necessariam, quoad nos spectat, benigne concedimus, ac in Domino elargimur. Datum Romæ.

Fr. Petrus Lanfrantonius Anconitanus Vic. Generalis.

EGo Magister Fr. Jo. Mattheus Gibertus Venetus de mandato Reverendissimi Patris nostri Vicarij Generalis, unà cum P. M. Antonio Galiardo studiorũ S. Stephani Venetiarũ Regente, & Rever. P. Inquisitoris Generalis Venetiarum, Librorum Revisore exacte legens, Consideravi opus, cui titulus Discorsi predicabili dalla Domenica in Albis sino à Pentecoste, à P. M. Augustino Pauletto de monte Ilcino elaboratum, cumque in eodem nihil sanæ doctrinæ nec morum integritati dissonum, imo quam plura tanto Authore digna ex omnibus divini Verbi præconibus, quam maximè utilia offenderim, dignum censeo, ut excudi possit.

Ego Magister Fr. Io. Mattheus Gibertus Venetus, qui supra, & ego M. Fr. Anton. Galiardus qui supra.

APPROBATIO MULTUM R. P. MAGISTRI NICOLAI PELOSI DE

Campilea Ord. Erem. S. P. Augustini, Regentis studij in conventu S. Stephani Venetijs.

PRæsentes discursus prædicabiles compositi à P. Augustino Paoletti in sacra Theologia Baccalaureo, & ab eodem in nostra Ecclesia S. Stephani per annum magnâ ejus laude, & consolatione spirituali Auditorum declamati, jussu Rever. P. Magist. Hippolyti Montij generalis nostræ Religionis relegi. Partus sunt sane digni tanto Patre celebri in conspicuis Italiæ civitatibus, in quibus cum tanto applausu dixit & dicta corroborat, & nutrit opere, & exemplo, ideo illos judico dignos luce tum ob doctrinam Catholicam quam continent, tum ob pietatem, & conditionem quibus abundant, ita ut devotus lector in devotione & perfectione crescere possit. In quorum fidem &c. In nostro Conventu S. Stephani Venetijs 30. Aug. 1644.

Magister Nicolaus Pelosus à Campilia Regens studij ut supra.

NOS REFORMATORES STUDII PADUANI.

CUm ex Relatione P. Inquisitoris Veneti, & nostri Secretarij constet, discursus prædicabiles P. Mag. Augustini Paoletti nil continere contra sacram fidem nec bonos mores, licentiam damus, ut prælo detur servatis servandis, cum obligatione ut dentur duo exemplaria Bibliothecis publicis Venetiæ & Paduæ. Datum 10. Maij An. 1659.

Leonardus Emo Reformator. Andreas Contarinus. Can. pro Refor. Alemantius Angelus Domini Secretarius.

INDEX

INDEX AVTHORVM, QVI in hoc opere Dominicali continentur.

Fran-

Petrus

FINIS.

IN-

INDEX ARGVMENTORVM

quæ in his concionibus Dominicarum continea ntur.

Dominica in Albis. Argumentum.

SOlus Deus afflictiones è cordibus nostris pellere, ac lætitiam dare potest. Vulnera cur Christus retinuerit.

Dominica secunda post Pascha.

Bonus Prælatus se totum impendere debet etiam cum periculo vitæ pro bono subditorum, & omni diligentia conari debet ut subditos ad pascua salutis deducat.

Dominica tertia post Pascha.

Deus adeo fervens est & diligens ut nec momentum exspectet dum nobis benefacere vult, è contra nos desides sumus in ejus servitio, cum tamen ferventes esse deberemus.

Dominica quarta post Pascha.

Nihil magis nos excitat ad bene operandum quam spes præmii nobis promissi, ideo enim & Apostoli non sunt tristati dum Christus ascendit, & alii maximas difficultates superarunt.

Dominica quinta post Pascha.

Oratio adeò est potens ut ipso Verbo Dei sanguine Christi imò ipso Deo potentior sit, semper impetrat, debet fieri in nomine Christi, & ut oportet.

Festum Ascensionis.

Omnia opera Dei sunt portentosa, sed maximè ejus Ascensio, quia in illa vestigia sua monti Oliveti impressit, & ex affectu quem erga suos habuit illibenter quasi ab eis discessit, quia seipso major in illa esse factus videtur, & Angeli obstupuerunt.

Dominica sexta post Pascha.

Ostenditur contra judæos ex scripturis unitas essentiæ & Trinitas personarum, Messiam, Deum & hominem venisse, legem veterem desiisse.

Dominica Pentecostes.

Spiritus sanctus consolatur personas afflictas, opera imperfecta complet, ac pusillanimes animat.

Dominica Sanctissima Trinitatis.

Mysterium Sanctissimæ Trinitatis declaratur, & ostenditur multos credere illud speculativè, sed non practicè, etiam ostenditur quam utilis sit devotio erga illud.

Dominica infra Octavam Corporis Christi.

Ostenditur excellentia Eucharistiæ, eaque beatitudini comparatur, imo suo modo præfertur.

Dominica Tertia post Pentecosten.

Perseverantia in bonis operibus commendatur, nam sine perseverantia nulla sunt, & quotidie in virtutibus proficiendum est quantumvis aliquis diu vixerit.

Dominica quarta post Pentecosten.

Excessus in quolibet genere ostendutur esse nocivi, hinc suadetur ut necessariis, ac mediocritate contenti simus.

Dominica quinta post Pentecosten.

Concordia Deo est gratissima & nobis utilis.

Dominica sexta post Pentecosten.

Ostenditur quam magna sit Dei misericordia, & quod magis inclinetur ad effectus misericordiæ, quam ad rigorem justitiæ.

Dominica septima post Pentec.

Ostenditur Christianum debere facere bona opera, & qui illa non facit est hypocrita, & à Deo condemnabitur.

Dominica octava post Pentec.

Ostenditur honorem proprium, & famam proximi debere conservare; ille conservandus est actionibus bonis hæc per non propalationem defectuum, sed sub pallio secreti absconsionem.

Dominica

Dominica nona post Pentecosten.

Deus gravius fert injurias suis, quam sibi irrogatas; Primo dum nostris magis compatitur quam suis; secundo dum suas magis tolerat, quam nostras; tertio dum severius nostras castigat, quam suas.

Dominica decima post Pentec.

Ostenditur quàm stupenda sint portenta sanctæ humilitatis, dum humiles exaltat.

Dominica undecima post Pentecosten.

Ostenditur quam utilis sit gratitudo.

Dominica duodecima post Pentecosten.

Ostenditur quam sint Angeli custodes diligentes, vigilantes in nostra custodia, & quanta compassione ducantur, ut nobis succurrant in nostris adversitatibus.

Dominica decima tertia post Pentecosten.

Ostenditur quod peccatores à justis, & sanctis debeant degere separati, quia societas prava est periculosa.

Dominica decima quarta.

Quam nocivæ sint divitiæ, & quod homo possit illas tenere, sed non debeat illis servire, verum multi sunt qui pluris illas æstimant quam Deum.

Dominica decima quinta.

Quam nociva sit curiositas.

Dominica decima sexta.

Avari vilipenduntur, quia sunt insatiabiles, cum enim habeant naturam hydropicorum, qui quo plus bibunt, eò magis acuitur sitis, nunquam dicunt sufficit.

Dominica decima septima.

Malorum est proprietas pallio sanctitatis propria commoda velare.

Dominica decima octava.

Ostenditur eum, qui vult curare animam ab infirmitate peccati, debere tollere radicem occasionis.

Dominica decima nona.

Homines adeò cæci sunt, ut pejora eligant; meliora negligant, temporalia æternis præferant.

Dominica Vigesima.

Quam sit potens exemplum bonum, & malum.

Dominica Vigesima Prima.

Ex Idæa culpæ Deus flagellum pœnæ format, ex originali copia peccati vindictæ imitatur figuram, & juxta gravitatem culpæ, percutit qualitas peccati.

Dominica Vigesima secunda.

Iudices, Advocatos, Procuratores non debere esse injustos, nec partiales, neque debere aliquem in faciem respicere.

Dominica Vigesima tertia.

Quam sit efficax oratio, ac Deo grata, & quod spem nostram in Deo collocare debeamus.

Dominica Vigesima quarta.

Deus antequam castigat primo nos monet per signa, vel ne habeamus causam nos excusandi, vel ut per fugam supplicia evadamus.

Reliquos indices reperies consequenter in fine post materiam.

DOMINICA IN ALBIS
ARGVMENTVM.

Solus Deus afflictiones è cordibus nostris pellere, ac lætitiam dare potest. Vulnera cur Christus retinuerit.

THEMA.

Gavisi sunt Discipuli viso Domino. Uradowali się uczniowie ujrzawszy
Ioannis 20. cap.

1. 
Uodlibet cor afflictionibus turbatum, dum consolationem sperat, aliquo modo recreatur. *Impossibile est diu vivere*; verba sunt Aristotelis, *absque ulla delectatione.* Quis mœror experti nautæ animum non invadit dum à fortuna oppugnatus, ac fluctibus jactatus sese mortis suæ manifestis naufragiis objici colligit! sed dum aëre pacato prope optatum portum se conspicit, frontem exporrigit, omnemque mœstum ab afflictionibus toleratis causatum mittit. *Iactat tempestas navigantes* (ait S. P. Augustinus) *minaturque naufragium, omnes futurâ morte pallescunt, tranquillatur cœlum, & mare, & exultant nimis.* Aberrans viator inter densas noctis tenebras dubiùs ac anxius gressus movet, ubi sit ignorat, quò vadat non videt, cor palpitat, & quidquid sinistri timet, sed dum in vertice montium radios auroræ conspicit, spiritum resumit, ac lætus prosequendo iter cum Origene concludere videtur: *Nihil est delectabile sine luce.* Cùm certissimum sit quod affirmat Isidorus Clarus: cum *Sol orbi apparet, mortales omnes implet jucunditate.* Agricola fessus non minus inter æstus nimios æstatis, quam inter frigus intemperatum hyemis languet, sed dum horreum impletum frumentis, vites botris maturis cernit onustas, gaudet & exultat. Hinc Tibullus cecinit:

Aristote. | S. August. Lib. 8. Confess. Cap. 3. | Orig. in lib. | Isidorus Clarus. | Tom. 1. Orat. 61. | Tibul. 26.

Spes alit Agricolas, spes sulcis credit aratris
Semina, quæ magno fœnere reddat ager.

Si aër turbatus, ac si consolationes nobis invideret, solis conspectum subtrahit, & pluviis tranquillitatem viventium mortificat, omnia languescere, ac plura suspiria quam respirationes pectore trahi videmus, sed si nubibus pulsis, & nimbis cessantibus in illustri cæli theatro se sol pomposus ostendat; illico homines, & flores, feræ & prata gaudio, & risu perfunduntur: sic affirmat Chrysologus: *Quantum post tenebras gratior lux est, serenitas post tempestates obscuras, tantum est acceptivum gaudium post afflictionem.* Partúrientes dolores nemo effertur, sudores è fronte stillantes crudelis mortis funesti præcones sunt, & languidâ voce illud ingemiscere videtur: *dum pario pereo*: verùm vix partum in lucem editum videt, & mox, afflictiones à corde migrant, & serenior color vultum repetit *Mulier cum parit tristitiam habet, cùm autem peperit puerum jam non meminit* pressu-

Divus Petrus Chrysol. serm. 84. | Ioan. 16.

pressura propter gaudium, *quia natus est homo in mundum.* Casus lugubres amaræ passionis, ac mortis Christi quas turbationes pectoribus Apostolorum non intulerunt: *Tristes erant Apostoli de nece sui Domini.* Afflictionibus corda eorum transfixa erant: *Mors Christi*, inquit S. Leo, *Discipulorum corda turbaverat, & de supplicio Crucis, & de emissione spiritus, & de exanimati corporis sepultura gravatis mœstitudine mentibus quidam diffidentiæ torpor obrepserat.* Sed ut resuscitatus Salvator in medio eorum comparuit, *quando stetit in medio eorum*, ut gloriosam humanitatem cicatricibus purpureis micantem viderunt, *dum ostendit eis manus, & latus*, omnis mœror confusus aufugit, ac in mare jubilorum, & gaudiorum migravit: *Gavisi sunt Discipuli viso Domino; quia iste visus*, ut exponit Ludolphus Carthus. *non potuit esse sine maxima lætitia.*

B. Leo serm. de Ascen.

Ludolph. Carthus.

Ex quo deducere licet quod in nostris afflictionibus à nemine nisi à solo Deo solamen, ac levamen exspectare possimus. Vos interim dum Servator dat pacem, & plagas Discipulis monstrat promptas aures præbendo urbanos vos ipsos monstrate.

PARS PRIMA.

Gavisi sunt Discipuli viso Domino.

2. Afflictiones dum imperiosæ dominium invadunt, ac funestæ mœstitiæ vexilla in arce cordis humani explicant, in effectus nimis præcipitatos nos adigunt. Tanta tyrannide hic mœror Turaneum sibi subjecerat, ut is ob unicum dedecus, quod sibi injustum mente conceperat (dum senectutis causa à Cajo Cæsare officio Advocati exueretur) sese vivum humo condi, ac veluti mortuum prudentiâ senili depositâ à famulis lugeri fecerit; Cardinalis Palveus quia Henricum IV. non adeo sibi propitium scivit, dum è tubarum fragore reditum Regis Parisios suspicaretur perculsus adeo fuit, ut nocte insequente confectus mœrore fatis concesserit. Princeps Volseyus, qui malè Angliam gubernarat (dum referentibus sic historicis, tota illa Regio à Deo defecit) ut à Rege Henrico VIII. ad reddendam rationem regni administrati accersitus fuit, sic animo ob illam ignominiam cecidit, ut in morbum inciderit: *In morbum incidit.* Duos Hispaniæ Magnates decretum illud Philippi II. (*Vos in conspectum meum non amplius venite*) ita perculit ut alter mœrore sensim contabuerit, alter stupido, & attonito similis in omnem vitam manserit.

Hist. Gallor. sub annum 1594

Marcellin. de Pise Tom 2. fol. 528. col. 1.

Raphael de Columb. Dominica 1. Quadrag.

Non absimile quid Apostolis dolor, quē ex passione, ac morte Magistri adeò dilecti hauserant inferre poterat: verum ille ut eos solaretur non solùm verbis, sed etiam ostensione cicatricum in latere, pedibus, & manibus remanentium, *ostendit eis manus, & latus*, insuper in propria persona se movet, ad eosque accedit; & en illico ex abysso mœstitiæ ad verticem lætitiæ emerserunt: *Gavisi sunt Discipuli viso Domino;* non secus, ac alter Socrates carcerem horroris in tranquillitatis, ac jubili habitationem mutare potest. *Carcerem intravit Socrates, ignominiam ipsi loco detracturus, neque enim poterat carcer videri, in quo Socrates erat;* sic solus Deus afflictiones è cordibus pellere, gaudia, & jubilos donare potest. Id sacra scriptura evidentibus exemplis mihi suadet.

Drexel. Tom. 1. Lib. 2. cap. 9. §. 1. fol. 129. col. 1.

Mendoza Tom. 1. in cap. 8. Reg. N. 8 Sect. 2. fol. 604. col. 1. N. 7. D.

3. Abraham centenarius, cum ejus uxor Sara esset nonagenaria, ac infœcunda, mœroribus atq; afflictionibus totus mersus infœlicitatem suam, quia filii unius nativitate nomen suum perennare non poterat, conqueri, & deplorare videbatur. Sposponderat illi Deus assiduum se ejus futurum protectorem, nec non omni imaginabili satisfactione se eum quietaturum: *Ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis:* at verò sanctus senex nisi filium obtineret se per totam vitam fore desolatum, adeoq; privationem filii summum sibi fore tormentorum respondebat: dixitq; Abraham: *Domine Deus quid dabis mihi ego vadam absq; liberis*, q. d. Consideratio illa, qua considero oculos me debere claudare in amplexibus mortis absq; eo quod heredes videam spina est cor meum pungens, ac culter animam transfigens: *Ego vadam absq; liberis:* q. d. expositio est Abulensis: *Domine scio quod tu dabis mihi multa, sed quid mihi proderunt, quia filium non habeo, nec relinquam successorem!* vel, ut habet Lyranus: *Ac si dicat parum valebunt ista mihi, ex quo filium non habeo.* Domum ejus votis annuere Deo placuit, & filium ei promisit. *Ex illa dabo tibi filium, cui benedicturus sum; Sara uxor tua pariet tibi filium*, Non multum post Sara execu-tio-

Genes. 17. v. 17.

Genes. 15. v. 2.

Genes. 15. v. 2.

Abulens. & Lyran. ibid.

Lyran Genes. 17. v. 16.

Genes. ubi supra.

tionem divinorum promissorum, quæ paulatim ad perfectionem disponebantur, in utero conspexit: *Implevit Deus, quod locutus est.* Ut partui tempus advenit, eumque in lucem editum intuita est, oculos in cælum conjiciens exclamavit. *Risum mihi fecit Dominus.* Quænam hæc impropria parturientis locutio? potius, filium dedit mihi Dominus dicere debebat. Quid risui cum filio jam nato? forsan quia Isaac (nomen fuit parvuli) interpretatur risus! omnium interpretum sensu Sara jubilum, ac gaudium, quòd ex fœcunditate, & oblatione ignominiæ sterilitati alias annexæ, partuque jam edito hauserat, exprimere voluit: fecit mihi risum, verba sunt Abulensis, id est, *dedit mihi misericordiam exultationis, & risus.* Huic accedit Hugo Cardin. *Risum*, id est, *gaudium.* Nec dissentit Glossa interlinearis sic dicens: *Verba exultationis sunt de collato sibi beneficio.* Agmen claudat S P Ambrosius. *Isaac risus, risus autem insigne lætitiæ est.* En Abrahamum, & Saram præ gaudio vociferantes. Sed prudentiam hujus fæminæ observate, non dicit: risum mihi fecit filius natus, sed Dominus, quia nostrum gaudium à Deo pendet, & ille solus nos recreare potest Hinc D Bernard. *Illud verum est gaudium, quod non de creatura, sed de Creatore concipitur, cui comparata omnis aliunde jucunditas mœror est.* Huic veritati hodiernum Evangelium expressè concinere reperio: *Gavisi sunt ergo Discipuli viso Domino.* Modus artificiosus, ac Logicus loquendi à sacro Evangelista servatus notetur. Tò *ergo* particula illativa, *viso Domino* antecedens, vel causalis, *gavisi sunt*, consequentia: quia eorũ lætitia nulli alteri quam Domino adscribi debet. *Viso Domino*, ergo Discipuli gavisi sunt quia necessitate quodamodo consequẽtiæ lætitia afficitur ineffabili, qui dulcissima dilecti præsentia potitur.

S. Bernardus Epist. 104.

Anton. de Escob. Lib. 9. cap 10. In Ioan. pane 1. Observ 7. num 61. fol. 197.

4 Deus populi sui crudelem tractationem sub jugo diræ servitutis amplius sufferre non valens pietate motus eum eripere, gratiosâ ac optatâ libertate donare decrevit Accersit ergo Moysen eiq; lamenta, ac suspiria miseræ illius gentis ad cælum usque pertigisse, imò & viscera divini sui pectoris penetrasse narrat. *Clamor filiorum Israel venit ad me Vidi afflictionem eorum, quâ ab Ægyptiis opprimuntur.* Idcirco ad Pharaonem te conferas, eiq; hanc meam mentem, ut dimittat populum meum, quia eũ à vilissima, ac indiscretissima fæce Ægypti tam dirè tractari amplius videre nequeo: quare è suo regno eum dimittat, & per desertum (quo eum destinavi) transitũ concedat apertas volo: *Ingredieris tu, & seniores Israel ad Regem Ægypti, & dices ad eum Dominus Deus Hebræorum vocavit nos, ibimus viam trium dierum in solitudinem, ut immolemus Domino Deo nostro.* Hanc Dei voluntatem Moyses Tyrannico regi proponere debuit, uti & fecit. Et dum pluries rex refractaretur, nunc Moysi non credendo, nunc flagella in vili habendo, tandem Deus manum admovit: *Extendam manum meam, & percutiam Ægyptum, post hac dimittet vos*, Domine tot prodigia in bonum populi tui, à te patrata, quia & benignum, ac pium te novi, nec pertinaciam Pharaonis, qui nullũ Numen nisi propriam suam voluntatem agnovit, admiror, nã ideo Moysi, & Pharaoni respondit. *Quid est ut audiam vocem ejus, & dimittam Israel? Nescio Dominũ, & Israel non dimittam* hæc inq. Domine nõ demiror. Verùm curiositate tantummodò ductus, quantum temporis in inculto illo nemore transmiserit, scire desidero Scio vos responsuros 40 annos quadraginta annos? Eja nunc sistite. Cur ergo vult, ut Moyses dicat, *ibimus viam trium dierum?* tres dies à quadraginta annis valdè multũ differunt, & distant. Hinc quidam Auctor: *Cur viam trium dierum appellant, quæ fuit quadraginta annorum, indagat:* ut hanc difficultatem capiamus, admodum, quo populus ex Ægypto discesserit, ac per nemus illud iter illud egerit nos reflectere debemus Sacer textus sic habet: *At illi egressi erant in manu excelsa.* Chaldæus legit: *At illi egressi erant capite discooperto.* Israelitæ capite detecto iter egerunt, ergo iter 40 annorum fuit iter trium dierum. Audacter quis consequentiam inficiari posset; & revera prima fronte paradoxon, ac nullam connexionem inter antecedens, & consequens videtur. Pileatum incedere nobilitatis & magnatum esse signum non nescio Hinc de Græcis Pierius Valerianus hoc effatum tulit: *Ferre pileum apud Græcos indicium Nobilitatis fuit* Et Græci à Turcis patria ejecti dum Venetias confugissent, ut nil nobilitatis omissum ostenderẽt pileati incesserunt. *Venetias confugerunt Græci extorres facti, nobilitatem tamen suam, ac ingenuam, libertatem pilei sui gestatione profitebantur.* Qui fit ergo ut mancipes instar Nobiliũ pileos gestent, libertate vero donati instar mancipiorũ capite detecto incedant?

Exod. 3 v. 9.

Exod. 3. v. 18.

Exod. 3. v. 20.

Exod. 5. v. 2.

Francis. Mendoza Tom. 1 in 1 Reg. c. 1. Sect 3 n 5 Adnot 11.

Exod. 14. v 8.

Chaldæus.

Pier. Val. Lib 40. fol. 420. E

Idem ibid. fol. 421. A.

Præterea pileus libertatis symbolum est; idcirco Imperatores veluti Tyberius, *Idem ibid. D.* Claudius Antoninus, Caracella, & Nerva monetis à se cusis pileum impresserant hoc lemmate subjecto. *Libertas augusta.* Titus Livi. quibusdam mancipiis insequenti *Tit. Liv. 24.* die libertate donandis hæc verba scripsit. *Postero die servi ad pileum vocati.* Nunc an non sit paradoxon quod Hebræi in Ægypto mancipes sint pileati, in deserto verò liberi capite nudato iter agant, videte? *At illi egressi erant capite discooperto.*

Quæso vos morem Hebræorum, & aliarum gentium in Scripturis indagemus. Dum afflictione aliqua gravi torquebantur caput cooperire solebant. Hinc ut fama Davidi retulit Absolonem filium suum in prælio cecidisse, capite obvoluto pectore suspiria, corde lamenta, oculis lacrymas emisit. *Porrò David operuit caput su-* *2. Reg. 19. v. 4.* *um, & clamabat voce magnâ fili mi Absalon, Absalon fili mi.* Aman dum Regio Assueri edicto honorem, ac submissionem Mardochæo maximo suo inimico exhibere compelleretur, domum perrexit, caput velavit, ac inconsolabiles lacrymas emi- *Esth cap. 6 v. 12.* sit. *Aman festinavit ire domum lugens, & operto capite.* Quod sacri scriptores tristitiæ *Carthus. Tirin.* adscribunt. *Obtectum Amanis caput tristitiæ adscribunt. Nunc principale difficultatis punctum* *Celada ib. fol 328. v. 12. col. 2.* *adverte.* Si caput tectum sit signum mœroris, ergo Hebræi in solitudine *capite discooperto* iter agentes denotant tanta se lætitia, gaudio, & jubilo perfusos ut tempus 40. annorum, quod in tam agresti loco transegerunt, non nisi trium dierum spatium censerent. *Ibimus viam trium dierum, & non quadraginta annorum.* Sed unde illis tanta exultatio? non à solo, quia agreste erat, & montanum, non à ferculis delicatis, non à vinis pretiosis cor exhilarantibus, quia Cereris, ac frigidæ inopia laborabant. *Deest panis, non sunt aquæ.* Ego me non falli credo, si hoc gaudium à præsentia Dei, qui nunc cum illis miscebat sermones, nunc illos deducebat, provenisse dixerim. Ille aspectus tanto eos gaudio perfudit, ut labores non experirentur, in via non fatigarentur, sitim flocci facerent, nec famis molestiam curarent: Propositum hoc Lippomannus confirmat inqui- *Lippom.* ens. *Deus se illis videndum præbuit, ut gaudium maximum, ex ejus visione perciperent.* Quid ergo *Ex 24. 11* miri si Discipuli ad conspectum resuscitati Magistri mœrorem mittant, & fronte exporrectâ ex ante passis afflictionibus solamen hauriant, ac jubilis, & gaudiis inundent? *Gavisi sunt Discipuli viso Domino.*

6. Sponsa Cælestis, ut virore collium, venustate florum, auræ flatu animum oblectaret, è civitate ad rus se contulit, ac ut oculos regionum dissitarum magis pasceret, verticem montis Libani in Phœnicia conscendit: sed pro quiete perturbationem animi à belluis ferocissimis illic commorantibus, à quibus lædi poterat, reportavit. *Leones, ac feræ quoque ibi latitabant.* *Mich.* Hinc sponsus ne sponsa discrimine aliquo *Gisl. fol.* involveretur his verbis eam inclamavit. *613. col. 1 C.* *Veni de Libano, Sponsa mea, veni de Libano.* Variis modis hunc textum interpretes ex- *Cant. 4.* planãt. Primus is est. Sponsam intelligunt *v. 4.* animam nostram, vel justum quempiam, *Sponsa est anima Iusti*: Libanum mundum interpretantur. Hinc nonnulli scribunt: *Libanus quippe est mons, ubi crescit myrrha her-* *Idem ibid.* *ba amarissima,* mundi symbolum, qui revera *fol. 631.* non nisi calamitates, & afflictiones propi- *Cap. 1 B.* nat. Leonibus ac pardis Dæmones, qui nos infestant, designantur *De cubilibus Leonum,* *Ibid. fol.* *de montibus Pardorum, Leones, & pardi Dæmo-* *631. D.* *nes sunt, qui apertâ iniquitate sævientes quosdam decipiunt.* Itaque hic anima Christiana tribulationibus mundanis affecta exhibetur. Sed quis inter tot calamitates ei solamen aliquod instillare valeat? Quis animi perturbationibus serenum alicujus lætitiæ misceat? Nonne auditis Sponsum cælestem, qui eam vocat: *Veni de Libano Sponsa mea.* Sed quo lapide Philosophico ferrum mœstitiæ mutabit in aurum lætitiæ? Nullo alio nisi sui aspectum præbendo. Hinc Textus Hebræus pro Tò *Veni de Libano,* *Hebræa.* legit, *mecum à Libano, mecum à Libano Spon-* *Calda.* *sa mea venies, & aspicies* & Chaldæus sub- *Mendoz.* jungit. *mecum habitabis læta.* Agedum hæc *Tom 1.* tria verba jungamus. *Mecum aspicies læta.* & *cap 8 v 8* mysterium percipiemus. Perinde ac si di- *Sect. 2 fol.* ceret. Quod si veneris mecum à Libano, *602 cap.* atque in afflictionibus oculos in me con- *2 N 1. D.* jeceris, si *aspexeris quid fiet? Habitabis mecum læta, & perturbationes tuæ in jubilos, exultationes, ac tripudia migrabunt. Veni ergo ut suble-* *Gisl. ibid.*

veris

veris ab onere, veni ut ab æstu gravium dolorum, & molestiarum recreeris. Successus sacrosancti Evangelii id evidentius demonstret. Quantum ob priora gesta Apostoli conturbati fuerint omnes in comperto habent, sed ad aspectum resuscitati Domini tanta eorum pectora invasit lætitia, ut gaudiis inundarent. *Gavisi sunt Discipuli viso Domino.*

fol. 630. cap. 2. D.

7. Quod ab utero materno nos ipsi calamitates nostras nobiscum efferamus non est dubium: hinc prima vox, quæ à masculis formatur est A. quæ à fæmellis E, quia illi Adamum, hæ Evam, à quibus miseriarum acervum, quo continuo affliguntur, hæreditarunt, incusant. *Masculus statim clamat A plorando casum Adæ, & fœmina E deplorando casum Evæ*: & adversitates originarias personales, & propriæ, quas sua quæque dies fert subsequuntur. Has solus Deus in consolationes mutare potest. A scriptura, quæ veluti magistra digito Spiritus S. veritatem docet, ne abeamus. Nonnullæ graves noxæ contra Deum ac proximũ patratæ dolore quodam vehementi cor Davidis lacessebant, ac concinabant, adeoque lætitiam omnem è pectore abegerant, & prædam tam intensæ afflictionis eum fecerant, ut medium, quo salvari posset non reperiret: hinc suspirans ejulabat: *Cinerem tanquam panem manducabam, & potum meum cum fletu miscebam.* Afflictis & desolatis tantum hæ actiones familiares erant *Erat mos celebris eorum, qui in luctuerant, in pulvere sedere ac cinere*: ac ut afflicto afflictio adderetur duo eum invisunt, quorum alter acriter infamiam, & necem misero Uriæ illatam verberavit, alter supplicium pestilitatis, inediæ, ac belli indixit. Et quodnam pectus quantumvis chalibeũ his incursibus ad resistendum sufficiat! O David tibi compatior, & aliquo medicamine plagas tuarum afflictionum lenire vellem. Audi tu quia es Rex convivio exquisitissimo vina pretiosissima, quæ proferunt vineæ Engaddi, quæ vi recreandi homines pollent posses inferre; vel ex aula ad hortos te confer, ac floribus animum recrea: & si aurum videntem, tangentem, ac magis possidentem delectet, æraria tua ditissima pete, ac coram te gemmas, uniones, torques explicari fac, phonoscos, qui harmonia instrumentorum, & cantu victorias tuas celebrent accersiri cura: Magnates venatione animum curis, ac negotiis turbatum sublevare solent: si Consiliarii munere fungerer, non absimilia his, & ut credo non inaniter, tibi suaderem Sed N. David neminem sibi nisi Deum lætitiam afferre posse didicerat; tunc ad eum recurrere decernit. *Auditui meo dabis gaudium, & lætitiam*: & rursus: *Redde mihi lætitiam salutaris tui*, id est, Jesu tui, ut interpretatur D. Hieronymus, & per hoc sanctus nil aliud, quam à solo Deo sibi solamen, ac gaudium affundi posse monstrare voluit. *Tot dolendi causis calamitosè immersus Propheta nihil ad excutiendam à se tristitiã potentius censet, quam ipsum Deum.* Et quis mœrorem, qui Apostolorum corda occupaverat abigere potuisset, nisi Redemptor redivivus eorum oculis gloriosus: ô quam incredibilis lætitia! ô quam inexplicabilis jubilus subitò eorũ pectora invasit! *Gavisi sunt Discipuli viso Domino.*

Mich. Ayguan. in Psal. 50. fol. 326. col. 1. A.

Psal. 101.

Ioan Solenus in Ps. fol. 2 9. A

Psal 50.

D. Hieron.

Cel. in Ruth. cap. 1. v. 17. §. 82. fol. 157.

8. In stuporem agor dum actiones mysteriosas à Præcursore Domini non solum jam nato, sed & adhuc utero concluso patratas attentius rumino. Audite, & vos ipsi mei dicti arbitri sitis. Deipara associata D. Josepho sponso suo, ut Elisabetham Zachariæ uxorem inviseret domo exivit, & gressu celeri Iudææ montes (quia cælum, quod verum solem continebat lentos gressus figere non poterat) pervolat Hospites gloriosi ad ejus domum pertingunt, ac curialissimè & affabilissimè admittuntur & tractantur, & dum sancti senes sese amantissimè resalutarent, & duæ magnæ mulieres in mutuos amplexus ruerent ac se salutarent: *Intravit Maria in domum Zachariæ, & salutavit Elisabeth*: Filius Ioannes, qui ergastulo sinus materni recludebatur, ac compedibus noxæ originariæ vinciebatur clamando, ac saltãdo affectus lætitiæ inenarrabiles prodebat. *Exultavit infans in utero ejus* O sancte pusio & quis est hic insolitus clamor cum numeres tantum sex menses, nec tempus, quod humana membra perficit, attigeris? quomodo jubilo perfecto ætatem, & annos antevertis? tenera membra necdum matura sunt, & proportionata ut corpus sustentent, & quomodo velut juvenis tripudias, & saltas.

Luc 1 cap.

 Qui-

Quinam sunt hi inauditi, nec unquam visi effectus Præcursoris? stupor augetur dum quantumvis cæteri eo jam nato in gaudia effunderentur *Multi in Nativitate ejus gaudebunt. Venerunt vicini, & cognati ejus, & congratulabantur eis*, & verbo gavisi sunt universi; puerulum tamen hunc risisse, vel unum jubili signum dedisse non legimus, sed solum Scriptura utero matris clausum exultasse commemorat. Quodnam est hoc paradoxon?

9. Ut hunc modum dissolvamus cum Canisio, ac Ruperto Abbate quanto tempore Deipara moras ibidem traxerit, & quando num ante nativitatem Præcursoris, vel post eam discesserit necessario observandum. Et ante nativitatem abiisse respondet *Maria in partu Cognata non adfuit. & tempus natalis Ioannis non exspectavit, sed se maturè subduxit* Quomodo ergo pusio Joannes in lucem editus jubilos edere poterat, cùm jam Deipara Salvatorem secum abduxerat, Joannemque ejus visu, ac præsentia orbarat; sed ut illa Jesum domui maternæ intulit, ac præsentem stitit quantumvis eum videre non posset, tantùm tamen solamen ex ejus præsentia hausit, ut omni mœrore posito in tantam lætitiam actus fuerit, ut sui impotens tripudiaret, clamaret, ac saltaret. *Exultavit infans in utero ejus* Nec abest causa, quia solus Deus veram lætitiam, & consolationem in malis affert. Et hinc ait D. Anselmus: *Ideo exultavit Ioannes, quia senserat adventum Iesu*

Canis Lib. cap.6.

Rupert. Abbas Lect .in Cant.

10. Tres proceres tria capita serto regio redimita cultum Regi Judæorum delatura tendentes, ut Herodes in curiam suam Solimæam appulisse didicit, illico velut mare exæstuans inter undas fluctuantes mille suspicionum agitabatur aculeis. Ergone inquiebat, alius præter me sit Rex in Regno meo? Cælum duos soles nescit Egone sceptro priver? diademate exuar? ergone ille absque replica jussa ferat, qui nutibus meis se attemperare debet? ergone in Judæa ortum credam qui meas glorias obfuscet, qui eminentias meas mortificet! Nautæ prudentis est navem in tutum recipere, si tempestatem prævideat, sed dum re necdum explorata, nec certioribus indiciis habitis me vexo, levitate me duci prodo. Antequam ergo ferro me vindicem rei veritatem eruere volo. Sed quodnam stratagema, quodnam inventum adhibeat audite. Omnes sacerdotum, Scribarum, ac Pharisæorum primos edicto in senatum coram se vocat. *Et congregans omnes Principes sacerdotum, & Scribas sciscitabatur ab eis ubi Christus nasceretur.* Edicite quæso cur tantâ diligentiâ num sit natus indaget? an non Orientis Dinastas viderat? an non ex eorum verbis id audierat? absque dubio, sed assensum præbere non poterat. Unde ut veritatem resciret, sic discurrebat. A sacerdotibus, ac Scribis populi rem ediscam, ac rei veritatem quærendo eorum vultus notabo. Si ergo ad auditum Naturalis & proprii Regis ac Domini nomen eos non trepidare, quin potiùs exultare, & jubilos cordis ingenis diffundi conspexero, certissimè eum natum, vel brevi nasciturum conjecturabo, & quid deinceps opus sit deliberabo. Videte astum hujus perfidi Regis. Non solùm Nativitatem Regis, sed & indicia jubili, & lætitiæ sufficientia esse motiva, & testimonia sciebat. Id ex eo, quod Deo nostro proprium est, corda scilicet anxietate obscurata illustrare, ac vultus afflictionibus, & turbationibus contractos explicare, deducebat. Hos cogitatus Herodis D. Paschasius penetravit. *Sciscitatur*, inquit, *ab eis, ut cautus exploraret si Rex eorum ex lege promissus tristes, gaudentesve efficeret* Et modernorum nonnemo subjungit. *Si tristantur Iudæi* (verba ait esse Herodis) *ergo natus non est, nec exspectatur nasciturus ab hisce subditis meis. Si lætantur signum evidens est, aut natum esse, aut anxiè exspectari nasciturum* Si ergo Herodes ex vultu sereno Judæorum Nativitatem Regis eorum concludat, ego ex apparitione Christi redivivi jubilum maximum in Discipulis dum Christum conspiciunt, redundasse, deduco. *Gavisi sunt Discipuli viso Domino.*

Matth.2.

D. Paschasius Lib. in Matth.

Anton. de Escobar in cap.20. Ioan Lib. 9 sect.1. Observ.7. fol.197. Num.64.

11. Tres illos juvenes fornacis Babiloniæ quomodo inter flammas degebant, *& ignis eos non contristavit*? imo quomodo exultantes uno ore laudabant, glorificabant, & benedicebant Deum? causa est quia quartum scilicet filium Dei sibi adesse videbant. Idcirco Nabuchodonosor dixit: *Ecce video quatuor viros solutos, & specie*

Daniel.3.

Rupert. Abb. ibid. *cies quarti similis filio Dei.* Hinc Abbas Rupertus. *Nonne filius Dei & in flammis, & in cæteris agonibus semper præsens fuit? ideo inter flammas gaudio affluebant.*

12. Mors, quæ ex se est amara. Quam amara est memoria tua, & quæ est ultimum terribilium, verumtamen teste Davide servis Dei suavis, ac dulcis est, & dum à Tyrannis iis offertur jubilando, lætando eam exspectant: aliam hujus rei causam non offert S. Cyprianus nisi quod filius Dei eorum, oculis sese subjiciat, vel Psalm. 115. quòd mente eum volvant. *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus*, quia sciunt quod in oculis præsentis Domini dimicent. S. Cyprianus Epist. 9.

13. Sanctus ille, & decrepitus Simeon animam emittere, & vitam in manibus mortis consignare summopere flagrabat, idcirco dum ulnis pusionem JESUM gestat, cælum rogat, ut nexum, qui spiritum spolio mortali nectit, dissolvat, ac suspiriis, accensisque desideriis, clamat: *Nunc* Luc. 2. *dimittis servum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace*: Nec aliam hujusce causam assignare potest, *nisi quia viderunt oculi mei salutare tuum*. Audi Stellam: *Iam,* in Didac. Stella ibid. fol 181. colum. 2. quit, *causam tanti gaudii reddit*, causa autem est, *quia viderunt oculi mei salutare tuum.*

14. Moyses, & Aaron stipati, aliis multis montem Sinæ ad orandum Deum subierunt, & ut ad ejus cacumen pertigerunt, Exod. 24. ait Sacer textus quod comederunt, & biberunt. Sed si Dominum rogaturi ascendant, quomodo se dant crapulæ? Para- Paraphr. Chald. phrasis Chaldaica, ait, eos nec comedisse, nec bibisse, sed cor eorum tanto jubilo repletum fuisse ac si inter epulas, & nuptias saltarent, & tripudiarent. *Et gavisi sunt quasi comedissent, & bibissent.* Et unde illis hic jubilus? Sacer textus, expresse causam allegat. *Videruntque Deum.* Et Lippomannus: Aloys Lip pom. ibid. *Sic Deus se illis videndum præbuit ut gaudium maximum in illius visione perciperent.*

15. Anna Prophetissa Elcanæ uxor plures annos desolata, ac afflicta, quia infæcunda nec unicum filium à cælo impe- 1. Reg. cap. 1. trare poterat: *Et Dominus concluserat vulvam ejus.* Verùm Deus ejus precibus annuens, ac sterilitatem attendens filio eam magno nempe Vate Samuele solari ac lætificare resolvit. Hinc altissimo grates referens dixit: *Exultavit cor meum in Domino & exaltatum est cor meum in Deo meo,* ac de- 1. Reg. 2. cap. in subdit. *Lætata sum in salutari tuo.* Tripudiat hæc Domina, nec alium sui tripudii Auctorem nisi Deum agnoscit. *Exultavit cor meum* (non in filio) *sed in Domino*: Et acceptâ gratiâ verba do Chrysostomi, *magis de Deo datore gaudebat.* S. Chrysost. homil. de Anna.

16. Pastoribus sub mediam noctem gregi invigilantibus Angelus ex cælo Empireo fælix nuntium nati Messiæ annuntiat. *Evangelizo vobis gaudium magnum.* Et in quo tantum gaudium consistit? *Quia natus est vobis hodie Salvator mundi, qui est Christus Dominus.* Luc. 2. Et quid, ut tanti gaudii participes fiant ii, agendum? Ad stabulum pergite, & vultum illius considerate, qui Paradisum recreat, & corda vestra exilient, & facies vestræ jubilabunt. *Unus Iesus*, ait Beza, *universos populos valet suffundere gaudiis, unus Iesus mœstitudinis radices evellit, unus veram lætitiam tradit.* Didac. Bez. Tom. 1. in Evang. cap. 5. Lib. 5. §. 10.

17. Edicite ô S. Apostoli quis vestras angustias in gaudia, vestras afflictiones in solatia, vestros mœrores in jubilos mutavit? scio eos, qui redivivum ac gloriosum Redemptorem viderunt, responsuros. *Gavisi sumus viso Domino.* Dicito mihi, ô Christiane! adversitatibus hujus orbis involveris? animum nonnullis adversitatibus habes turbatum? Cor tuum vel mœrore replevit egestas, vel in lectum dejecit adversa valetudo, nec quietem concedit? Sanctos Apostolos imitare, oculos tuos in Dominum tuum conjice, manibus Crucifixum Redemptorem arripe, mirare & contemplare membra ejus lacerta transfixa; & spiritui recreando, vultui exhilarando, cordi delectando opportunum erit medium: *Quia gavisi sunt Discipuli viso Domino.* Atque hic nonnihil respiremus.

ALTERA

ALTERA PARS.

OStendit latus, & manus, ait sacer Textus, ac dein consequentiam format: Gavisi sunt ergo Discipuli, ac si illorum lætitiæ effectus nulla ab alia causa, nisi immediatè à solo conspectu sacrorum vulnerum Magistri sui productus fuisset. *Quia necessitate quodammodo consequentiæ lætitia afficitur ineffabili, qui dulcissimâ dilecti præsentiâ potitur.* Vulnera Christi rosæ erant vernantes, quæ in florido vere Resurrectionis sunt ortæ, ac quæ in horto humanitatis ejus floruerunt, rosæ cruore purpureæ. *Revera quinque rosis purpureis vulnera Christi assimilari possunt. Rosa teste Plinio adversus ægritudines multas remedium est.* Odor ejus cerebrum confortat, in pulverem contusa sanguinem sistit, insuper virtutem habet spiritum ægri corroborandi, & recreandi Non absimiliter rosæ vernantes quinque cicatricum operantur. Experientia id probemus. Servator Discipulos mœrori immersos videns confortativum, cordiale ex rosis suorum vulnerum conficit, confortativum sumendum porrigit & applicat, dum eis ostendit latus, & manus, quibus ostensis ipso statim momento, omni mœrore pulso gaudent, & exultant: Gavisi sunt Discipuli viso Domino. *Magna quinque rosarum vis ad interiores animi morbos curandos præpotens.* Curiosis devotis cur Christus cicatrices in corpore reservaverit plures causas adferre possem. Modo tamen non nisi paucas adducam.

Anton. de Escob. Tom. 3. in cap. 10. Ioan Lib. 9 Sect 1. Observ 7. num. 61. Franciſc. Oſſunenſ. in Opuſc. de 5 plagis Christi cap. 21. fol. 179.

19. *Ostendit latus, & manus* Rex Arabum dum vulnera, quæ ob suorum amorem ac defensionem retulit, ostendit, tantum valuit, ut quilibet eadem loca in proprio corpore sauciaret, *in argumentum reciproci amoris infligebant sibi vulnera similia* Cicatrices Apostolis detexit ut vices amoris redderent, ac fidem propagaturi ferro lictorum caput, corpus, ac membra exponere non metuerent.

Athenæus Lib. 6. cap. 6.

20. *Ostendit latus, & manus.* Alphonsus Lusitanorum Rex ut in prælio fortiter pro fide Christi contra Mauros gesto quinque cicatrices accepit, ex iis regno suo magnam gloriam obventuram autumans eas in symbolum delegit, ac literis argenteis eas insigniis suis, ut ab omnibus conspici possent, incidit Noster Servator cum Hebræis congreditur, *filii Matris meæ pugnaverunt contra me*, & dum in campo argenteo suæ candidæ, & innocentis humanitatis. Quinque vulnera retulit ad majorem gloriam ea Discipulis monstrat. *Videte manus meas, & pedes meos.*

Valer. Max. M[illegible] chael A[illegible] guani in Psal 50 num. 8 [illegible] fol 326 col. 1.

21. *Ostendit latus, & manus* Ut quam sint gloriosæ hæ plagæ, & quanta gloria ab iis in manus, pedes, cor, ac totam humanitatem ejus derivetur demonstraret. Id ex doctrina Theologica Joannis Evangelistæ deduco. Hic postquam de æterna generatione verbi tractarat dicendo: *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum;* Discursum de generatione temporali Christi, ejusque conditionibus, & qualitatibus subjungit dicens: *Et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti à Patre.* Hic de qua gloria fit sermo, qualis sit gloria, quam viderunt Apostoli scire velim. Multi gloriam illam, quæ in vultum, ac vestes sese diffudit, *quando resplenduit facies ejus sicut sol*, intelligi volunt. Sed Rupertus Abbas per istam gloriam quinque plagas lancea, & clavis incisas intelligit, adeoque docet vulnera illa fuisse gemmas pretiosas, uniones inæstimabiles, quæ corpori Salvatoris non ignominiam, sed gloriam attulerint. *Vidimus gloriam ejus Vidimus in manibus & pedibus ejus fixuram clavorum, vidimus, inquam, & inspeximus, palpavimus, & manus nostræ contrectaverunt latus ejus lanceâ confixum.* Hæc Rupertus, ac si ostensione plagarum Discipulos beatificare & glorificare voluisset.

Ioan. 1.

Psalm.

Ioan. [illegible] ter Lib de Insu Frisia fol 48

Rupert. Abb Lib 1. ibid.

22. *Ostendit latus, & manus*: ut desiderio Thomæ, qui velut infidelis, dixit, nisi videro, & tetigero, & mittam manum meam in latus ejus non credam, satisfaceret. Huic simile Alexandro contigit: hunc inter limites Macedoniæ ac Persiæ quadam vice constitutum in terram procubuisse, & brachiis extensis manu dextrâ Macedoniæ, sinistrâ Persiæ limites complectendo, *& hæc, & hæc mea sunt dixisse legimus*, quo facto utriusque Provinciæ possessionem accepit. Thomas in incredulitatem lapsus, ad humanitatem ac divinitatem manus extendit; quasi diceret: Et hæc, & hæc mea sunt: id est, & divinitas, & hu-

Ioan. 20.

Psal.

D. A[illegible] brosi[illegible] de Isa[illegible]

& humanitas mea est: *Dominus meus, & Deus meus.*

Valer. Max. Michael Aiguani in Psal 50. num. 847 fol 326. col. 1.

23. *Ostendit manus & latus* Valerius Maximus Romanos postquam Philippum Macedoniæ Regem Græciâ exturbassent, ac sibi libertatem recuperassent, tanto gaudio perfusos fuisse, ut aërem clamoribus replerent, recenset; his adeo sunt aves perculsæ, ut in terram velut mortuæ ceciderint, *tantâ alacritate clamoris gaudio cælum repleverunt, ut aves, quæ desuper volabant paventes deciderint.* Thomas a vociferationibus turbarum clamantium, *Crucifige, crucifige,* quas paucis ante diebus audierat, extra se actus, dum cum pluribus aliis, *qui relicto eo fugerunt,* procul a Domino suo discessisset in infidelitatem est lapsus: nisi videro, & tetigero, & mittam manum meam in latus ejus non credam: sed gratiosus Magister eum erexit, dum *ostendit latus & manus,* dicens: *Infer digitum tuum huc, mitte manum tuam in latus meum* Et hic vaticinium illud verificatum est *Homo cum ceciderit non collidetur, quia Dominus supponit manum suam.*

Ioan. 1.

Psalm.

24. *Ostendit latus, & manus.* Risu reverâ certum genus piscium in vicinis Frisiæ Insulis Schellingia, & Amelaudia capiendi, excipienda est. Hi pisces in vere aërem hausturi prope littus emergere solent. Piscator insolito modo se vestit (quo nostrum ævum, dum mundus ad non plus ultra dementiarum attigit, se vestit) ad littus itaque piscator ille se confert, saltat, tripudiat, & choros agit. Pisces ergo innatâ curiositate ducti ad littus natant, illisque gesticulationibus, ac saltibus se delectari ostendunt: interim piscatores retia expandunt, & dum personatui larvam subito deponit pisces eum hominem esse agnoscunt, & si repellantur non fugiunt, sed in retia aguntur, ac piscatorum præda fiunt. Mare mundus est: *Hoc mare magnum:* Homines sunt pisces: *Facies hominis velut pisces Maris.* Piscator est Deus: *Habitu inventus ut homo formam servi accipiens,* è cælo ad virginalem B. Mariæ uterum exiliit, ex utero venit in mundum, ut dicit S. Ambrosius: *Saltu quodam venit in mundum, apud Patrem erat, in Virginem venit; ex Virgine in præsepe transilivit, descendit in Iordanem, ascendit in crucem, descendit in tumulum,*

Ioan. Boter Lib. de Insulis Frisiæ fol 482.

Rupert. Abb Lib. 1. ibid.

Ioan. 20.

Psal. 103.

D. Ambros Lib de Isaac &

& sedet ad Patris dexteram: Et quamvis non jocetur prodigia tamen patrat; unde factum est, ut nonnulli curiositate, alii & maximè Discipuli devotione moti eum sequerentur, *& sequebatur eum multitudo copiosa,* sed subito larvâ depositâ se manifestavit in cænaculo: *Videte manus meas, & pedes meos, quia Ego ipse sum:* Et ecce Thomas in particulari fugit: *Non erat cum eis,* quando venit Jesus, & sulcando suæ infidelitatis mare dicebat; *nisi videro, & tetigero, non credam:* sed en rectè humanitatis expanditur personatum quinque plagis, inter digitum tuum huc, mitte manum tuam in latus meum, & statim fit præda Salvatoris: *Dominus meus, & Deus meus.*

anima fol. 219.

25. *Ostendit manus & latus.* Isaac cæcutiens & moriens anxiùs hærebat, nec uter fratrum Jacob vel Esau sibi præsens esset cognoscere poterat, idcirco accederet, jussit, ut tactu dubium elidere posset. *Accede fili mi, ut tangam te:* nec hoc medio dubietatem sustulit, sed perplexus dixit: *Vox quidem, vox Iacob est, manus autem manus sunt Esau.* Verùm Thomas attactu vulnerum omnem animo pepulit ambiguitatem, & humanitatem, & divinitatem agnovit: *Dominus meus, & Deus meus,* adeoque cum Davide canere potuit. *Deum exquisivi manibus meis, & non sum deceptus* Hinc os aureum: *Palpavit Thomas Iesum, & non est deceptus, vidit palpans & cæcus esse desiit.*

Genes. 27. cap.

Psalm. 76

S. Chrysost. homil. de Trinit. Tom. 3.

26. *Ostendit manus, & latus.* Cui? Apostolo infideli binonimo: vocabatur enim Didimus, & Thomas. Primum nomen dubitantem, quia Resurrectionem Christi in dubium vertebat, denotat, alterum abyssum significat: quo innuere voluit Thomam ex dubioso, ac incredulo in abyssum scientiæ, quæ nullum dubium admittit, mutatum: hinc humanitatem à divinitate distinxit, ac in personalitate Magistri divinitatem, ac humanitatem subsistere ac adæquatè quidditatem servatoris, nempè quod Deus sit, & homo, definivit: *Dominus meus & Deus meus. Vnde hoc,* quærit S. Bernardus, *reportatum est oraculum nisi ex foraminibus petræ? bona foramina, quæ fidem astruunt Resurrectionis, & Christi divinitatem.*

S. Bernardus serm. 61 in Cantic.

27. *Ostendit manus, & latus* Corpatulum, ac manus terebratas monstravit. Si consideretur actio, objectum quidem est rigo-

rigoris, sed amoris si ad passionem referatur. Idcirco nonnulli quærunt num rigor amore, vel amor rigore potentius peccatorem flectendi, ut peccato relicto, vitam emendet, remedium sit. Methodium monachum pictorem celeberrimum rigorem adhibuisse ut Bogarum Bulgarorum Principem ad fidem converteret scio. Christum namque in forma judicis vultu horrendum, irâ exæstuantem, dexterâ in reos suppplicia fulminantem Cacodæmones formâ horrendâ peccatores terrentes, terram ore hiante flammas fumantes ac favillantes eructantem depinxit, & præfato Principi exhibuit. Quâ visâ picturâ tantus Duci terror incussus fuit, ut statim fidem accesserit. *Terribilis hac pictura Ducem Bogorim sic perculit, ut Christo nomen dederit, insanis Gentilium ritibus abjuratis.* Sed filius Dei à morte ad vitam gloriosam ac immortalitatem reversus, Thomam ut infidelitate rejectâ fidem arriperet ostensione plagarum (quæ signum sunt amoris) *his plagatus sum in domo eorum, qui me diligebant, amore aggressus est.* Pictura hæc erat penicillo clavorum, ac lanceæ non alio colore quam sanguinis in charta humanitatis depicta: hinc ad ejus visum, & tactum invitatus Thomas, *infer digitum tuum huc,* non terretur, sed animum resumit, ac ex infidelitate ad fidem convertitur. *Dominus meus, & Deus meus.* Unde Gregorius Emissenus: *Quid est Dominus meus, & Deus meus? id est, jam nihil dubito, certus sum confirmo Resurrectionem, prædico immortalitatem, Tu es Dominus, Magister meus, Rex meus, Ego servus tuus. Tu es Deus meus, quia creasti me, pro me carnem suscepisti, quam ut me redimeres morti tradidisti, & ut me tecum resuscitares hodie à mortuis resurrexisti. Hæc est fides mea, ita sentio, ita credo.*

Georg. Cedren. in Compend. histor. fol. 559. cap. 2

Isai.

D Gregor. Emiss. Domin. 1. post Pascha.

28. *Ostendit ejus manus, & latus.* Thomâ converso, ac Discipulis exhilaratis, etiam cælo, ut illud exhilararet, intulit vulnera. N. Id quod D. Petrus Collegii Apostolici Princeps tractans de spiritibus beatis, *in quem desiderant Angeli prospicere* scripto reliquit in mentem reducite. Ergone Angeli desiderant? *desiderium est de eo, quod non habetur,* ergo si vident Deum quicquid est desiderabile habent: hinc si desiderent objecto desiderato carent, & tamen de ratione fruitionis seu beatitudinis est quod voluntas beatorum quiescat, & quomodo quietetur dum videre, ac possidere illud, quo caret, cupit? in Deo est omne bonum, si ergo vident Deum cognitione intuitivâ, & sicuti est, ergo omne objectum visibile, quod eorum statui debetur conspiciunt, ac omne bonum desiderabile possident. Beda Tò quem ad humanitatem Christi quinque plagis in corde, manibus ac pedibus sauciatam referri autumat. Et dum ante ascensum Christi in cælos ejus contemplatione privati erant, se nec totaliter beatos, nec perfectè gloriosos censebant, quinimo velut ultimum complementum beatitudinis accidentalis intuitum rubeorum, ac gloriosorum vulnernm avebant. *In quem desiderant Angeli prospicere. Constat profectò,* ait Beda, *quod tanta, qui pro nobis passus est, Iesu Christi posterior gloria successit, ut etiam Angelica in cælo virtutes, cùm sint æternâ fælicitate perfecta, non solùm immutabilem Deitatis magnificentiam, sed & assumpta ejus humanitatis claritatem semper aspicere gaudeant.* Ex quo inferre licet quod dum Christus sua vulnera conspicienda præbuit, non solùm Apostolis in cœnaculo, sed & Angelis in cælo solatio fuerit, & recrearit, & quod non minus Ecclesia triumphans in cælo, quem militans in terra exultarit, jubilarit, ac tripudiarit. *Gavisi sunt Discipuli viso Domino*

Beda.

29. Sed non videtis, ô animæ peccatrices Christum, & nobis suas cruentas manus, & plagas ostentare, ut eosdem, quos in S. Thoma effectus producat. Si ergo ille tactu ipsius ex infideli in fidelē migravit, nos qui sumus peccatores, & consecutivè hostes Dei peccatis valedicere, ac in amicos, & servos Dei mutari debemus. Omnes Redemptoris sacrosanctas plagas videtis, & contemplamini: Videte manus meas, & pedes meos; vestri causa lubens hæc vulnera excepi, vestri ergò, qui amore mei nec verbum injuriosum, nec aspectum torvum ferre vultis: vestri ergò, quibus dolore minimo capitis torqueri res est ardua, ac difficilis, vestri ergo, qui, si ita dici libeat ad muscæ morsum in bilem agimini. Huc adsis, ô peccator, *infer digitum tuum huc,* amore tui crucem denuò sum subire paratus, si carnificem

cem amorosum agere velis, digiti tui sint clavi, & cor tuum lancea, *mitte manum tuam in latus meum.* Et quid à te tuus Servator postulat? non opes, non vitam, non sudores, solâ fidelitate contentatur. Noli esse incredulus, sed fidelis, & vade in pace.

DOMINICA SECUNDA POST PASCHA.

Ego sum Pastor bonus, bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis. Joan. 10. cap.

ARGUMENTUM.

Bonus prælatus se totum impendere debet etiam cum periculo vitæ pro bono subditorum, & omni diligentia conari debet ut subditos ad pascua salutis deducat.

1. On est verus pastor, qui boni pastoris conditionibus caret. Et nihilo secius quilibet curam gregis ambit quamvis nec unam circumstantiam ad gregem custodiendum habeat. Ab antiquis solus Jupiter sine capite depingebatur, ut eum superiorem omnibus, ac neminem Jove superiorem demonstrarent. Sed quot hodie non scientes se carere capite, & tamen eo carentes caput multorum esse præsumunt? id inde, quia legis sic ordinantis notitiâ carent, provenit *Pastor non pretio, sed precibus assumatur. Tantum ab ambitu debet esse sepositus*, ut quæratur *cogendus, rogatus recedat, invitatus aufugiat, & sola illi refragetur necessitas.* Et dein, dum juxta votum feliciter res non procedit; dignitas occupatur vi, ac fraudibus, non secus, ac Camarus Saracenus regnum Persiæ, ac Richardus Tertius Angliam sic perhibentibus Historicis invaserunt. Hunc errorem hac prohibitione: *Nemo assumit sibi honorem, nisi qui vocatur à Deo tanquam Aaron.* Apostolus eliminare voluit. Et qui huic doctrinæ contradicit bonus Pastor non est: sunt tamen, qui ad regimen licitè electi sunt; sed passionibus præventi, nec ratione aliquâ, nisi proprio capite ducti usurpantes illud dictum: *Sic volo, sic jubeo,* & licitum facientes, quidquid propriæ arriserit voluntati, non minus, quam in Heliogabalo, Nerone, ac Tiranno Siracusano illud vetus verbum, *stat pro ratione voluntas* verificari demonstrant. Qui his infundatis conceptibus adhæret, non est bonus Pastor. Multi nil aliud, nisi ut titulo superioris decorari reditibus fruantur, ac oves dilanient spectant. De his, qui postea curam, ac onus in alios transferunt sic, S. P. Augustinus: *Ob honorem aut lucrum temporale aliis præsunt effatur.* Hi ut mercenarii ejici, & non titulo pastoris decorari merentur, cùm astruat Divus Gregorius *In hujus mundi necessitatis occasione, cognoscitur an quis sit Pastor, an mercenarius,* dum ostendit, *quod non pertinet ad eum de ovibus; præesse enim volunt, sed non prodesse*, vel, ut ait Divus Basilius: *Non omnibus, sed sibi prodesse cupiunt.* Non sic duo Thomæ pastores Ecclesiæ, alter Cantuariensis, alter Villanovanus, quorum ille vitam exponens pro suis: *Ego pro Ecclesia Dei libenter mortem subibo.* Sic ad lupos satellites: *Vos jussu Dei cavete ne cuipiam meorum noceatis* alloquens, alter sciens, *quod ille non præest, qui non prodest* erogando in pauperes sui gregis, mensæ Episcopalis reditus, nec sibi lectum ubi moribundus quiesceret me-

L. si quemquam cod. de Episc. L. contra cod. de re milit. Io. Bat. Pasta in Histor. Persic. fol. 9. Io. Fransc. Blondus tit. 3. de bello Livit. Anglia. Lib. 8. Ad Hebr. 5.

D. P. Augustin. D. Greg. 14. hom. in Evang. D. Basil. Orat. de S. Mamante. In Breviario Rom.

memor documenti à Divo Bernardo Eugenio Tertio: *Præfis ut profis dati egerunt.* Hi pastores, quibus jussu Dei Vates sic est minatus: *Væ pastores Israel, qui pascebant semetipsos, non fuerunt.*

D. Bern. Ezech. 34 Vers. 2.

2. Sed qui nomine boni pastoris vult gloriari, ad minus Evangelico pastori se in duabus qualitatibus conformare studeat.

Prima est, si ita necessitas requirat etiam cum periculo vitæ gregi succurrere studeat. *Animam suam dat pro ovibus suis.* Joan. 10.

Secunda, ut omni industriâ oves ad pascua salutis minare conetur: *Et illas oportet me adducere.* Et tunc jure, *Ego sum Pastor bonus,* dicere poterit. Sed jam oves vocem pastoris audire: *Vocem meam audiunt,* observastis. Vos ergo dum estis è grege Christi verbo Dei devotione, ac silentio attendite.

PARS PRIMA.

Bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis. Joan. 10.

3. NOn absque causâ Pastori titulus bonitatis datur, cùm bonum non sistat in seipso, sed dicat ordinem ad alterum, ad quem se diffundit, juxta Philosophorum axioma irrefragabile. *Bonum est suiipsius diffusivum.* Ergo consequenter reditus suos in subditos egenos elargiatur, sanguinem effundat, & si id necessitas requirat vitæ propriæ non parcat. Apis, quæ liquores ex uberibus florum vernantium sugit, mel quod in bonum aliorum cedit; *Vt prosit,* conficit. Mutius Columna dum Ecclesiæ exercitui præesset, ut sub signis suis militantibus se nulli labori pepercisse, & libentissimè pro suis vitam se dedisse persuaderet, manum armatam hoc Lemmate subjecto: *Agere, & pati fortia Romanum est,* erexit. Ergo superior pro bono subditorum non solum rem arduam, sed & periculosam aggrediatur. Alfonsus Nonus, sceptro, ac diademate Hispaniæ donatus, ut modum regendi ostenderet, Pelicanum pro symbolo, qui lacerando proprium pectus, pullos suo sanguine villæ restituit hoc addito: *Pro grege,* ac si diceret pro meis subditis sanguinem effundere sum paratus, elegit. Hos animos generosos similiter expressit Otto Imperator dum coronâ imperiali redimitus aulicis sibi assistentibus dixit: *Faciam ut omnes intelligant quem Imperatorem elegeritis, qui non vos pro se, sed se pro vobis dedit.* Sanctus Pastor, ac Præsul Nolanus Paulinus: *Servile jugum obiit oviculæ unius causâ libertatis:* O quam diligens conditionum in bono pastore requisitarum observator fuit! nempe bonus Pastor animam suam dat (*id est,* verba sunt Divi Thomæ, *vitam corporalem*) dum vitam propriam ut oviculam è Barbarorum lupis magis crudelium manibus eriperet; impendit?

Boet. & D. Thom. p. 1 q. 5. art. 4. ad 2

Xiphil. Cornel. Tacitus. D. Thom. ibid fol. 59. col. 4. Lect. 3. F.

4. N. id quod usque huc breviter docui non substiturum, nisi basi Scripturæ inniteretur crediderim. Deus Moysen amandat ad Pharaonem, ut ei legationem maximi momenti concernentem liberationem populi Israëlitici aperiat. *Veni mittam te ad Pharaonem ut educas populum meum Israel de Ægypto.* Verum Moyses ineptitudinis suæ conscius post multas excusationes, & replicas nolens Deo reluctari, tantummodo quid genti interroganti à quo ablegatus sit respondere debeat, quæsivit: *Si dixerint mihi quod est nomen ejus? quid dicam eis.* Et Deus, hæc præcisè verba: *Ego sum, qui sum* illis dices, replicat est adhuc, quod ego sim *Dominus Deus Patrum vestrorum, Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob misit me ad vos,* illis significabis. Hic subintrat Rupertus Abbas, & cur Deus de nomine suo interrogatus duas definitiones, primam, quæ verè essentiam, ac quidditatem Dei explicat, nempe: *Ego sum, qui sum,* ac alteram, *Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob* assignet, inquirit. Secundum Logicos unius rei esse unicam definitionem, non nescio. Deus est immultiplicabilis, & ita unus, ut major unitas reperiri nequeat Cur ergo Deus duas suiipsius definitiones profert? *Cur Dominus de uno tantum nomine interrogatus duo suggessit.* Verba sunt Ruperti Abbatis, *& ad unam percunctationem duo reddidit?* Si Deus teste Divo Hilario sic dicente: *Non aliud magis proprium Deo, quam esse intelligitur,* cur subjunxit: *Deus Patrum vestrorum, Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob misit me ad vos?* Hæc particula mihi superflua, ac contra regulas bonæ ac veræ definitionis, quæ

Exod. 3. num 10. Ibidem num 13. Ibidem num. 15. Rupert. Abb. ibid. D. Hilar. lib. 1. de Trinit.

quæ nec superflua, nec diminuta esse debet militare videtur. Ego postquam Deus suam essentiam Moysi illis verbis: *Ego sum, qui sum* aperuit, eidem etiam, *quia operari sequitur adesse,* notitiam operationum suarum ad extra communicare voluisse crediderim. Illis ergo verbis: *Ego sum Deus Patrum vestrorum* inferre voluit: O Moyses ab illo te ablegatum dicas, qui se beneficum erga suos, eos creando, conservando, iisdem providendo, ac omnia bona fortunæ, & gratiæ largiendo, atque eos ab omni malo liberando gloriatur. *Deus Patrum vestrorum*, ac singulariter Abrahami, Isaaci, & Jacobi, qui mille benedictionibus à me sunt ditati: *In semine tuo* (*Gen num. 14.*) *benedicentur omnes gentes, & Abrahæ dictæ sunt* (*Ad Galat. 3.16.*) *repromissiones, & semini ejus* Dicens ergo: *Ego sum, qui sum*, se non esse propter se solum, sed & propter suos, veluti Abrahamum, Isaacum, & Jacobum, ac omnes alios inferre voluit. *Ac si dixerit*, inquit Velasques, *sic equidem sum, qui sum, ut non mihi, sed meis servis sim, qui ad benefaciendum & bene merendum de illis totus sum.* (*Ioan. Ant. Velasq. in Psal. 100. Lib. 3. ad nu. 4 fol. 226 col. 2 C. D.*) Ac idcirco charissimum sibi gregem gentem Israeliticam lupis voracibus in Ægypto, imò Pharaoni luporum ferocissimo subtrahere studuit. *Ego sum, qui sum, Deus Patrum vestrorum, Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob, quia non sibi solum, sed suis est.* Et sicut opinatur Clemens Alexandrinus: *Deus cùm sit bonus, si cessasset unquam benefacere, Deus quidem cessabit esse, quod nefas quidem est dicere.* (*Clem. Alexan. Lib. 6. Strom.*) Sed cur, beneficentiam Dei erga omnes cum ea sit evidentior lumine solis, ac calore ignis, vobis demonstravi? hominibus, ac maximè superioribus, ac Prælatis, qui omnes non suos, sed se spectant, id benè demonstratur. Nihilosecius Jacobum hujus debiti pastoralis exactum observatorem invenio. Gratiosissimus hic adolescens ad partes orientales proficiscens, ad opilionum pascua, in quibus maximâ vigilantiâ, ac curâ gregi intendebant, appulit. Et en pastorculam venustissimam, ac modestissimam omnium illius ævi venire observat, ac conspicit. Hinc juvenculus ille à pastoribus, ac instinctu non erroneo edoctus, (uti reipsa erat) illam filiam Labani sibi persuadens, ejus venustate fortissimè raptus, ac eam sibi uxorem designans, eam salutavit, & submissè honoratam amplectitur, & osculo delinivit; & absque dubio eum suum cordis prodidisse affectum his verbis, eris mea Sponsa credo. Sacer Textus, qui hanc rem narrat, sic ait: *Osculatus est eam,* ac dein rem miram, nempe quod Jacob in lachrimas proruperit inconsolabiles, fletuique verba luctuosa addiderit. (*Genes. 24. 11.*) *Et elevatâ voce flevit,* subdit. Ecquis hujus juvenis actionem non demiretur? quæ causa ut plangat? imò potius jubili, ac lætitiæ ansam habuit. Non: subdunt septuaginta: *Et exclamans suâ voce flevit,* os lamentis, ac suspiriis, afflictionem animi, & oculi veraces cordis nuntii, ejus dolores prodere videbantur. Sed quænam major quies, ac delectatio quam objecti omnium desideratissimi præsentiâ frui? An forsan mala sibi obventura, quia sibi copulanda erat augurabatur? Nequaquam; nam Rachel non tetrica, morosa, perfida instar plurium, quæ miserum maritum in desperationem agunt, erat. Forsitannè ut volunt nonnulli eum præ gaudio in lachrimas, quia in consanguineam incidisset, quæ sibi desponsanda erat prorupisse credemus? si hæc ratio valeret, jam & ipsa Rachel plorasset, *cum mulieres,* verba sunt Lyrani, sint pronæ ad lachrimas magis, *quam viri, videtur quod potius debuisset dixisse de Rachael quod flevisset;* (*Nicol. de Lyra ibid.*) insuper ipse Lyranus opinionem Hebræorum adducit, quam satis probabilem asserit, Jacobum nempe idcirco plorasse, quia domo paternâ abiens plures opes, gemmas, uniones, quas secum asportarat, ab Elipar primogenito Esau, qui eum insecutus fuerat, *& cum multitudine armatorum comprehendit, & omnibus bonis spoliatum dimisit.* (*Lyran. ibid.*) Spoliatus est. His ergo se privatum videns *elevatâ voce flevit.* Sed hic mihi nova difficultas oritur. Cur statim post infortunium non ploravit, ac planxit? cur lachrimas tam diu continuit, & postea in sinum charissimæ Rachaelis effudit? idem Lyranus id factum, quia nullo donario honorare suam Sponsam, velut servus Abrahami Eliezar honoravit Rebeccam, respondet: *Cùm ergo vidit consobrinam suam, & non habuit aurum, vel argentum, seu iocalia ad dandum sibi, sicut servus Abrahæ dederat Rebeccæ, memor hujus rei* (*Lyran. ibid.*) capit

cœpit lacrymari. Flevit, quia se non posse suæ satisfacere obligationi ostendendo se erga Rachaelem beneficum, cognovit: *ob eam causam exclamasse, & elevatâ voce flevisse dicitur qui antea non fleverat, quod suis potius, quam sibi esse debere optimè noverat.* Id quemlibet Prælatum, ac Pastorem curam habentem gregis angere deberet. Ego multos cruciari, ac dolere, quia oves habent macilentas, nec lac mulgere, vel lanam tondere, nisi & simul pellem detrahant, possunt, credo. Hi potius mercenarii quam boni pastores, *quia bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis vocari merentur.*

Io. Ant. Velasq. in Ps. 100. lib. 3 ad not. 14. num. 4.

6. Hanc conditionem Aaron Pastor gregis Israëlitici, qui multos transgressores divinarum præceptionum habeat, dum hic murmuratione famam Moysis lacesseret, ille temerè, igni incensum miscendo dignitatem sacerdotalem sibi arrogaret, alter adhærendo transgressoribus, eos foveret, non solum cognovit, sed & ad praxin reduxit: sed Deus merito contra illos excanduit, ut à seditiosis acriter punitis reliqui se continere, nec inter gentes suscitare seditiones discerent. Et dum Deus pœnam executurus erat, Moysi, ac Aaroni secederent, ne flagellis divinæ justitiæ involverentur, præcepit: *Dixit dominus ad Moysen recedite de medio hujus multitudinis, etiam nunc delebo eos* Et subito recesserunt: nunc, N. quid sacer textus subnectat attendite. Moyses furorem Dei in transgressores fulmina jam vibrantem videns: *jam enim egressa est ira à Domino, & plaga desævit,* sacerdoti Aaroni suo fratri, ut Thure, ac incenso in medio populi majestatem divinam placare studeret, jussit. *Tolle thuribulum & hausto igne de altari mitte incensum desuper.* Hucusque res benè aguntur. Moyses prudenter agit, ac nemo id neget; sed præcipere ut in medio gregis se sistat, *pergens ad populum, ut roges pro eis* id jussio nimis dura, ac indiscreta, nec rectitudini charitatis conformis, *quia egressa est ira à Domino, & plaga desævit,* mihi videtur. Quinimo ipsum miror Aaronem, qui dum moras non nectit, absque reflexione ad mandatum Dei antea datum: *Recedite de medio hujus multitudinis,* in medium reorum ubi flamma magis sæviebat se ingerit: *Cucurrit ad mediam multitudinem quam jam vastabat incendium.* O Aaron: an non periculum, cui te objicis vides? Hoc fortunam tentare est. Ah Moyses mihi id mandat; *pergens cito ad populum,* &c. Deus dico ego id tibi vetat. *Recedite de medio hujus multitudinis.* Annon ab ijs dissitus incenso Deum iratum flectere potes? N. Aaron quia Pastor erat bonus, & ut greges eriperet propriam debebat negligere vitam: *Bonus Pastor animam dat pro ovibus suis.* Totum id gregi facere debuit. Supra hoc Divus Ambrosius conceptum hâc dignâ doctrinâ format. *Cum dira mors propter contumaces in plebem serperet, medium se inter morientes, viventesque Aaron objecit, ut mortem sisteret ne plures perirent; vere vir mentis, & animi sacerdotalis, qui se pro dominico grege quasi Pastor bonus pio objiceret affectu.*

Num. 16. num. 45.

Ibidem num. 46.

Ibidem num. 47.

D. Ambr. lib. 10. Epist. 81.

7. Nunc à Synagoga ad ecclesiam, à sacerdote Israëlitico ad Pastorem ecclesiæ, ab Aarone ad sanctum Petrum, & cui filius Dei solum gregem agnis, & ovibus mixtum ostendit transeamus; perinde ac diceret: Petre hucusque te hominem practicum, prudentem sum expertus, nec ullum aptiorem, ut sit Pastor te invenio. Omnem te diligentiam possibilem adhibiturum, ac curam, non solum ut de bonis pascuis ei provideas, sed & te Argum futurum, ut à lupo infernali illum defendas scio. En gregem: *Pasce oves meas:* similiter Agnos tibi trado *Pasce Agnos meos.* Tribus pascuis ait Doctor Angelicus: *Doctrina verbo, vita exemplo, & temporali subsidio, quibus prælatus subditos pascere debet.* Vel ut ibidem dicit: *Pasce oves meas: Pascere autem oves est credentes in Christo, ne à fide deficiant confortare, terrena subsidia providere, & exempla virtutum cum verbo prædicationis impendere, adversariis obsistere, errantes subditos corrigere.* Sed filius Dei, postquam Petrum caput, ac pastorem gregis constituit discursum mutare, & nonnullas particularitates tangentes ea, quæ eidem Apostolo obventura erant tangere videtur, *cum esses junior cingebas te, & ambulabas ubi volebas, cum autem senueris alius cinget te, & ducet, quo tu non vis:* quibus nil aliud quam mortem ejus denotare voluit: *Hoc autem dixit signi-*

Io. 21. D Thom. in cap. 21. Io. lect. 3. fol. 108. col 2. E. Alcuin. apud D. Tho. in cat. ibi.

significans, quâ morte clarificaturus esset Deum. Sed qualis est hæc connexio, dum Christus personam Petri, ac mortem jungit? vix eum ad hanc dignitatem evexerat, & jam mortem intimat? Dionysius Carthusianus ingeniosè mysterium penetrat, & Christum sic loquentem introducit. Nunc cum te pastorem constitui, ac tibi gregem consignavi omnibus tuis commodis te spoliare teneberis, nec in aliud quam pecora tibi commissa intendere, & si necesse fuerit, vitam, & sanguinem profundere debebis: *significans quâ morte clarificaturus esset Deum: ut prælati, vel pastores agnoscant* ait Dionysius, *quantam habeat Christus diligentiam, dilectionem, & curam pro suis fidelibus quam solicitè velit eos custodiri, quam districtè requiret rationem de eis. Et cur?* Audite. *Quia prælati debent esse parati ad moriendum pro grege commisso. Ideo consequenter* prædicit Petro de qualitate sui martyrij: unde evidenter, quod *bonus pastor animam* (id est vitam) *suam dat pro ovibus suis* infero.

Dionys. Cartus. in cap. 21. D. Io. art. 50. fol. 273. B.

8. Divus Gregorius pontifex Christum redemptorem nostrum non solum præcepisse pastoribus, ut animam hoc est vitam pro grege exponerent, sed & ipsummet velut caput omnibus exemplum sese præbuisse affirmat. *Fecit quod monuit Christus, pro ovibus animam posuit.* In sacris Evangeliis nec minimam contradictionem, quia omnes Evangelistæ puram, & simplicem veritatem scripserunt, scio. Nihilominus experientiam contrarium edocere puto. Et quis successum passionis Christi non eodem modo ab Evangelistis Matthæo, ac Luca recensitum nesciat? præses ut imposturas, ac falsas accusationes à ministris contra filium Dei audivit, exactissimè rem examinare decrevit. Sed postquam diutissimè plures particularitates, ac capita examinasset, & accusat artium iniquitas, & accusati innocentia apparuit. Unde ab omni eum calumnia liberans, coram omnibus innocentem his verbis teste Divo Lucâ: *Non invenio causam in hoc homine*, proclamavit. Et his non obstantibus Pilatus ob varios respectus, ac suspectus contra jus innocentiam morti crucis adjudicavit. *Tollite eum vos, & secundum legem vestram crucifigite.* Hæc impia sententia sine morâ executioni mandata est; Et aspero ligno fuit servator affixus. Divus Matthæus facti causam adferens: *posuerunt super caput causam ipsius scriptam inquit.* Idem sanctus Marcus affirmat: *Et erat titulus causæ ipsius*: hic contradictio statim se prodit. Si præses absque causa eum morti addixit, quomodo causa ejus mortis, ipsius vertici superscribitur? An ita stolidus fuit Judex, ut nullam invenire potuerit? vel an adeo maligni fuerint ut quantumvis causa non esset, tamen eam assignarint? N. quid sanctus Marcus subnectat observemus, ac dein non esse contradictionem, sed mysterium dicemus. **Et erat titulus causæ ejus scriptus* ait Dionysius Carthusianus, *quare crucifixus esset.* Et quænam hujusce rei causa? *Rex Judæorum.* Nulla alia est nisi quod cum esset Rex Judæorum, ac totius generis humani, quod in miserijs culpæ jacens jam jam faucibus lupi orcini devorandum, ac jam voraginibus inferni hauriendum erat, velut Rex, & pastor, *qui vitam suam debet dare pro ovibus suis* vitam morti exposuerit, & ut vitam gregi daret mori contentus fuerit. En ergo causam: *posuerunt causam* nempe cum fuerit Rex, & pastor pro grege mori debuit. *Hæc totius causæ, sive mortis Christi summa est, quod Rex hominum, sit quod perinde est, ac si dicatur, non à febri, non à senio, non ab hominum odio, non à criminis pœna, sed à regia dignitate mortis ictum accepit; ut principis munus, & partes undequaque pastoris adimpleat.*

D. Gregor. hom. 14. in Evang.

Luc. 23. num. 4.

Matt. 27. num. 37. Marc. 15. num. 26.

Dionys. Cartus. in cap. 27. Matt. art. 44.

Io. Ant. velasq. in Ps. 100. lib. 3. adnot. 21. fol. 247. col. 1. 2.

9. Filius Dei, cum hortum Olivarum intravit, ut patri æterno supplicaret, quatenus si possibile foret calicem amarum passionis, ac mortis à se auferret genua terræ fixit. Sed quia non propriæ, sed patris voluntati inhærebat, sic oravit: *Pater mi si possibile est transeat à me calix iste; veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* Ac *Matt. 26. 39.*

ut

ut se non flagitare gratiam impossibilem, & patrem suum velut cunctipotentem quidquid vult posse demonstraret teste Divo Marco: *Abba pater omnia tibi possibilia sunt*, subjunxit. Tu quidquid vis vales, adeoque vult pater benignus preces filii rejicere nequis, ideo *Transeat à me calix iste* Ego num Christus voti compos factus fuerit scire velim. Ac non solum negativè respondeo, sed non obstante quod patri *omnia possibilia sint* cum Divo Paschasio impossibile esse ob bonitatem, ac justitiam ut exaudiri potuerit dico *Impossibilitas ista de justitia venit, ac bonitate Dei.* Sed ego radicem unde hæc impossibilitas proveniat libenter penetrem. Et quidem id non provenit ab impotentia patris, quia habet *plenipotentiam*, non ab incapacitate, ac demerito filii, *quia erat justus, & innocens*, non à necessitate generis humani; hæc enim quantumvis fuisset maxima, nihilo secius unicâ guttâ sanguinis, unico intuitu, unico cogitatu redimi potuit. Cur ergo inquirit D. Paschasius impossibile fuit eum non bibere calicem passionis, & mortis? *impossibilitas ista de justitia venit, ac bonitate Dei.* Christus gregis Apostolici, ac gregis totius generis humani fuit Pastor, idcirco quia *bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis*, impossibile fuit calicem passionis ab eo transferri. Et ex hac impossibilitate obligatio, quâ ad fundendum sanguinem, & mortem obeundam, ut suos à lupis avernalibus eriperet, ac periculis æternæ damnationis subtraheret, & ad pascua paradisi conduceret ortum duxit. Hinc ait Paschasius: *Impossibile erat, ne nos bonitate suâ, suâque justitiâ salvaret.*

Marc.14. 36.

D. Pasch. lib 12. in matt.

D. Pasch. ubi supra.

10. Inter alios bonos pastores, qui pastoris omnium pastorum vestigijs institerunt, Guilhelmus Roschildensium Episcopus fuit: dum Danorum Regi fama nonnullis Regale regimen verbis perstrinxisse, ac Regiam æstimationem pupugisse retulisset, tales die circumciso puero sacro Missæ astare resciens, sicarios, qui nullo respectu loci sacri habito eos trucidarent misit. Non multo post ut Rex feritatem barbaram perfecerat (gratum enim Deo præstitum obsequium; quia nonnulli magnates quidquid volunt juxta illud *arbitrantes esse impune* quidquid delirant reges licitum putant arbitrabatur) ad Ecclesiam se contulit: at Episcopus ingredienti se opposuit, ac baculo pastorali aliquoties pectus percutiens, & acri verborum aceto homicidam, & similibus verborum aculeis perstringens excommunicatum denuntiavit, & velut loco sacro indignum repulit. At Palatini Regem suum injuriis affectum dum viderunt gladios exeruerunt, ac unicum nutum principis homicidæ ut illam contumeliam vindicarent exspectabant. Sed ô sancte præsul an non in pectore regis, ac aulicorum iræ flammas evaporari vides? An non vides gladios eos exeruisse, & unicum nutum regis præstolari ut te trucident? Ergo fugâ tibi consule, ac periculo mortis te subtrahe. Quod sanctus Paschasius de Christo *impossibile erat* cum enim esset pastor obligabatur ad fundendam vitam hoc & ego de hoc præsule hic dicam. *Bonus pastor animam dat pro ovibus suis.* Et quid sequitur: è lupo in agnum mansuetum migravit: *Deo moderante Regis iram, ille pœnitentiâ facti immanis adeo perculsus est, ut ultro repetens palatium suum, deposuerit infulas, & induerit saccum cinere aspersum: Eo habitu rediens in atrium ecclesiæ, ubi ad valvas humi, gemebundus Deum exorabat, largo lacrymarum imbre madens.* O insignem pastorem. Non velut mercenarius ad conspectum lupi aufugit: de illo non verificatur *vidit lupum venientem, & fugit*, sed intrepidus, & velut bonus pastor, *qui animam dat pro ovibus suis hæsit*, nec timore mortis gressum retulit.

Apud Marcel. de Pise To. 2. fer. 6. Dom. 4. Quadr. p. 2 hom. fol. 647. col. 2.

Idem ibidem.

11. Verum nonnullos, qui nonnisi damno subditorum propriam vitam conservare student reperire est. Hi in nihilo à Rege Achab omnium Israëliticorum regum pessimo abeunt. Pauper Naboth, quia huic Regis petitioni vineam largiendo annuere noluit, in tantam eum tristitiam dejecit, ut in aula se abdens, furore afflictus sine discursu intra se sic discurreret Ergone subditorum vilissimus, tam sit temerarius ut Regi in faciem aliquid neget? Ego gratis eam nolui, sed ad solvendum illam me obtuli. Et quamvis principes non solum opum, sed & vitæ subditorum sint absoluti domini, autoritate tamen hac plenâ uti nolui, sed omni humanitate possibili cum eo agere volui. Ac ille ergo tam audax

dax sit, ut Regis postulationem repellat? certè Nabothum pœnitebit, & ut sibi præmordeat manus volo. Hic nunc ait sacer Textus: *Projiciens se in lectulum suum, avertit faciem suam ad parietem, & non comedit panem.* Estne possibile Regem tanto mœrore invadi, ut nec cibum caperet, nec panem manducaret? Liranus ex indignatione, ac impatientia id provenisse affirmat. Abulensis dicit. *Noluit tunc comedere panem, nec bibere præ tædio quousque in eo digereretur fumus ille iracundiæ.* Verum sanctus Pater Ambrosius ut hoc factum explicet unicum verbum, quod multum proposito nostro servit adjungit. Ubi scriptura solùm legit *non comedit panem*, addit ille *suum.* Ergo *comedit panem aliorum*? quinimò. Quia magnates pane, sudore, ac laboribus subditorum comparato vivere volunt. *Et non manducavit panem suum, quoniam quærebat alienum: Etenim divites magis alienum panem quam suum manducant, qui raptu vivunt, & rapinis sumptum exercent suum.* O quam multi sunt pastores, qui mensam suam maximâ lautitiâ fructuum, pecorum suæ custodiæ deputatorum instructam esse volunt? Hi nomine tenus pastores, & reipsâ mercenariis pejores sunt. *Merito nomen pastoris perdunt; non enim pastores, sed mercenarii vocantur, qui non pro amore intimo oves dominicas, sed ad temporales mercedes pascunt.* Merito in hos per Ezechielem acerbarum minarum plaustra fulminavit. *Væ pastoribus Israel* Væ ijs, quia tempus erit, cum rationem de impositis oneribus, ac tributis à subditis solutis reddent. Sed cur; quia *pascebant semetipsos* proprium interesse pallio subsidii charitativi regentes, substantiis pauperum se vestierunt, ac sustentarunt, & luxus suos laboribus, sudoribus, pane, & sanguine vasallorum manu tenuerunt. *Nonne greges à pastoribus pascantur?* Pastor ut gregi subveniat proprio ori buccellas subtrahere debet. Et sanctus Pater Augustinus dum nil esset, quod in pauperes erogaret, sacra vasa aurea, ac argentea confringere, & in pecorum subsidia impendere non esse malum, sed opus bonum judicavit. Sed nonnulli pastores lac, ac lanam ijs detrahunt, & tam macilentos eos reddunt, ut pedes eos non ferant. *Lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod crassum erat, occidebatis: gregem autem meum non pascebatis.* Hinc in textum allatum Divus Pater Augustinus sic commentatur. *Quid ergo isti increpantur? Unde arguuntur? quia cum lac sumerent, & lanis se tegerent, oves tract. de perditas negligebant. Qui præbet lac, victum præbet; qui præbet lanam, honorem præbet: ista sunt duo quæ à populis quærunt, qui seipsos pascunt.* Sunt pastores non ut dent ijs quod debent, sed ut subtrahant quod possunt. Sufficit, & quiescamus.

3. Reg. 21. n. 4. — Liran ibidem Abul. ibi. q. 3 fol. 316 col. 2. F. — D. Amb. lib de Nabuch, cap. 4. — Idem ibidem. — D. Greg. in c. 10. Io. in cat. — D. Thom. fol 147. col. 1. D. — Ezech. 34 — D. P. Aug. tract. de Past. cap. 2 & 3.

ALTERA PARS.

12. ET *alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili & illas oportet me adducere.* Boni pastoris omnem possibilem adhibere conatum, ut gregem ad pascua salutis, ac ovile paradisi ducat officium est. Unde per *alias oves, quæ non sunt ex hoc ovili*, gentiles, *qui idola* celebāt, verba sunt Cornelij à Lapide, *ideoque erant oves non Christi, sed satanæ, quas Christus ex ovili Satanæ transtulit in ovile suum, intelligit.* Sed bene mysticam locutionem nostri pastoris observemus. *Et illas oportet me adducere.* Sanctus Thomas id ita explicat, *id est, opportunum.* Sic Divus Gregorius Thaumaturgus Neocæsariensium Antistes egit. Hic ad infulam evectus solum septendecim fideles sub se numeravit, sed per gratiam Dei, ac suam diligentiam adhibitam omnes infideles ad gregem Evangelicum adduxit; unde dum animam agens ab astantibus quot infideles superessent rogans audiret tantum superesse septendecim: Deo gratias immensas egit. *Totidem*, inquit, *erant fideles cum cœpi Episcopatum.* Sciebat obligationem suam. *Oportebat eum illas adducere.*

13. Hic *Tò oportet*, quod propriè necessitatem si non coactionis ad minus infallibilitatis importat, ponderare debemus. Deus enim omnem possibilitatem impendi ut grex consequatur salutem ac è pascuis dæmonis ad pascua fidei evangelicæ reducatur mandat. Hinc sancti, Basilius, Gregorius, Augustinus, Chrysostomus *Tò oportet* patris præceptum significare asserunt. Ergo necessario, & infallibiliter illud est observandum concludit enim Angelicus. *Quia spiritualis gregis salus, præponderat corporali vitæ pastoris, ideo cum periculum*

Cornel. à Lap. in c. 10. Io. v. 16 fol. 403. col. 1. — D. Tho. in c. 10. Io. Lect. 4. fol 60. col. 2. D. — In Brev. Rom. in Lect. 2. 2. noctur. — D. Basil. hom. 28.

in Ps 28. Greg. hom. 14 in Evang. Aug tract. 47. Chr 59. D.Thom. in c.10. Io. Lect. 3. fol. 59. col. 4. F.

lum imminet de gregis salute, debet quisque spiritualis pastor, corporalis vitæ sustinere dispendium. Quid pastorem cœlestem dum de grege loquens ait *cognosco oves meas* inferre voluisse putant? Apud Deum, ac in bonâ Theologiâ hæc phrasis *cognosco oves meas* quid significat? Divinum pastorem cognoscere creaturam esse pecudem sui gregis, nil aliud est quam dicere eam esse prædestinatam, ac pascuis paradisi fruituram. Deus enim illam non tantum speculativè, sed & practicè eam amando, ei benefaciendo, omnia ei media ad salutem præbendo cognoscit. *Cognosco oves meas cognitione dilectivâ, ac approbatâ.* Et pecus quod à Deo amatur, de ejus grege est. Hinc de duobus fratribus *Iacob dilexi* en eum prædestinatum; *Esau autem odio habui*, en reprobum, dicitur. *Cognosco oves meas.* Hoc sit explanat Angelicus, *notitia non solum simplici, sed etiam approbationis, & dilectionis.* Ac Apostolus ad Thimotheum sic scribit, *cognovit dominus, qui sunt ejus.* Aliud ergo juxta expositionem Chartusiani inferre non voluit. *Hoc est Deus prædestinatos suos æternaliter cognoscit scriptos in libro vitæ, eosque conservat, & approbat.*

Dionys. Cartus. in c 10 Io. art. 27. fol. 160. C. — D.Tho. in c.10 Io. Lect. 4. E — Dionys. Cart. in epist 2. ad Tim. c. 2. fol. 304. C

14. Hanc veritatem loco scripturæ ab opposito firmare volo. Noctu quinque Virgines prudentes, ac quinque fatuæ lampadibus accensis domo exeunt, prudentes ad domum in quâ nuptiæ solemnissimo cum apparatu agebantur attingunt, pulsant, & sponsus prodit, aperit, ac eas intromittit. *Venit sponsus, & quæ paratæ erant intraverunt cum eo ad nuptias.* Vix primæ sunt ingressæ, & illico adsunt & fatuæ, ac à sponso ingressum sollicitant: *Domine Domine aperi nobis*: sed repulsam patiuntur, nec admittuntur, excluduntur. Verum quibus verbis sponsus postulationem neget iis, & negativè respondeat, audite. *Nescio vos inquit.* Nuptijs designari cœlum, virginibus intrantibus animas, quæ salvantur, sponso, Deum, qui adjuvante suâ gratiâ eas introducit jam scimus. At quomodo verum sit, quod dicat, *nescio vos*? Deus suâ cognitione infinitâ non solum præsentia, sed etiam futura, ac præterita scientiâ quam vocant Theologi intuitivâ, vel visionis intuetur, & scientiâ simplicis intelligentiæ, quæ præcedit omnem actum practicum divinæ voluntatis omnia penetrat objecta possibilia. Quomodo ergo scientiam suam non attingere ad cognitionem harum quinque virginum *nescio vos* declarat? Ergone in Deo sit ignorantia? Ille Deus, qui ad intimos cogitatus cordis penetrat, se quinque has virgines non cognoscere fateatur? sacri Doctores hunc nodum sic solvunt: *Vos pro meis non cognosco, respuo, reprobo, damno.* Nunc cum *oppositorum eadem sit disciplina* ab opposito argumentemur. Si idem sit dicere Deus te non cognoscit, ac es reprobus, uti affirmavit Chrysostomus. *Cum dixerit nescio vos, nihil aliud quam gehenna, & intolerabilis cruciatus relinquitur; imò vero etiam gehenna istud verbum gravius est.* Optimè deduci potest, cognitionem, quâ cœlestis pastor suas oves cognoscit, nil aliud esse, quam quod illas salvare, ac securè ad pascua paradisi ducere velit. Idcirco sanctus Pater Augustinus concludit: *Novit Dominus qui sunt ejus, nec lupus rapit, nec fur tollit, nec latro interficit; securus est de numero illorum, qui pro eis novit, quid dedit.*

Matt. c. 25 — Ibidem. — Ibidem. — Cornel à Lap. in cap 25. Matt. fol 450. v.12, c.1. — D.Chrysost. — D. P. Aug in Cat — D.Th in cap. 10. Io. fol. 148. col. 1. C.

15. Filius Dei Apostolos suos ob successus funestos, qui brevi eos invasuri erant mœstitiâ sat gravi confectos videns, ut eos solaretur dixit, *non turbetur cor vestrum*; esto mors, quam ego subiturus sum mentem vestram conturbet, ne paveatis tamen; quia sicut ad ortum solis, umbræ aëris pelluntur, sic me rursus, citato mœrores vestri in lætitias migrabunt. Et ulterius in domo patris mei esse multa habitacula addo, quæ vos post afflictiones à vobis pro nomine meo tolerandas recreabunt. *In domo patris mei mansiones multæ sunt.* Per domum Dei, vel ecclesia militans, vel triumphans intelligi potest. Ita discurrit Divus Thomas. *Duplex est domus Dei, una est militans ecclesia, scilicet congregatio fidelium, alia est triumphans, scilicet sanctorum collectio in gloria patris.* Divus Augustinus per has mansiones diversas dignitates, quibus Deus beatos in patria remunerat intelligit. *Multæ mansiones diversas meritorum in una vita æterna significant dignitates.* Sed in quem finem sunt multæ mansiones? unus para-

Ioan. 14. — D.Tho. in cap. 14. D. Io. Lect. 1. fol. 79. C. — D. P. Aug. in Cat. — D.Tho. Ibidem.

paradisus non sufficiat omnibus? Annon unus paradisus capiat omnes Beatos? Praeterea sanctum Matthaeum in suo Evangelio, imò ipsum filium Dei de Rege, qui nuptias filio suo celebraturus, omnes quotquot adesse voluerunt invitare jussit, tractare, reperio. Ut ergo coenaculum convivis erat plenum, ac mensae circumdatae, ut vix sedere possent Rex convivas conspecturus adivit, & dum nonneminem absque veste nuptiali vestimento lacero se intrusisse videret, adeo est indignatus, ut servis eum in obscurissimum detruderent carcerem, mandârit. *Projicite eum in tenebras exteriores, ibi erit fletus, & stridor dentium*, & postea subdit; *Multi sunt vocati pauci vero electi*, Hic parum, persistamus. Si paucos dicat esse electos, cur Apostolis dicit esse multas mansiones? Si electi sint pauci, ergo mansiones etiam paucae esse deberent, vel si multae sint mansiones, electos etiam multos esse oporteret. Numerus sane mansionem numero electorum correspondere deberet. Si luce alicujus historiae verum sensum hujus difficultatis eruere possimus, videamus. Antonius imperator dum Româ in Franciam Provincias illius regni visurus proficisci decreverat, Homalo senatori, qui Romanorum Progubernator Parisiis erat scribi ut pro die adventus sui mille nobilibus hospitia aptaret jussit. Litteris his receptis non solum pro mille, sed pro bis mille hospitia parari fecit. Imperator itaque dum illuc appulit, ac tot hospitia instructa videns, causam, cur plura, quam necesse erat, apparaverit interrogavit. At hoc responsum tulit, *ut magis meum desiderium serviendi tibi, te imperante ostendam.* Similiter ergo *si pauci sunt electi, cur multae mansiones sunt in patria?* inquirit Divus Hilarius. Quia noster pastor velut bonus, & diligens quantum est ex se totum gregem, omnes agnellos, ac oves ad mansiones coelestes, & pascua paradisi pervenire vult. Desiderium ergo grande, quo iis benefacere, ovesque salvare optat pandere hoc facto vult. *Et illas oportet me adducere*: Hinc ait Divus Hilarius: *ut in mansionum abundantia spes omnium augeatur, agnoscentes Deum velle omnes homines salvos fieri.* Multis hospitia aptat: *Multi sunt vocati pauci vero electi*, ut eum velle omnibus dare salutem, omnes velle ad pascua securè adducere cognoscamus. Quod si postea contingat ut pauci sint electi, defectus noster est; hinc dicis in Evangelio: *Et alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili, & illas oportet me adducere.* In conformitatem hujus illud quod David in psalmis scripto consignavit legite.

Matt. 22.

D. Hilarius.

Idem.

16. Hic ergo benignitatem hujus boni pastoris scilicet Dei laudibus extollens, ac velut vates, curam quâ gregi suo provisurus erat praevidens cecinit, *Homines, & jumenta salvabis Domine.* Domine tuam benignitatem esse adeo immensam, ut bestias, ac homines salvaturus sis, pro certò scio. N. Res magna mihi haec videtur. Si ego vobis bestias coelo donandas, ac beandas praedicarem, vos nec immeritò risuros, & scandalizatos abeuntes mihi dicturos. *Audiemus te de hoc iterum*: scio, declarat enim filius Dei. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* Hanc regenerationem spiritualem esse belluis impossibilem non nescio. Quomodo ergo poterunt salvari? una differentiarum, quâ anima rationalis ab irrationali abit haec est, quod *anima rationalis est separabilis à corpore, & separata existit*; anima vero brutorum mortuorum corpore simul intereat, nec separata existat. Quomodo ergo id salvetur quod non est? *Homines, & jumenta quomodo Domine salvabis?* omnibus responsis per sacros expositores adferri solitis omissis, unum, cui major pars accinit, adduco, & Davidem per homines intelligere electos, ac bonos. *Qui secundum dictamen rationis vivunt, habentes carnem subditam spiritui, & spiritum Deo.* Ac per jumenta intelligere peccatores, *qui amisso usu rationis bestialiter vivunt* dico. Nunc quomodo salventur peccatores extra ovile nostri sancti pastoris constituti? nonne id auditis *oportet me adducere*? Perinde ac si diceret. Quantum est ex me omnia media ut eas ad ovile salutis reducam, impendam. Audite sanctum Brunonem. *Bonos, & malos salvas*, David alloquitur Deum; *cum pro omnibus Christum pati volueris.*

17. E jumentorum maximè irrationabilium numero, quae maximorum scelerum,

Ps. 35.

Aug.
Card. Ortegius tract. 4. ca. 9. quaest. fol. 2.

Michael Aygu in Ps. 35. fol. 702. cap 2 D. num. 564.

D Bruno in Bibl. PP t 11. ibi fol 118. col. 1. n. 7. D.

rum, ac facinorum onus portarunt fuit Judas. Cælestis pastor eum ut unguibus lupi infernalis subduceret quid non egit? ne invidiâ proximi adureretur elegit eum in discipulum. Ne Avaritia eum in rapinas ageret dispensatorem, ac depositarium Eleemosynarum eum constituit. Ne ambitio eum præcipitaret in ultima cœna cum alijs eum Episcopum creavit. Ne ejus bestialia proposita eum ad pœnam scandali hoc est proditionis allliderent sæpius eum monuit, & reprehendit, *unus vestrum me traditurus est. Væ homini illi per quem filius hominis tradetur; melius illi erat si natus non fuisset* Quid amplius? ut eum tradidit desperatus se suspendit. Et multi Deo sic disponente Ramum arboris se inflexisse, ac postea dum ramo validiori, & fortiori se alligaret à transeuntibus eum esse impeditum volunt. *Posuit collum suum in laqueum, & cum penderet ab arbore, arbor inclinata est; nec id continuo assecutus est prout cupiebat: agnitus enim à quibusdam impeditus est, ne præfocaretur.* Et quid amplius mysticus pastor pro salute illius ovis fœtentis, & jumento bestiarum pessimo præstare potuit?

Papias Eucher. Comestor apud Card. Baron.

18. Aliud erit jumentum necdum tamen adhuc natum, quod cum Judâ currum maledictionis trahere poterit. Divus Joannes in spiritu cœlestem Jerusalem *habentem portas duodecim*, & in qualibet portâ Angelum, *& in portis Angelos duodecim*, conspexit. Omnes erant apertæ, ac cuilibet nomen tribus, quæ per eam intrare debebat insculptum erat. *Nomina scripta, quæ sunt nomina duodecim tribuum filiorum Israel.* Ad turbarum clangorem quælibet tribus per ostium suum ingrediebatur, ac ab Angelo, qui eam exspectabat admittebatur. Per unicam solam, cui inscriptum erat *tribus Dan nemo*, in quod, summoperè demiratus est sanctus Evangelista intravit. Hugo à sancto Charo ex tribu Dan Antichristum, qui jumentorum, quæ mundus habet, vel habere poterit, pessimum erit nasciturum respondet. *Dan hic non ponitur, ut ostendatur quod ex numero signatorum excludetur Antichristus, qui ex ista tribu est nasciturus.* Ergo cur & ei sua porta civitatis paradisi aperta sit, & Angelus in ea stet, qui illum promptus exspectet? Et cum ei sint insculpta hæc verba *tribus Dan*, nemo nisi Antichristus per eam intrare debet. Etsi Deus vidit, & adhuc videt Antichristum non intraturum, hæ industriæ mihi frustraneæ videntur. Sed erro: nam cœlestis pastor, quod si hoc ferum jumentum Antichristus ovile salutis ingredi velit, ei portam patere, eique assignatum esse Angelum, qui eum recipiat, demonstrare voluit. *Ut innueret Dominus nulli gratia sua adminicula denegare, ut iter ad cœlestem patriam facere possit.* Nos interim tam dignum veneremur pastorem, ejus benignam vocem, qua à malo fugiendo, & ad bonum amplectendum hortatur dicens, *declina à malo, & fac bonum audiamus. Et ite in pace.*

Apoc. c. 21

Hugo de S. Charo in cap. 7. Apoc. fol. 388. col. 3. B.

Dionys. Carthus. ibidem fol. 138. art. 8.

Rupertus Abbas.

-ɷ(o)ɷ-



DOMI-

DOMINICA TERTIA
POST PASCHA.

Modicum & non videbitis me, & iterum modicum, & videbitis me. Joan. 16.

ARGVMENTVM.

Deus adeò fervens est & diligens, ut nec momentum exspectet dum nobis benefacere vult, è contra nos desides sumus in eius servitio, cum tamen ferventes esse deberemus.

1. NUm actiones, quæ citius, vel illæ quæ lentius complentur laudabiliores sint resolvere nescio. Pede incedere plumbeo signum esse prudentiæ extra dubium est. Hinc hoc fuit monitum: *Festina lentè.* Ubi è contra currere instar furiarum, nec tempus permittere tempori est se objicere periculo manifesto præcipitiorum, & pro partu abortum edere juxta illud: *Canis festinans cæcos parit catulos.* Per Græcorum etiam ora hoc dictum *diu delibera*, volavit. De die in diem dilationem producere esse ventum magis propitium, quem possint habere actiones ut perficiantur, nonnulli censent. *Sat cito si sat bene.* Plantæ, quæ subito exoriuntur parum durant. Elephas, qui tardè nascitur ducentis annis vivit, & partus perfectissimus omnium, quos feræ producunt, est. Apelles pictoris gloriantis de celeritate sua dicendo; *Hanc modo pinxi*, temeritatem his verbis, *Etiamsi tacuisses, res ipsa loquitur, quod eam ex tempore subito pinxeris*, compescuit. Xeuxes Agatarchi festinationem in pingendo non probavit, dicens; *Ea quæ cito fiunt, cito pereunt.* Hi lentè, ac maturo consilio gradiri esse medium optimum perducendi opera ad perfectionem, & stabilitatem judicarunt.

Arist. Lib. 9 cap 46. hist. anim. Et Simon Majolus coll. 7. de Quadra. Tom. 106. col. 1 E. Manut. lib. 6. Apoph. Idem ibid.

2. Alii ex adverso negotia in longum protrahere tempus nil aliud esse quam ea exponere præcipitio, ac ruinæ censent. Ut clavis tundatur non debet exspectari ejus infrigidatio. Certè natura ignea, naturæ cui aliquid adhæret terrei antecellit. In omni professione temperamentum, bilosum phlegmatico præfertur. Melioris solent esse complexionis, qui nascuntur sub Mercurio, quam Saturno. *Mora damnosa est* canit Poeta. Medicus, qui medelam differt morbo vires addit ut robur patienti adimat, & neci tradat. *Ad opem hora brevis ferenda est, vel periculosam in salutis negotio dilationem esse* affirmat Ovidius; ex quo veritas illius Emblematis: *Nunquam procrastinandum* educitur Et ratio, ut autumat Herodotus, est, *quia semper differens vir, damnis luctatur.* Hinc nos monet Democritus. *Cunctationem omnes actiones imperfectas reddere.* Hannibal si subito urbem Sagrontinam invasisset non fuisset illusus. Idcirco Julius Cæsar dicere solebat. *Ad magna perficienda plurimum habet momenti celeritas.* Et Farnace devicto, & hostibus superatis, ad amicos suos, qui in patria fortunatos successus mirè audire optabant, ac si in puncto ivisset, vidisset, vicisset, juxta Homerum: *Simul dictum, & factum veni, vidi, vici,* scripsit.

Ovid. 11. Met. Ovid. 4. Met. Andr. Alc. Emblem. 3. Herodot. Apud Stob. serm. de assiduit. Homer.

3. Sed nulli magis, quam amanti frenum laxare tarditati, ac calcaribus urgere solicitudinem convenit. Hinc ut velocitas in actionibus denotaretur amor alatus depingitur. Et de Spiritu Sancto, qui est *nexus amoris inter patrem, & filium*, dicit Chrysologus: *Nescit tarda molimina gratia Spiritus Sancti.* Et noster gratiosissimus Redemptor, qui tam tenere suos dilexit Apostolos in discessu suo se non abfuturum, sed quantocius iis solandis reversurum, ac revisurum significavit. *Modicum, & non videbitis me, & iterum modicum videbi-*

D. Petrus Chrysol.

debitis me. Ita, *quia amor non sustinet moras*, ut in præsenti discursu videbimus.

PARS PRIMA.

Modicum, & non videbitis me, & iterum modicum, & videbitis me.

Apud Alphon Giron conc. 5. de Circumc. fol. 349.

4. QUod hodie possum facere frustra differo in crastinum. Opus quod possum absolvere unico die, illi imprudenter impendo septimanam, vel mensem. Nauta qui quam cito possibile est maritima vult perficere itinera, si remi non sufficiant, adhibet & vela. Sol quotidie suos lucidos thesauros terræ communicare non posset, nisi velut Gigas ab occasu in orientem curreret. Feris sylvestribus & avibus non est melior asilus ad vitam salvandam, quam velocitas in cursu, vel volatu. Carolus Borbonius gestaminibus aulicorum vulgo Liberey cervum alarum hoc lemmate subjecto: *Cursum tendimus alis*, appingi voluit. Docere voluit si suum principem sincerè amarent eos veloces velut cervos, & velocitati addendas esse alas voluit. Felix Princeps Salernitanus, ut demonstraret ab amore, naturalem proprietatem mutatam, ac è tardo in velocem, ac promptum se migrasse, testudinem cum duabus alis pro symbolo hoc lemmate addito; *Amor addit alas*, quod idem est, ac *Amor non sustinet moras*, delegit. Angeli Salamandræ divini amoris, non obstante quod sint substantiæ spirituales, nec sit medium, quod eorum actionibus obstet, nec impediantur ab aliqua materia, vel accidente extrinseco dum satis veloces se non censent divinis jussis perficiendis motibus suis instantaneis, aut non instantaneis alas addunt.

Marcel. de Pise t.1. fol. 194. col. 1.

5. Sed quia mihi sermo est de amore qui est sanctè impatiens, nec tempus vult præbere operationibus, id evidentia Scripturæ probare differre nolo. Benignissimus Deus populum Hebræum liberare, ac è ministeriis calamitosis Ægypti (ubi dici potest cum Jeremia, quod fuerint quasi *in fornace ferrea*) ad felicitates terræ promissionis ipsis promissas ducere decrevit. Moysi ergò quidquid agendum, ac exactissimè observandum voluit declarat. Et primo quælibet familia sibi de Agnello tenero ferme annum agente, haud imperfecto provideat, mandat, *Immolabit eum universa multitudo filiorum Israel*. Has tamen conditiones addit: *Non comedetis ex eo crudum quid, nec coctum aquâ, sed assum tantum igni*. Si ab Hebræis consumandus erat, jure pro gustu eorum eum coqui Deus permittere debebat. Aliorum mores in vestitu serva, sed pro gustu tuo comede; ulterius addit: *Renes vestros accingetis*. Nec hoc sufficit: *Calceamenta habebitis in pedibus*. Et ô Domine an adhuc aliud restat? Ita. *Tenentes baculos in manibus*. Dein omni celeritate agnellum edi vult. *Et comedetis festinantes*. Ego, ad quid tot ritus scire velim. Agniculus assatus, renes accincti, pedes calceati, baculus in manibus, tam velox comestio, ut unus bolus alteri tempus non concedat. N. Si meum sensum aperire debeam, hæc omnia esse effectus amoris divini, *qui est impatiens moræ* credo. Deus populum suum ulterius degere sub duro jugo servitutis Ægyptiacæ præ impatientia ulterius sufferre non valuit, & quamlibet horam exilii mille annos putabat, dum ergo ad terram promissam eos ducere decrevit, omnes actiones accelerari voluit. Agniculus sit assatus, ait Lyranus, *non coctus aquâ, quia non expeditè fit sicuti assando. Renes vestros accingetis*, ne vestes sint vobis impedimento, sed ad iter parati sitis. *Quasi parati*, expositio est Abulensis, *existentes ad iter, & non jacentes in stratis, & desidiosi quiete magnâ; calceamenta habebitis in pedibus*, ne à petris, vel spinis lædantur, ac vos in itinere detineant. *Ita* verba sunt Abulensis, *ut significetur in tantum vos velociter velle moveri*; sit vobis baculus, qui ad gressus accelerandos conducit. Hinc dicit quidam modernus expositor; *Habitus vobis properantium indicitur, vestra festinationis simulacrum, renes accingite, baculos capite, calceos accommodate pedibus properaturis*. Sed super omnia *comedetis festinanter*. Tempus comestione Agni non perdetis; ideo quantum potestis festinate. Hunc amorem Dei, *qui non sustinet moras*, optimè observavit Divus Gregorius Pontifex dicens: *Notate charissimi fratres, notate quod dicitur festinantes, mandata Dei, mysteria Redemptoris, cælestis patriæ gaudia cum festinatione cognoscite, & præcepta vitæ cum festinatione curate.*

Hierem. 11. 4.

Exod. 12. 6. *Ibid. 9.*

Lyran. ibidem.

Abulens. ibid fol. 135 col. 2. D.

Abulens. ibidem.

Ant de Escob ibid. nu. 11. fol. 239. col. 1.

D. Gregor. Tom. 1. in Evang. hom. 22 in cap. 20. Ioan fol. 179. E.

6. Qui

6. Qui successus in bello contingere
solitos scire avet, cum capitaneis loqua-
tur; qui quales sint proprietates amoris, ac
qualitates amantium posse cupit, spon-
sum, & sponsam adeat, & acta prima quæ
inter eos acciderunt capite primo Canti-
corum observet; tanto amore ferebatur
sponsa erga sponsum, ut dum experiretur
Cant. 1. 5. se præ amore deficere sæpius *Amore lan-
gueo* ingeminarit. Sed quodam die particu-
lariter Angelos ei solandæ suffitibus sua-
vissimis ac donariis cælestibus, submisit:
Angelom. *Angelos ad eandem Dominus miserat spiritualia
in Bibl PP. dona deferentes*: at illa dona utpote à sponso
Tom. 9. in immediatè non missa sibi non esse grata o-
cap. 1. stendere videtur. *Ipsa verò*, inquit Ange-
Cant fol. lomus, *munera non per servos, sed per ipsum spon-
804. col. 1. sum percipere quærebat.* Et tamen ad Angelos
legatos subjunxit: osculetur me osculo o-
Cant. 1. ris sui. *Ac, expositio est honori si dicat internun-
ciis: qui totiens per me vos salutavit, qui tot secreta
per vos mandavit, ipse veniat, & suo osculo me
salutet, & proprio ore voluntatem aperiat.* Quod
ibi loquatur cum Angelis sponsi absentis
res certa est. Nihilosecius tamen discur-
Honor. sum suum prosequitur dicens: *Quia meliora
Presbyt. sunt ubera tua vino*, ego τὸ *tua* ad quid re-
August. in feratur scire exoptem. Non ad Angelos,
Bibl PP. quia cùm essent plures *ubera vestra* dicere
Tom 12. debuisset. Non ad sponsum, quia cum esset
fol. 11. 19. absens debebat dicere *quia ubera ejus*, vel
Ægid Co illius. Hinc, inquit Ægidius Columna: *Quæ
lum. in primo posuerat Deo sua desideria in tertia persona
Cant ibid. dicens osculatur me osculo oris sui, alloquitur de-
Lect. 1. fol. inde in secunda subdens Quia meliora sunt ubera
2. col. 1. C. tua vino.* Quomodo ergo defendemus
Cant. 1. sponsam his dictis non errasse? patrono
non indiget, quia sapienter, ac prudenter
loquitur. En causam. Sponsus qui tenerri-
mè eam amabat, audiens ejus vota: *Oscule-
tur me osculo oris sui*, qui non sustinet moras
movere subito gressus, ac in persona pro-
pria eam consolari coactus fuit. Ac ideo
interrumpens discursum cum Angelis,
cum sponso suo verba fecit, qui accelerans
jam præsens erat, ac ideo cum eo loquens
dicebat; *Quia meliora sunt ubera tua vino, tua
tua*, dico tibi, ô mi sponse, qui tempori non
D. Hieron. indulgens tempus me solaturus venisti:
hom. 1. in *Meliora sunt ubera tua vino*, exponit sanctus
Cant. fol. Pater Hieronymus, *Subjungit posthac ad præ-
179. B. sentem jam sponsum.* Et S. Pater Bernardus;
Interim confabulantibus illâ, pariter atque illis, D. Bern.
accessit ipse de quo sermo erat. Unde per Prophetam Serm. 9. in
antequam clament, ego exaudiam: Adhuc lo- Cant fol.
quentibus illis dicam. Ecce adsum. Ita ergo nunc 756. H.
*non vocatus adfuit, & delectatus verbis prævenit
preces. Arbitror quod interdum nec verba exspe-
ctet, sed solis cogitationibus advocetur.* Similiter
Filius Dei dum discessum suum Discipu-
lis significat se non diu abfuturum, sed ab
amore cogendum ut brevi eos consolatu-
rus revertatur promittit. *Modicum, & vide-
bitis me.*

7. Hanc proprietatem nostri Dei ipse-
met parabolâ filii prodigi, quam Discipu-
lis proposuit, declaravit. Hunc juvenem
postquam patrios lares deserere decreve-
rat, patrem adiisse, cumque solicitasse ut
hæreditatem sibi debitam largiretur, quia
vellet vivere juxta suum beneplacitum, ac
eam expendere juxta proprium votum re-
censet. Pater eum non repellit, sed quod
ei debebatur numerat, ac alterum filium
etiam ei dando suam partem contentat:
Divisit illis substantiam. Filius prodigus no- Luc. 15. 12
mini etiam *opera junxit, quia peregrè profectus
est in regionem longinquam*, & pauco tempore,
dissipavit substantiam suam: Ad mendicita-
tem adeò intolerabilem redactus est, ut
in agros porcorum immundorum custo-
diæ deputatus, pane, ac aliis necessariis vi-
tæ destitueretur, & ad tales terminos re-
dactus sit, *quod cupiebat implere ventrem suum* Ibidem
de siliquis, quas porci manducabant. Demum num. 16.
dum in barathrum miseriarum se detur-
batum, nec præsentis necessitatis aliquod
esse remedium vidit, in mentem reducens
commoda, ac splendidam vitam servorum
in domo paterna oculis lachrimis inun-
dantibus, labrisque suspiria trahentibus
dixit: *Quanti mercenarii in domo patris mei ab-
undant panibus, ego autem hic fame pereo!* Re-
solutionem quam prudentissimè concepit,
audite. Ad patrem reverti decrevi, &
ut oculos in me pietatis conjicere digne-
tur tria observare proposui. Primò me re-
um proclamabo: *Pater, peccavi in cælum, &* Ibidem
coram te. Secundo me indignum, qui vocer num. 18.
ejus filius confitebor; *Iam non sum dignus
vocari filius tuus.* En secundum. Et quid eve-
nit? antequam tertium adduceret: *Fac me
sicut unum ex mercenariis tuis*; Pater, qui ve-
lut pater eum amabat, & *amor est impatiens*

moræ

moræ se continere nequivit, nec flammam amoris comprimere valens rogationem filii prævenit, ac famulis ut sine mora de omnibus necessariis ei providerent præ-

Ibidem num. 22.

cepit: *Citò proferte stolam primam, & induite illum, date annulum in manu ejus, calceamenta in pedibus ejus & adducite vitulum saginatum, & manducemus, & epulemur.* O pater amorose, apprimè amorem, quo flagrasti erga filiũ ita tibi prædominari, ut in impatientiam actus tempus tempori non indulgeres, demonstrasti? hic cum omnibus expositoribus per patrem illum familias Deum benignum, ac amorosum, per filium prodigum unumquemque nostrum significari volo. Nunc cum sancto Patre Augusti-

D. P. Aug. in Cat. D Thom. ibi. fol. 126. col. 2. B.

no causam cur filius prodigus: *Non addit quod in illa meditatione dixerat, hoc est, fac me sicut unum de mercenariis tuis?* sciscitemur. Patrifamilias amanti filium prodigum, imo Deo diligenti, qui dum amat creaturas rationales, ut eorum indigentiis succurrat: *Non sustinet moras*, causam ascribamus. Sic Divus Petrus Chrysologus re-

D. Petrus Chrysol serm. 3. de Filio prodigo fol. 5. Fac. 2.

sponder: *Non dixit, unde venis? ubi fuisti? ubi sunt quæ tulisti? quare tantam gloriam, tantâ turpitudine commutasti?* tot supplicis tempus falli non vult, *Sed citò proferte stolam primam & induite illum; videtis quia delicta non videt vis amoris, tardam misericordiam pater nescit.* Procrastinatio genio nostri Dei non convenit, qui discedens à suis Discipulis post abitum se non diu emansurum protestatur. *Modicum, & videbitis me.*

8. Etsi actiones nostri Dei humanati ad libellam revocemus, eas quasi ex alis velocitatis prodeuntes exiguo temporis decursu completas reperiemus. De primo, ac principali opere ad extra à verbo æterno patrato, dum in mundum in utero virgineo carnem nostram assumpturus descendit discurramus. In consistorio Sanctissimæ Trinitatis ad Virginem cælestis nuncius amandaretur, qui eam electam in Matrem Dei, nec nil nisi solum ejus consensum requiri decreto sancitum fuit. Angelicus peranymphus ut ad eam pervenit comiter omni cum submissione nescio, si dicam illam dominam, vel deam his verbis: *Ave gratia plena*, salutavit, & dein sub-

1. Luc. 1.

junxit: *Dominus tecum*; sed quomodo? forsan *per essentiam, per potentiam, per præsentiam, per gratiam?* Id ego non nego. Sed cum Deus in aliis creaturis est per modos supradictos, ac in aliis etiam per gratiam, Angelus nil speciale dixisset de Maria; ergo Deum modo specialiori, quam in aliis fuisse in Maria dicere voluit. Hinc ait quidam sacer expositor: *Dominus tecum, non tantum per essentiam, potentiam, & præsentiam, ut est in omnibus, nec solum per gratiam, ut est in aliis hominibus, sed per carnis assumptionem, quia corpus divinitati unitum, fuit formatum ex Beatæ Virginis purissimis visceribus, & sanguine.* Nunc, si Deus Angelum velut legatum ad Mariam *Missus est Gabriel Angelus à Deo*, destinavit, cur ejus responsum in cælo non exspectat? eccur antequam legatus adsit Mariæ, Deus è cælo discedat? quamobrem verbum alas sic implumavit, ut præcurrendo suum mandatum præveniret legati adventum ad Mariam? *Dominus tecum. Non de futuro erit, sed de præsenti est tecum.* Ego Gabrielem credo confusum, ac stupore suffixum; ac si dixisset; adsum ut tibi verbum esse tecum indicem, sed jam illud me præcurrisse, & esse tecum video, ac invenio. *Quod considerans Angelus non dixit Dominus veniet ad te, para ei hospitium, exorna cordis tui thalamum, sed ostendens hæc omnia parata esse, & Dominum ante ipsum venisse, dixit, Dominus tecum.* Ego nullam aliam causam nisi incarnationem, cum sit opus amoris, nec reditum Angeli, nec aliquam dilationem admisisse adducere possum. *Amor non sustinet moras.* Hinc ait Divus Hieronymus: *Dominus tecum, mira res, & jam cum Virgine erat, qui ad Virginem mittebat Angelum, non præcessit nuncium suum Dominus.* Et Divus Bernardus admirabundus *Quomodo qui Angelum miserat ad Virginem ab Angelo inventus est esse cum Virgine;* interrogat. En causam, quæ proposito nostro quadrat. *Itaque velocior Angelo fuit Deus, ut festinantem nuncium, celerior ipse præveniret ad terras.*

Didacus Stella in cap. 1. Lucæ fol. 45. col. 2.

Idem ibid. fol. 46. col. 1.

D. Hieron. Tom. 9. Epist. 10. ad Paulam & Eustoch. de Assumptione B. Mariæ fol. 69. B.

D Bern. super Missus est. hom. 3. fol. 34. col. 1. C.

9. Præteria in operibus pro bono particularium personarum factis id videamus. Filium Dei urbi Hiericho appropinquantem ingens caterva stipabat Quidam cæcus in publica via stipem rogans, tot transeuntes audiens cùm videre non posset curiositate motus, quid hoc novi in urbe esset scire avebat. *Interrogabat quid hoc esset;* & responsum tulit; *Quod Iesus Nazarenus*

Lucas cap. 18.

nus transiret, cùm ergo beneficia, quæ pa-
rarat intellexisset, & largiter omnibus
suas gratias dispensare sciret, subito in cla-
mores erupit, & Dominum ut sui misere-
retur rogavit. *Et clamavit dicens, IESV fili
David miserere mei.* Et non obstante quod à
multis acribus verbis perstringeretur, ac
silentium sibi indiceretur; *Et qui præibant,
increpabant eum ut taceret*, ille magis vocife-
rari cœpit. *Ipse vero multò magis clamabat*, sed
filius Dei, qui ad se humiliter, reverenter,
& cum fide confugientibus semper pro-
pitius fuit. *Quid tibi vis faciam?* interrogat,
at respondet, Domine cæcus nonnisi vi-
sum flagitat, ego qui nunquam conspexi
solem videre solem desidero. *At ille dixit,
Domine, ut videam.* Audite N. quid servator
replicarit: *Respice*; sed quomodo vult vide-
at si non habeat potentiam ad videndum?
prius necesse est ut det illi posse respicere,
antequam actus videndi sequatur; vel eti-
am Deus cæcitatem, quæ est impedimen-
tum visionis tollere debet ut actus secun-
dus habeatur. Ah amor divinus, quo Re-
demptor erga illam creaturam ferebatur,
ordinem naturæ invertit, & potentiam a-
ctui postposuit, & necdum expulsâ cæci-
tate eum videre voluit. Hinc dicit S. Lu-
cas: *Confestim vidit*, non ait *confestim abstulit
ab eo cæcitatem*, *confestim dedit ei potentiam ad
videndum, sed confestim cadit supra videre; con
festim vidit.* Absque mora, ac dilatione ul-
lius momenti conspexit. Ingeniosa hæc
speculatio Divi Hilarii, ac Dionysii Car-
thusiani est: *In quo patet potestas, & magnifi
centia salvatoris, ejus visionem mox sequebatur
supernaturalis effectus, tamquam potestativè mi-
racula facientis: cui secundum quod Deus est, &
infinitæ potentiæ, competit agere in instanti quan-
do voluerit, sicque inter ipsius dictum, & factum
non extitit medium.*

Dionys. Carthus. in cap 18. Lucæ fol. 319 fac. 2 E.

Et D. Hilarius apud eundem ibid.

10. Quid inter filium Dei, ac Centu-
rionem, cujus servus, qui incurabili inva-
litudine premebatur, jam jurisdictioni
mortis consignandus erat evenisse sanctus
Marcus recenset in mentem revocate. *Ac-
cessit ad Iesum centurio* Sed cur?ur ei morbum
periculosum servi indicaret: *Puer meus ja-
cet in domo paraliticus, & malè torquetur.* Hic
sisto, ac eam solam infirmitatem propone-
re, nec aliquam medelam flagitare obser-
vo: cur non dicit, *Veni, & impera infirmitati,
veni, & sana.* Forsan nimium elatus erat?
forsan dedignabatur Christum? minimè,
nam in persona propria ipsum accessit. *Ac-
cessit centurio*, & quamvis nonnulli eum a-
lios misisse dicant, tamen ergo credo Di-
vo Matthæo dicenti: *Accessit centurio* Nunc
sane eò magis duo verba addere, vel ut ve-
niret, vel ut suâ virtute, quam omnipo-
tentem, ac infinitam credebat sanitati eum
restitueret, poterat. Ego eum non solum
significasse morbum, sed & remedium ro-
gitasse credo. Sed Christus, qui ejus cogi-
tatus penetrabat, qui ejus vota perspicie-
bat ejus supplicam non exspectavit, sed
subito paratum, dicens: *Ego veniam, & cu-
rabo eum*, se declarat: ac si dixisset, esto nil
aliud dicas, te intellexi, quid facto opus
sit scio, voti compos eris. *Nota promptum
Christi animum ad benefaciendum, & sanan-
dum paralyticum, quo plus offert centurioni,
quam ipse petierat* Et sanctus Basilius Seleu-
ciensis subnectit, *quod beneficio preces ante-
vertit*, sed mihi necdum satisfactum, & ali-
ud dubium menti meæ oboritur. Si Chri-
stus se venturum ut eum à paralysi liberet,
Ego veniam, & curabo eum, dixit; & cur po-
stea non ivit? ergone verbis suis non ste-
tit? eum impeditum ab ipso centurione
dicente: *Non sum dignus, ut intres sub tectum
meum.* Respondere posset, Hæc verba re-
verentiæ, modestiæ, ac humilitatis esse ef-
fectus scio. Ergo ipsemet sicut ipse centu-
rio in persona eum supplicaturus accessit
ire debuit Dicite N. si Christus ipsemet
ivisset, an non gratia ad certum tempus
quod eundo consumpsisset fuisset dilata?
absque dubio, quia ut homo corporeus e-
rat, corpus à medio ne in momento ad ter-
minum ad quem pertingat detinetur.
Quid ergo fecit verbum incarnatum? non
ivit in propria persona ne sanitatem differ-
ret, & suâ virtute ad eum se conferendo,
in instanti ad infirmum pervenit, & ideo
sanatus est puer in illa hora, imò verba do Dio-
nysii Carthusiani, *eodem ut puto momento, quo
Christus verba hæc protulit, vel quo centurio ea
audivit*

Matth. cap. 8.

Cornel. à Lapid. ibi. fol. 189. col 2. v. 8.

Basil. Seleuc. Or. 19.

Matth. 8.

Dionys. Carthus. in cap. 8. Matth. fol. 76. Fac. 2. E.

11. Alias variis observationibus ex do-
ctrina sanctorum Patrum petitionem la-
tronis, ac Christi responsionem ad ean-

dem ponderavimus. Alteram adhuc cujuslibet sensu ingeniosam, ac mysteriosam audite. Hic miserabilis, imò potiùs dixerim felix, & fortunatus, furtis deditus supremo vitæ momento paradisum etiam clepere voluit. Sed ejus locutionem, ac obsecrationem quâ Christo filio Dei factus est supplex attendite. *Memento*, ait *mei dum veneris in regnum tuum.* Vitam inter, ac mortem degebat, & meo sensu instar illius; qui num vivat, vel satis concesserit nescit loquitur. *Memento*: an forsan Deo memoria est adeo lubrica, ac labilis, ut te ei, quid actu opus sit in memoriam refricare debeas? mei? tui? si tui recordetur. Necessario tua scelera vindicabit. *Dum veneris.* Ergo actiones Dei, quæ tamen tempore non sunt mensurabiles, sed sunt supra tempus tu tempori astringere vis? ideo futura non longè absunt, sed ei omnia objecta præsentia sunt. *In regnum.* Vivens vasallus diaboli fuisti, & mortuus in regno cælesti dominari præsumis? mille infernos es promeritus, & adhuc sceptra, regna, ac coronas speres? *Tuum.* An nescis te facere nationale, ex illo quod tribus personis indivisim competit? nihilosecius, divinus crucifixus hæc omnia errata non curat, libellum acceptat supplicem, gratiosum ei remittit rescriptum, & gratiam in illo tenore, ac circumstantia uti audietis concedit. *Hodie mecum eris in paradiso*; omnia bene, quia Deus adeò est benevolus, ac urbanus, ut devotè & suppliciter ad divinam pietatem confugienti nil deneget. Sed illud *hodie*, non solum in speculationem, sed & in stuporem me agit. Hodie! hodie! responsum Christi latronis supplicæ non congruere putem. Hic ait: *Memento mei, dum veneris in regnum tuum. Dum*, & Christus respondet hodie? hodie? Tò *dum* quadraginta dies, post quos crucifixus Redemptor gloriosè suscitatus cælum subivit connotat. Ac si dixisset: Domine id gratiæ, ut non hodie sed post quadraginta dies regnum mihi largiaris cæleste obsecro. Hoc ego contentor. Christus vero jam latroni converso benè affectus, mihi dicere voluisse videtur. *Cum venero in regnum meum.* Et quò sit possibile, quod amor, quo erga te feror tantum tempus, decursum scilicet quadraginta dierum exspectet? Non. Non, *amor non sustinet moras.* Hodie? hodie, *non dum venero*; sed *hodie mecum eris in paradiso*, hoc est, ut explanat sanctus Pater Augustinus, *subito in ictu oculi in cælum transivit.* Et Divus Ambrosius; *Hodie mecum eris in paradiso; non in aliud differt tempus, non in diem alterum reservatur, ipsâ horâ, quâ paradisus Deum suscepit, suscepit & latronem.* Idem Eusebius Præsul Emissenorum confirmat: *Hodie mecum eris in paradiso, tanquam si diceret; quid me, ô fidelis meus comes, & unicus tanti testis triumphi tantopere exorandum putas, ut in diem judicii mei meminerìs tui? quid me ad præsentem retributionem paratum longè dissimulas? quid in futura sæcula fidem in te perfectam fatigas? Hodie, hodie mecum eris in paradiso.* Amor qui inter nos intercedit nullam dilationem temporis, vel diei patitur. *Amor non sustinet moras.*

Luc. 23. num. 42.

D. P. August. t. 10. ferm 130. & in Parasc. fol. 193 col. 4. I.

D. Ambr. t. 3 ferm. 45. de Latr fol. 172

Eusebius Emissen.

12. Filium Dei resurrexisse res est certissima, & qui id negaret, ille unum mysteriorum principalium fidei nostræ inficiaretur, *si Christus non surrexisset, inanis esset fides nostra.* Et revera hoc est certum; sed quoad tempus resurrectionis ejus difficultas movetur. Ille se per tres dies, & noctes tumulo conditum, declarat, ac Jonæ exemplo confirmat. *Sicut Ionas fuit in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus, sic erit filius hominis in corde terræ. In corde, id est, in imo terræ, hoc est intra terram, sicut cor est intra corpus hominis, quia Christus in cruce mortuus quoad corpus positus fuit in sepulchro.* Hic nil est quod replicem. Cardo in hoc versatur, quomodo per tres dies, & noctes sepulchro abditus fuerit, quia quoad noctes ego duas nempe illam quæ immediate sequitur diem veneris, ac illam quæ sabbatum (in fine enim hujus, & ortu diei Dominicæ *valde mane* resurrexit) tantum numerari posse judico. Ergo sunt duæ noctes, & non tres. *Iuxta hunc computum duæ tantum noctes reperiuntur, quibus Christus fuit in sepulchro.* Tres fuerunt dies, sed non totales, & completi, nam tertius scilicet dominicus vix orsus fuit. Ideo dicunt scriptores; *Tres hosce dies naturales accipe, non integros, sed partiales per synecdochen, scilicet partem ultimam diei Vene-*

1. Cor. 15.

Matth. 12 Cornel à Lapid. ibi. fol. 265. col. 1.

Idem ibid col 2.

Idem ibid.

Veneris, totum Sabbatum, ac partem diei Dominicæ; nam illius Aurorâ elucescente resurrexit. Quomodo ergo dixit Ecclesia: *Resurrexit sicut dixit?* quomodo & Apostoli prædicarunt: *Resurrexit secundum Scripturas?* varias responsiones Scriptores adducunt; nonnulli esse locutionem per periphrasim, ac dies esse naturales, & usuales volunt. Alii esse dies, ac noctes juxta morem Romanorum, qui testantibus Macrobio, Aulio Gellio, Plinio, *A media nocte in aliam dies computabant*, asserunt. Et juxta hunc computum certum est quod tres dies, ac noctes non fuerint completæ, & ut autumat sanctus Augustinus, sanctus Hieronymus, Theophilactus, & Beda est locutio per synecdochen, quâ pars pro toto capitur. Et si juxta doctrinam Divi Thomæ tribus noctibus, ac diebus tumulo recondi voluit, ut Manichæos monstra hæreticalia dicentes Christum non fuisse verè mortuum confunderet, eorumque errorem detegeret, en verba sancti: *In hoc confunditur error Manichæi dicentis, quod non in veritate mortuus est.* Ergo ut eos melius convinceret tres dies, ac noctes totales in sepulchro transmittere debuit. Quis ergo resuscitationem Christi acceleravit, & terminum completum trium dierum ac noctium prævenit? ego amorem grandem, quo erga Discipulos ardebat causam fuisse, ut dilationem impatienter ferret, nec cursum trium dierum, ac noctium præstolari posset credo. *Amor est impatiens moræ.* Discipuli mei afflicti, ac desolati sunt, visceribus meis hærent, quamlibet horam, ut eos videam, meoque aspectu consoler, mille annos reputo. Amor moram trium dierum, ac noctium totalium non patitur: tempus præscriptum præventione truncare volo. Ab affectu, quo erga eos feror, cogi me video. *Amor non sustinet moras.* Hinc Eusebius Gallicanus: *Quid est quod dicit, tertiâ die resurrexerit, cum sexta Sabbati die jam inclinante transierit, & Dominica nondum lucescente surrexit, & solus dies Sabbati in medio fuisse monstretur.* Ah diutius moram trahere non potuit, ignaviæque frena rupit, & tempus trium dierum abbreviare voluit: *Verè ergo mortuus est, & verè post hoc abbreviatum triduum resurrexit.* Nil ergo miri si discedens sanctè se brevi reversurum Apostolis promittat; *Iterum modicum, & videbitis me.*

Ioan. Mal. con. ibid. fol. 271. col 2. C.
Macrob. lib. 1. Saturn.
Aul Gel. lib. 3. c. 2.
Plin lib. 2. c. 77.
Vide D. P. August. de consensu Evang. lib. 3. cap. 14.
D. Thom. in cap. 12. Matth fol. 38. col 3. H.
Euseb. Gallic. t. c. Bibl PP. de Symbolo hom. 2. fol. 554. col. 2. G. H

13. Nos qui tanquam Christiani ejus insistere vestigiis deberemus quam longè non ab illo distamus? ille nos adeo tenerè amat, ut dum agitur de nostro bono, momentum differre non possit, & nos adeo in iis, quæ bonum animæ nostræ concernunt, ac in gloriam Dei redundant desides simus? id ex eo, quia animæ, ac amori Dei non afficimur oritur. Si Ecclesia sit adeunda, si ex officio Christiani missa auscultanda homo ad id non posse induci videtur. Si religioso sit recitandum officium divinum, illud potius putridum, quam bene maturum Deo offert, nec unquam hora bene agendi reperitur; sed si postea res sit de Dei offensis, de scelere aliquo perpetrando, potius hodie quam cras illud opus aggredimur. Et jure dici potest *Cùm Deus tam diligens sit ut nobis det bona, nos per oppositum diligentes sumus ad malum, & pigri ad bonum.* Vix Aaron a Domicellis Israëliticis fabricando vitulo torques, annulos petierat, ac illico omni auro se privantes illud ejus manibus consignarunt: *Filii Israel nondum Aaron verba finiebat, quando dederant ei jocalia, & in aures ad idolum fabricandum.* At ingratiam Dei pro sublevamine pauperum nec obolus æris vilissimi erogatur. Et quod rogo non aurei, ac argentei quotidie lusibus, vanitatibus, prostibulis impenduntur? ut operibus virtutum nos demus, pedibus, oculis, & manibus caremus, sed ut vitiis ac spurcitiis sensuum nos impendamus Argi, atque Briarei sumus; nulla est via tam ardua, ac difficilis quam non aggrediatur. Non sunt ei pedes plumbei, sed alati: *Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem.* Et meritò dici potest. *Imperat virtus & dormimus, imperat vitium & currimus. Faciles sumus ad vitia, & desides ad opera virtutum.* Vos si Deum amatis, bene operari non differte, sique ante hac fuistis inertes, nunc id emendate,

Didacus Stella in cap. 15. Luc. fol. 372. col. 2
Idem ibid.
Psal 13. 3.

date, ac corrigite, & hujusce rei hoc mane promptè inopibus Jesu Christi eleëmosynam largiendo signum ostendite, & quiescamus.

ALTERA PARS.

14. SI generaliter ad opera pia in honorem Dei redundantia, orbis inertiâ, ac negligentia pinsus est; nihilominus plures se hostes manifestos negligentiæ declarant. En unam Scripturam. Moyses, ut jussa legis observandæ à Deo accepit totum populum convocavit; eaque iis promulgavit, & severè servari præcepit: *Assumensque volumen fœderis, legit audiente populo.* O quotnam sint, qui ad præceptiones superiorum caput movent, & recalcitrant? & nihilosecius totus populus Moysis adeo numerosus, & aliquot millenis constans uno ore se paratos exhibent, ac sub pœna offensæ divinæ, & Moysis disgratiæ incurrendæ, quacunquè etiam ex necessitate se non transgressuros illa præcepta spondent. *Omnia quæ locutus est nobis Dominus, faciemus, & erimus obedientes.* Septuaginta velut habemus in glossa interlineari legunt, *faciemus, & audiemus.* Hic modus loquendi Divo Augustino nempe primo, *faciemus*, & postea *audiemus*, non placet. Auditus executionem præcedere debet. Prius lex sanciri, dein legem, & jussa audire, postea in opus illa redigere oportet. Ergo dicere *faciemus*, & postea *audiemus*, ordo inversus est, *Cùm videatur ordo postulare audiemus, & faciemus.* Et quod magis demiror est, quod Divus Pater Augustinus Tò *audiemus* loco *intelligemus* substitutum esse asserat. Hæc ejus sunt verba: *Audiemus pro eo positum est, quod intelligemus.* Hæc ego non possum capere, quia experientia, & tota Philosophia mihi contrarium suadent. *Audire* ad intellectum, *facere* ad voluntatem pertinere res est certa. Cum voluntas sit cæca, ac debeat duci ab intellectu, hicque voluntati verum, & falsum, bonum, & malum proponere debeat intellectus præcedere debet. Hinc Aristotelis, ac omnium Philosophorum doctrina est. *Nihil volitum quin præcognitum & nihil est in voluntate, quod antecedenter non fuerit in intellectu.* Quomodo ergo bene præcedat præcognitum volito, ac *facere audire*? ni fallor populus Moysi se adeò diligentem, & solertem ob amorem, quo erga Moysen ducem suum, vel potius erga Deum ferebatur à quo tot favores retulerat contestari voluit, ut si res esset possibilis primo mandata executioni daret, quam audiret, ac intelligeret. Hic sanctus Pater Augustinus subnectit. *Prius oportet verbis Dei reddere faciendi servitutem, ut ad intelligentiam earum rerum, quæ ipso præcipiente fiunt merito devotionis, quâ non contempta, sed facta sunt, ipse perducat.*

Exod. 24. 7.

Ibidem.

Glossa interlin.

D P. August. Tom. 4 qq. in Exod. L. 2 fol. 36. col. 2, D.

Arist.

D. P. Augustin. ubi supra.

15. In ruborem cujuslibet Christiani, qui iners, ac deses est, in via salutis, & servitio Dei coronidis loco id quod de Eliezer servo fideli Abraham Scriptura recenset adducere volo. Deus jure jurando seni patri Abraham se unigenito suo filio Isaac juvenculum, quæ vultu cum venustatis flore certaret in sponsam daturum promisit. Camelos plures instruit, ac nobilibus, & pretiosis muneribus ornat, atque in Mesopotamiam se confert. *Tulitque decem camelos de grege Domini sui, & abiit, ex omnibus bonis ejus portans secum: profectusque perrexit in Mesopotamiam ad urbem Nachor.* Rebeccæ occurrit, ac videns eam non minori comitate, modestiaque quam venustate præditam, puellam Domino suo convenientiorem reperire non credit, illam alloquitur; animum suum ei aperit, multa regalia donaria, gemmas, inaures, torques aureas, ei largitur & domum ejus petens ab ejus parentibus illam in sponsam suo Domino Isaac filio magni Abrahami rogat. Omnes petitionem non esse malam intelligunt, & dum audiunt Rebeccam domum divitem intraturam, ac dominam, & madominam futuram tam bono matrimonio omnes nullo dempto consentiunt. Matrimonio contracto Eliezer se viæ parat ut Isaac læ-

Gen. 24. 10.

tus nuncius sit. Nemo erat, qui eum instanter detinere non peteret, sed ille iter non differre jam resolvens ait: *Nolite me retinere, quia dominus direxit viam meam, dimitte me ut pergam ad Dominum meum.* Acsi dixisset, ego libenter adhuc per aliquot dies vobiscum manerem, si reditus celer à dominis meis mihi non fuisset mandatus, tunc enim aliquam excusationem invenire possem, sed quia Deus id jussit, ideo iter differre nequeo: *Quia Dominus direxit viam meam dimitte me.* Qui Deum amat, eique servit, ille ejus nutus sine morâ exequi, ejusque jussa de die in diem rejicere non debet. *Si ab hominibus mea fuisset directa via, morulis possem uti: At quia à Domino est directa, necessum gressus maturare; invisus namque altissimo tarda nescienti molimina, qui cœlestia negotia negligenter agit.* In non procrastinandis divinis mandatis Eliezer vestigijs insistite. Et si servum imitari detrectatis; quin actiones Domini universi, qui quia Apostolos tenerè amabat, reditum ad eosdem absque cunctatione promisit sub oculos ponatis recusare non debetis. *Modicum & videbitis me.* Et ite in pace.

Exod. 24. 26.

Anton. de Escob in cap 24. Exodi fol. 219. col. 1. v. 56.

DOMINICA QVARTA
POST PASCHA.

Expedit vobis ut ego vadam, si enim non abiero paraclitus non veniet ad vos, si autem abiero mittam eum ad vos. Joan. cap. 16.

ARGVMENTVM.

Nihil magis nos excitat ad bene operandum quem spes pramii nobis promissi, ideo enim & Apostoli non sunt tristati dum Christus ascendit, & alii maximas difficultates superarunt.

1. SOcrates ille magnus Philosophus interrogatus quomodo respublica bene possit gubernari, & quomodo omnium animi cum satisfactione omnium lucrari queant, *cum boni invitantur pramiis* respondit. Ita: quia *spes remunerationis est calcar ad fortiter operandum.* Non est ars, quæ sine hac inertiâ non torpeat, nec est virtus quæ difficultate perterrita victrices non det manus, ac ad pedes otii non procumbat: *Tolle spem pramii* scribit sanctus Zeno *artes, virtutesque universæ cessabunt.* Et quis animum unquam daret speculationibus, & visum per libros perderet nisi verticem diademate virtutum redimendum speraret? *quis enim* ait idem Divus Zeno, *virtutem amplectitur ipsam, præmia si desint* Quando unquam inter solitaria nemora frondosæ sylvæ neglectâ intemperie aëris per errantes sudarent venatores. *Pernoctant venatores in nive*: observat Marcus Tullius. Nisi spes capiendarum ferarum iis lapis Philosophorum esset, qui labores in refrigeria, incommoda in delectamenta verteret? mundus nulli quam aulico, cui certæ sunt afflictiones, incertum lucrum, vitam laboriosiorem, difficiliorem, ac miseriorem dispensat, & tamen melle spei, quâ suo tempore præmium sudorum, & duræ servitutis sperat nutritur. An lacerum Agricolam molestias æstatis, difficultates hyemis toleraturum pu-

Bruson. lib 5. c. 8.

D. Zeno serm. de fide, spe & charitate.

M. Tul.

D. Zeno.

tatis, nisi suo tempore copiosam speraret messem? *Quid agricola semina spargit, si sudoris sui præmium non colligit?*

2. Practicus nauta undis fluctuosis pelagi merces non committeret, nec vitam exponeret naufragiis nisi post tot discrimina portum tranquillum, & supra montes auri auctarium lucri videret? *Quid nauta vate profundo gurgiti committit, si ei nunquam lucrum, nunquam portus desideratus occurrit.*

3. Ego mihi nequaquam persuaserim militem pectus objecturum oribus metallorum, vel sese oppositurum aciei hastarum, ac gladiorum, nisi firmiter monetâ sanguinis honores, & victoriam emere proponeret: *Quid miles seipsum contemnit, si spem futuræ gloriæ non gerit?* unde expressè argumentor, *si tollas spem præmii, artes universæque virtutes cessabunt*; imò magnus Pontifex Divus Gregorius adjungit: *Quidquid intollerabile nostræ pusillanimitati, hoc leve, ac facile spes remunerationis ostendit.*

D. Greg.

4. Discipuli Christum magistrum suum paulò post ab iis in cœlum discessurum audientes, cor, ac animam transfigi senserunt: *Vado ad eum qui misit me*; ô quam acerbum nuncium! contristabatur ait Divus Pater Augustinus, *humanus affectus, quia carnalis desolabatur aspectus*; Et quid evenit? *quia hæc locutus sum vobis tristitia implevit cor vestrum*: En omnes afflictos, En labra suspirijs oculos lacrymis innundantia. Sed ut audierunt, *Expedit vobis ut ego vadam, vobis*, hoc est, pro vestro bono; *Et si abiero mittam paraclitum ad vos*, frontem exporrexerunt, vultum exhilararunt, mœrorem posuerunt, ac à spe præmij scilicet missionis spiritus sancti, dolorem remittunt, abitum Christi facillimè supportant, ac spes præmij omnem tristitiam, & amaritudinem pellit. Hinc Beda, *ideoque capaces spiritus jam facti erant, non ultra de morte ejus contristati, sed de promissione ejus muneris lætati, & dum spem misericordiæ cœlestis inspirat, profecto ab angore tristitiæ mentem illustrando sublevat.* Verum quantum possit spes remunerationis, ac præmij hoc discursu videbimus.

Jo. 16.
D. P. Aug. tract. 94. in Io.
Et Beda in Bibl. homil. to. 3. fol. 86 hom. 1. col. 1.
Beda in Bibl. hom. to. 3. Dom. 4. post Pascha hom. 2. fol. 90. fol. 1.

PARS PRIMA.

Si autem abiero mittam eum ad vos.

5. VAlerius Maximus recenset Hegesiam Philosophum, ac Rhetorem tantâ persuadendi valuisse energiâ, ut quadam die de miserijs humanæ vitæ perorans omnes auditores ut varij generis mortes sibi inferrent, persuaserit: *Cum fusa oratione ageret de miseriis vitæ humanæ, tantâ dicendi facultate valebat peritia, ut plurimi spontè se in mortem præcipites darent.* Porro retributio præmij quanto potentius quam ars declamandi bona opera persuadeat? Hinc Divus Paulus ut Galatas ad opera virtuosa impelleret, nullum opportunius medium, quam præmium iis proposuit. *Bonum facientes non deficiamus, tempore enim suo metemus*: en remunerationem Thebani rempublicam Lacedæmoniorum continuo in vigore felicitatis servari, sic ut nec minima inter cives oriretur discordia, mirabantur. Hujusce rei ut causam scirent sapientem aliquem, qui singula curiosius observaret, leges, ac modum vivendi notaret oblegarunt. Ivit, & omnibus exactè observatis Thebas redijt, senatum ingreditur, ac pro responso fascem instrumentorum, quibus justitia in reos advertit explicuit dicens: *En oculis spectate ô cives Thebani, quid Laconum disciplinam sanciat; nemo apud ipsos vitiosus est impunè; sunt sua virtuti præmia, sunt & sua sceleri supplicia.* Si ergo hic rigor frenum fuit coërcendis delinquentibus quomodo præmium non erit efficax ut animos ad virtutem excitet? *sunt sua virtuti præmia, sunt sua sceleri supplicia.*

Valer. Max. Lib. 8. c. 9. Apud Vegam in festo S. Domin. fol. 614.
Ad Galat. c. 6.
Hieron. Drexelius t. 1 cap. 9. desperatio. fol. 167. col. 1.

6. Sempronius Graijus dum pauco milite, & quidem mancipe cum Annonibus, & Lucanis dimicaturus esset, ut suos ad pugnam animaret, ac victoriam certam redderet, cuique libertatem promisit; utque velificari cœptum, desiderium consequendi præmium libertatis, ita eos reddidit intrepidos, ac tam animosè pugnarunt, ut hoste strato triumpharint. Henricus Quintus Angelorum Rex in Gallos iturus militibus suis spem præmij prædæ scili-

Petrus de Valderam in Conc. SS. Apost. Philip. & Iacobi fol. 22. col. 1.

scilicet obtinendæ ante oculos obversari continuo voluit. Hinc characteribus aureis hæc *imperii spes alta futuri* vexillis incidi voluit. Regis Megaræ filius dum venans in sylva à ferocissimo quodam leone invaderetur, qui miserum dilaceravit principem, eumque occidit, Pater tanto dolore est confectus tantâque irâ in feram exarsit, ut leonem occisuro filiam in præmium polliceretur. Alcathoum hæc merces ita animavit, spesque præmii tantos ei spiritus addidit, ut leonem discerpens exanguem eum posterneret. *Alcathous præmio illectus generosè feram aggressus eam confodit, ac proinde gener Regis effectus congruâ fuit laurea compensatus.* Non absimile Heroicum factum in sacris Historiis à pastorculo David, dum illectus spe præmij, quâ regio edicto devincenti Philisthæum Michol Saulis filia in conjugem promittebatur cum formidabili, ac Giganteâ illâ mole certamen iniit lego. *Virum qui percusserit eum ditabit Rex divitiis magnis, & filiam suam dabit ei, & domum patris ejus faciet absque tributo in Israel* Generosus ergo puer, ut præmia illa obtineret, & particulariter ut Michol sibi copularet, ac gener Regis fieret, pugnam aggreditur, & quidem tam feliciter ut hostem sterneret, eique caput adimeret; *Pugnavit* ait Abulensis *David non cupiditate honoris, sed amoris, ut eam, quam amaverat in uxorem regis filiam obtineret.*

Marcel. de Pise to 1. fol. 570.

Idem to. 4. fol. 766. col. 2.

Ex Pausan in Atticis.

1. Reg. 17. 25.

Abulensis ibidem.

7. David assuetus non solum ardua aggredi, sed & superare, spem præmij sub oculos sibi ponendo quadam vice cum Deo de observantiâ, & qualitate divinarum jussionum tractans dicebat: *propter verba labiorum tuorum, ego custodivi vias duras*, perinde ac diceret; præcepa tua ô domine difficilia observatu sunt; idcirco omnibus viribus in id sum ne ea violem, non solum quia id æquitati convenit, sed specialiter quia expresè, & clarè ea severè, ac sanctè observari ore tuo sancisti: *propter verba labiorum tuorum*; en jussionem, *Ego custodivi vias duras*; en præcepta. Sed cur dixit *vias duras*: hoc est præcepta difficilia? non, non erro, sunt suavia, ac facillima observatu: qui eorum executioni se accingunt, non vias tortuosas, saxosas, invias, ac spinosas, sed planas, amplas, absque offendiculo, rosis vernantes, & floridas inambulare videntur. *Latum mandatum tuum nimis*; siste David. Vel ego hæc mandata non novi, vel tu experientiam eorum non habes; filiolum recens natum submittere circumcisioni, ex eo elicere cruorem, abstinere à carnibus ciborum forsan sapidissimo est, *latum mãdatum tuum nimis*? diebus Sabbathinis vetare ignem instrui, ne quidem cibis coquendis corpori humano sustentando necessarijs, interdicere ne porrigatur manus in foveam lapso, *juxta illud, sabbata sancta colo, de stercore surgere nolo.* An forsan præcepta sunt de quibus dici possit, *latum mandatum tuum nimis*? oculos mihi dare, ac aspectum puellæ formosæ permittere, & dein vetare ne affectu voluntatis illa concupiscam quod ex se est amabile; quantumvis famelico, vel nudo cavere, ne manus in alterius opes meis succurrendis egestatibus inferat. An hæc sunt *latum mandatum tuum nimis*? Si hæc jussa sunt via, quæ ad cœlum ducunt, scio quid verax dixerit Messias: *Angusta est porta, & arcta est via, quæ ducit ad vitam.* Tam arcta ut sanctus Petrus utroque pede distento eam inambulare non potuerit, sed in cruce unum alteri superponere debuerit, ut sanctus Paulus, quia procerus, verticem à trunco procidere, sanctus Erasmus viscera ejicere; sanctus Bartholomæus pellem detrahere necesse habuerint. Benè ergo dixisti. *Custodivi vias duras*, & non *latum mandatum tuum nimis*.

Ps. ib.

Matt. 7. Luc. 13.

8. Sed quod ipse filius Dei de ijsdem præceptis cum discipulis sermonem texens eadem suavia, dulcia, levia, grata vocet id mihi indagine altiori scrutandum est. *Iugum meum suave est, & onus meum leve*; diebus Veneris, ac Saturni sibi temperare à carnibus, cibis vesci grossis, & crudis stomacho haud conducentibus, tot vigilias, tot quadragesimas traducere, an hæc sunt *jugum suave, & onus leve*? quod sim natus in mundo, degam in mundo, agam cum mundo, nec cogitationem unam habeam mundanam? quod sim carneus, nec ullam titillationem carnis sentiam? quod in me sit irascibilis, nec ullus mihi sit affectus iræ? si quis alapam infligit, ei osculer manus, si convitijs non nemo me petat, ei ego lingua benedicam; an hæc omnia dici possunt *jugum suave, & onus leve*? Hic sub-

Matt. 11. 30.

subintrat Theophylactus, & quod quantumvis præcepta divina aspera, ac difficilia appareant, nec onus humeris nostris aptum, sed jugum, ac pondus videantur, tamen si præmium quod eorum observatione meremur, spectemus suavia, ac levia esse asserit, *suave, & leve; omnia mandata Christi dicuntur jugum suave, & onus leve; quoniam propter futuram retributionem verè brevia sunt, & si ad breve tempus gravia videantur* Hac de causa sanctiones, quas sertatus vates dura, ac ardua expertus fuerat. *Custodivi vias duras*: postea easdem leves, & suaves reperiebat. *Latum mandatum tuum nimis*; & quomodo? an non intelligitis quam expresse, id declaret? *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum propter retributionem.* Hoc totum ex eo provenit, quod præmium, quod à Deo speravit sub oculos posuerit. Hinc ait sanctus Bruno, *justificationes tuas hoc est, mandata tua, quæ ego propter retributionem vitæ æternæ facere propria voluntate decrevi.* Et Theodoretus, *inclinavi*, &c. *Etenim cum prospexerim lucrum, quod hinc percipi solet, volens, libensque pro his sudores suscepi.* Nec non Divus Hieronymus. *Ad faciendas justificationes tuas, hoc est, mandata tua in æternum propter retributionem vitæ æternæ, ut illam merear percipere* Ac tandem sanctus Pater Augustinus, *propter quam retributionem dicit se inclinasse cor suum ad faciendas justificationes Dei, ut in æternum diligens, in æternum mereatur habere quod diligit* Quid ergo miri si David dixerit, *latum mandatum tuum nimis*? & quomodo non ex arce cordis Apostoli mitterent afflictiones, lachrymas abstergerent, suspiria temperarent, frontem exporrigerent, vultum exhilararent, dum magister eorum ijs dicit, vestro bono abeo, ac Spiritum sanctum se ijs missurum promittit? *Expedit ut ego vadam*, mittam eum ad vos

Theophyl.

Ps. 118.

D. Bruno to. 1[illegible]. Bibl. PP fol. 227. col. 1. n 11[illegible]. B.

D. Theod. ibi fol. [illegible] col. 2

D. Hieron. ibi t. 7. fol. [illegible]. col. 2.

D. Aug. t. 8 ibi fol. 302 col. 3 H.

9. Esto dolor summus eos invaderet quando magistrum suum abiturum audierunt, attamen quando verè iis astantibus in Olivarum rupe cælos ascendit, nec minimum signum doloris ob amissionem visus corporalis, & conversationis amantissimi sui magistri eos edidisse in sacro textu reperio. Eum discedentem cernunt, nec cor movetur, nec lacrymam emittunt, nec ullum suspirium ducunt. Sed patienti, ac læto animo tantam jacturam ferunt. Sacer textus hæc solum commemorat, *videntibus illis elevatus est & nubes suscepit eum ab oculis eorum* Et ut quidam observavit modernus; *Intuebantur euntem Iesum, & nullam emittebant vocem, nullum gemitum dabant* Revera quod Apostoli audientes Christum discessurum, adeo mœreant, ut cor amarore exuberat, videntes vero eum ascendere, ac à se avelli nec gemitum edant, oculi non turbentur, nec umbra doloris in vultu notetur, mihi res paradoxa, ac incredibilis videtur. Sed linquamus Apostolos, ne redemptor eorum oculis subducatur, & ex vertice Olivario ad ripam fluvii Jordani nos conferamus. Hic Deus volens ad cœlum transferre sanctum vatem Eliam, dum hic interim sermones misceret cum discipulo suo Elisæo, en illico currus igneus equi ignivomi è cœlo se deturbant, ac cursum furibundum & pernicem ante pedes magni servi Dei Eliæ terminant. *Cumque pergerent*; nunc linguam, quæ dolorem desolati discipuli, nimbos lacrymarum stillantes ex ejus oculis, voces quas suspiriis mixtas ex profundissimo abysso pectoris edebat, quomodo nunc præ dolore impatiens palmas concutiebat, nunc vestes discerpebat exprimere posset, optarem. Cum scripturâ dicere sufficit. *Elisæus autem videbat, & clamabat, Pater mi, Pater mi, currus Israel, & auriga ejus, & non vidit eum amplius, apprehenditque vestimenta sua, & scidit illa.* Nunc quanta sit diversitas inter Elisæum, ac Apostolos videre. Illi nec signum ostendunt mœroris, hic non nisi tristitiæ voces prodit Hic afflictione tabescit, illi abitu magistri nec hilum turbantur An forsan tenerius diligebatur Elias ab Elisæo, quam Christus à discipulis? minime, quinimo contrarium verum est. Unde ego cum quodam expositore inquiram. *Et cur Elisæus tot doloris, tot luctus signa promit in discessu Eliæ, & Apostoli in discessu Iesu nihil tale faciunt.* Disparitatem hanc esse quod Angelus Apostolis promiserit, eos Christum rursus visuros, ac ejus præsentiâ posituros. Divus Chrysostomus autumat. *Hic Iesus qui assumptus est à vobis in cœlum sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum.* Eum rursus cernemus, ô felix nuncium; facessant ploratus, apage, apage,

Act. Apost. cap. 1 9.

4 Reg. 2.

Act. Apost. cap. 1.

page, ô Elisæe ego tibi compatior jure clamas, & præ dolore vestes laceras, quia tuus magister abit, nec tibi apparet Angelus, vel alius, qui te spe quod additæ rediturus sit, vel quod eum visurus sis, soletur. Spes ergo boni promissi, remunerationis, vel præmij consequendi quantum non potest? Divus Chrysostomus dictas scripturas conferendo, ac nectendo id edicat. *Nec hoc faciunt Apostoli quod Elisæus fecisse docetur: conscidit vestimentum cum magistrum videret elevatum ad cœlum: non enim habuit præsentem Angelum, qui Eliam promitteret advenire: ne igitur isti hoc faciunt, ideo Angeli stabant animos eorum tristitiæ solatio revelantes.* — *Chrysost. ibidem.*

10. In medi tullio urbis Solimorum arx nomine Sion erat quam Jebusæi occupabant, hæc quia munitissima erat. Et Israelitarum Rex armis eam subigere non posset, in obsidione eam ad deditionem cogendam cinxit, verum nonnullos obsessi ablegarunt qui ei velut irrisoriè dicerent; *nisi abstuleris cæcos, & claudos non ingredieris huc*: hoc ait Abulensis, *intelligitur de Arce urbis in Ierusalē, scilicet de arce Sion.* Hos cœcos ac claudos variè exponunt sancti patres. Nonnulli dicunt Jebusæos adeo inexpugnabile censuisse illud propugnaculum, ut nullis egeat militibus, qui illud defensent. *Sed quod claudi, & cæci existentes supra murum possunt defendere urbem.* Alii affirmant à Jebusæis in mœnibus collocatas quasdam statuas lapideas quas vocabant cœcos, & claudos, non secus ac olim ad ostendendum quam inexpugnabilis, & munita esset urbs Tyrus, ad ejus defensionem locarunt in muris Pigmæos, *ut innuerent quod isti soli sufficiebant ad defensionem urbis*, arcem adeò munitam ostendere volebant, ut nullâ actione esset opus ad eam defendendam *Id est nihil agentes, quasi dicant, nobis etiam nihil agentibus nullus poterit intrare in urbem, quia fortissima.* Et quod maximè arcem illam muniebat erat murorum altitudo, quæ obsessoribus obstabat ne minimum quid agerent obsessi videre possent. Audite nunc N. quod rarum stratagema non minus ingeniosus, quam animosus miles nomine Joab sic referentibus Hebræis invenerit. Altissimam curavit truncari cedrum ac prope mœnia solo infigi, & ramos superiores ad terram usque inflectens necessarijs armis instructus, ac laborum Regis Davidis manu gestans, taxatis funibus qui deprimebant arborem paulatim attolli arborem quousque supereminceret muros illius arcis permisit. *Excelsam succidit cedrum: quam juxta arcis murum terræ defixit, atque assumpto clypeo, arrepto gladio vexillum regium ore gestans, arboris summitatem quam fune inclinaverat apprehendens, mandavit paululum attolli laxatis funibus in altum, donec arcis æquaret culmen.* Et hoc stratagemate arcem expugnavit, Jebusæos vicit, ac Rex palmam & propugnaculum tulit. Sed dicite N. quomodo hic miles tam rarum potuit invenire stratagema? quomodo periculo tam aperto vitæ se objecit? In libro Paralipomenon edictum regium legitote. Rex difficultatem grandem arcis adeo munitæ expugnandæ cernens voce præconis militē, qui modum arcis occupandæ, ac Jesubæos occidendi inventurus esset cohorte donādum promisit. *Omnis qui percusserit Iesubæum inprimis erit princeps, & dux.* Quo intellécto Joab filius Sarviæ periculis dictis se opposuit, & honorem cohortis præfecti reportavit; & sanè si Rex nullum præmium proposuisset, nemo tam arduam suscepisset provinciam. *Quidnam strenuo illi duci animum addidit, ut temerarium facinus auderet, mortisque sese exponere non vereretur discrimini. Quæris quid? propositum præmium magnanimitatis author, quod homines ad ardua moliendum stimulat; quæ quo magis fuerint ardua, eo majora merentur præmia.*

2. Reg. 5. — *Abulens. ibi q. 6. fol. 46. col. 2. 1.* — *Abul ibi. q. 7 fol. 47. col. 1.* — *Idem ibidem.* — *Didacus de la Vega. In Festo S. Dominici fol. 600. & Abul ubi sup.* — *Paralip. c. 11. 6.* — *Didacus de la Vega ubi sup.*

11. Moyses infans à parentibus in fiscillam scirpeam fuit compositus, & postea undarum discretioni fuit expositus. Filia Pharaonis amœnando animo ad ripam obambulans nescio quid non aquis innatare videt, ancillis in mandatis dat, ut, quid rei id sit explorent, illæ jussis parent, & elegantissimum, ac venustissimum infantem fiscillæ inclusum reperiunt; hic adeo huic principissæ placuit ut eum in filium adoptavit. *Quem illa adoptavit in locum filii, vocavitque nomen ejus Moyses.* Annosus factus, ac aulæ successus observans abire resolvit, & naturâ sanguinis inclinante ad nativam stirpem Hebræorum se contulit; actio revera observatione digna. In Aula Pharaonis ut princeps habebatur, ac adorabatur, & velut verus nepos Pharaonis tractabatur, — *Exod. 2. 10.*

tur, & nihilo secius honores, commoda, excellentias spernit, & cum contributis suis laborare, ac sudare vult, & potius cepe cum suis quam delicatis cibarijs aulæ frui desiderat? quod Divus Paulus Hebræis in mentem reducens sic scripsit: *Fide Moyses grandis factus negavit se esse filium filiæ Pharaonis.* Hoc est honoribus, renuntiare valedicere eminentijs, dignitates flocci pendere, quæ tamen tot medijs illicitis ab alijs procurantur. Archelaus filium Regis Mitridatis se finxit, ac Ptolomæo Regi Ægyptiorum successit. Andriscus homo plebeus filium Persei Regis Macedoniæ à Romanis devicti, ac captivi se vendidit. Quidam Barbarus Ariarati Cappadocum Regi à Marco Antonio occiso formâ simillimus maximæ partis orientis animos devincire ut se Regem proclamarent est ausus. Erofilus se nepotem Caji Marij est mentitus, & septies consulatum, ac primos honores senatus reportavit. Quidam Juvenis Hebræus se esse Alexandrum filium regis Judææ persuasit. Alter in Judæa, ac Iconia se Drusum Germanicum jactavit. Alter ex octavia sorore Augusti se natum, ejusque consanguineum se vendidit. Hic Henricum IV. Imperatorem, ille Richardum Britannorum Regem, iste filium Regis Norvegorum, hic fratrem Bajazzetti magni Turcæ, iste filium Regis Burgundiæ, hic Alfonsum Regem Hispaniæ, hic Fridericum secundum Imperatorem, hic Sebastianum Regem Lusitaniæ se simulavit. Et Moyses, qui optimo jure adorari, ac filius principissæ, & nepos Pharaonis Regis haberi poterat id recusat. Imò de eo sic testatur Apostolus. *Quod magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere jucunditatem: majores divitias existimans thesauro Ægyptiorum improperium Christi.* Si hujus causam indigare velitis id quod Apostolus subdit legere pergitote, ac Moysen præmium sibi à Deo promissum sub oculos posuisse invenietis; *Aspiciebat enim in remunerationem.* Et ut scribit Rhetor aureus, *cœlo enim proposito erat supervacaneum admirari Regiam Ægypti.* Et quid excellentius Christus Apostolis promittere poterat quam missionem Spiritus Sancti? *si abiero mittam eum ad vos*; hoc solari corda discipulorum sufficiens fuit, ac

Ad Hebræ. 11.24.

Ex Ioann. Baptist. Fulg.

Felix Astolph. in offic. histo-ric. id ad dit fol. 477.

Ad Hebræ. 11.24

D. Ioann. Chrysost.

vires addere, ut discessum illum patienter ferrent, & vultibus gaudium, ac serenitatem affundere valuit.

12. Magi natum Regem Judæorum audientes illico eum adoraturi ac debitum præstituri homagiam opulentissimis donis auri, thuris, & mirrhæ pergunt, ac stellâ duce Hierosolymam perveniunt, ubi in aula ritu, quo reges solent excipiuntur, & cum Herode discumbentes ubi, quo loco novellum Regem Judæorum reperire possent sciscitantur. *Vbi est qui natus est Rex Iudæorum?* hoc quæsito Herodem non esse verum Regem, vel quod brevi solio, ac sceptro exuendus foret insinuant. Verè magna est hæc injuria, vere contumelia hæc est talis quam usitata non ferat sufferentia; si vos essetis homines idiotæ, simplicium instar vos loqui dicerem, ac excusatione dignos pronuntiarem; sed cum sitis magnates inscitiam vestram quî tegam nescio. Et an estis ita inconsiderati, ut mentem non subeat forsan Regis cum quo agitis nasum à musca pungendum, ac vos brevi experturos quanti vobis constet alium Regem insinuasse natum. *Vivente Rege Herode, audent alium Regem nuntiare, & de illo quærere? cur non cavent pericula, quæ certo certius acclamationem novi Regis comitantur? cur non magis verentur præsentem Regem? cur non magis expavent tyrannum.*

13. Ut hoc punctum evademus ad illud quod sacer liber Geneseos de Patriarcha Abrahamo refert recurrere cogor. Deus cum eo loquitur, eique transitum quo suo tempore ex hac in alteram vitam migraturus erat, & quomodo annosâ multum ætate cum progenitoribus in somno pacis quieturus erat, revelat; *Tu autem ibis ad patres tuos in pace, sepultus in senectute bona*, hoc magnum tremorem ossibus, ac pavorem cordi ejus incusisse sacer Textus paulo ante commemorat. *Horror tenebrosus, & magnus invasit eum.* Magna res, sciens se esse mortalem, ac semel sibi moriendum esse cum sciret, quod mortem timeret non crediderim. Imò dum Deus ei revelaret, ac promitteret vitam longam, exitum tranquillum grates rependendo vires sumere, & exultare debebat. *In pace ac in senectute bona.* Eccur quæso pavescit, cur mortem metuit, ac horret? *Et quando illi promit-*

Matt. 2.

Didac. de Beza t. de Christo f. Lib. 6. c. 5. §. 21.

Gen. 15.

Gen. 15.

promittitur mors pacifica in senectute bona, quâ ad Patres proficiscatur, cur horret Abrahamus? tota ejus conturbatio ex hoc oriebatur, non quod credebat se iturum, ac visurum patres, sed quia sibi à Deo promittendum quod illico à morte, visione, & fruitione Didac de Messiæ potiturus esset, sperabat. *Horret equidem quia in morte iturus erat ad patres, & non ad Christum pro tunc.* Magi audacter, ac intrepide etiam de Novello Judæorum Rege coram Herode loquuntur, *ubi est qui natus est Rex Iudæorum?* nullam ulciscentiam, nec mortem, vel pœnam ob spem, quâ mercedem itineris ardui se obtenturos, ac Deum sibi à duce stellâ promissum reperturos sperabant. Dulces ergo illi labores debuerunt esse, qui tanto præmio digni fuerunt? Ab imperfecto hic meus discursus proficiatur. *Nunquid nesciebant, quia in Hierusalem regnabat Herodes? nunquid non intelligebant justitiam legis, quia quicunque Rege vivente alterum Regem pronunciat; & adorat quasi minister tyranni punitur sanguine?* Et nunc responsum notate; *Sed dum considerabant Regem futurum, non timebant regem præsentem; Adhuc non videbant Christum, & jam parati erant mori pro Christo.* Flocci pendebant pœnam, mortem in nihilo habebant, quia Dei desiderati, ac à cœlo promissi visu & fruitione sese potituros sperabant, sic & Apostoli contestantur, nec sentiunt abitum Christi, quia pauco post tempore Spiritum Sanctum à Christo promissum recepturos sese sperabant: *Si autem abiero, mittam eum ad vos*

Didac de Beza t 3. de Chr fig. lib 6. c. 5. §. 11. fol. 69.

Imperfectum.

14. Hic à Divo Petro eccur in rupe Thaboreâ non sibi, sed aliis tres domos construendi laborem sibi imponere voluerit, sciscitari luberet. *Faciamus hic tria tabernacula; tibi unum, Moysi unum, & Eliæ unum.* Quænam est hæc charitas Petri, ut sudare velit pro aliis? A sancto Paschasio causam quærite, & nullam ob aliam causam nisi quia gloriâ se remunerandum sperabat audietis: *Offerebat Petrus servitutis officium, accumulare sibi cupiens mercedem laboris.* Divum Paulum, quo fundamento labores hujus mundi esse faciles, & leves asseruerit, *momentaneum, & leve nostræ tribulationis pondus.* Et quomodo postea ad Corinthios scripserit, *supra mundum gravati sumus supra virtutem, ita ut tæderet nos etiam vivere?* interrogare vellem; quomodo ergo *momentaneum & leve;* an non aliâ vice labores, quos sufferebat, adversa, quæ tolerabat deploravit? *In laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter, ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum, ter naufragium feci, nocte & die in profundo maris fui* Et an tantos sustinere rigores, *est momentaneum & leve?* quomodo leve? ait Divus Chrysostomus? *quomodo? coronam proposuit nunc quidem invisibilem, & certamen simul fecit leve. Ostendit bravium, & desudantem solatus est.*

D. Pasch. Lib. 8 in Matt.

2 Cor. 4. 17.

2. Cor. 1. 8

2. Cor. 11. 23.

Chrysost. hom. 8. de Patientia.

Duos latrones in clivo Golgothæo defungentes cur unus Christum blaspemiis petat: *unus de his qui pendebant, latronibus, blasphemabat,* alter vero eum celebret, ac Dominum Paradysi exclamet, *memento mei Domine dum veneris in regnum tuum?* rogare in votis esset Quamvis sceleribus, cruce, patibulo sint pares, tamen unus salvatur, alter damnatur, unum brachiis spei excidisse, alterum brachijs spei complexum credo. Ille qui præmium non speravit crucem, infernum (sic agitur ubi non est spes) putavit; sed alteri, qui paradysum in spe habuit, crux rosæ, tormenta refrigerium, ideoque mortem velut dulcem, & suavem complectebatur, videbantur. *Spem* verba sunt Divi Gregorii, *habuit, qui regni ejus aditum postulavit dicens, memento mei dum &c.*

Luc. 23. 39.

An nostro redemptore sciscitari hic placeret, eccur animans discipulos ad amplectendam paupertatem, eam beatitudine donet, ac regno cœlesti æquet, *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum?* discurrens vero de adversis, difficultatibus quas divulgando per mundum Evangelium, prædicando fidem, animas acquirendo, coronâ gloriæ eorum vertices cingat, ac regno cœlesti se eos investituros, *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam,* promittat? ast ego eos infelices, ac miseros qui seminando rosas verbi divini, spinas, & tribulos afflictionum metent, dixerim. Non; sed retributione regni remunerabuntur: *quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Agnoscebat quidem Christus discipulos suos spargendo sanguinem, ac mortem subeundo, difficultates, & ærumnas multas perpessuros, sed spem beatitudinis, ac regni cœlestis, iis præparati ubi

Matt. 5. 3.

Matt. 5.

Ibidem.

perenniter fruituri gloriâ erant proponendo, hanc nil aliud esse quam eos animosos, & intrepidos reddere ad omnia contraria æquo animo toleranda omniaque obstacula superanda pectus ferro, seipsos morti subjiciendos sciebat. *Beati pauperes spiritu quoniam ipsorum est regnum cœlorum*, hoc est quod ait Chrysostomus, *Doctrinam suam, non sub specie mandatorum, atque exhortationis inducit, sed sub præmiis beatitudinum, ut scilicet sermonem ipsum faciat gratiorem.* Imo, quia pellendo hominem ad virtutem, drachma remunerationis, millenis exhortationibus, ac expressis jussionibus præstat. Ideo Deus hominem non velut belluas, vultu supino sed versus cœlum prono creavit, ut si per infortuniam difficultatem in bene operando, ac ei serviendo experiretur sub cortinis cœli mercedem laboribus correspondentem conspiciat.

Chrys hom 15. in Matt.

15. Sed hodie homo est adeo obstinati animi, ut ei flectendo ad bonum, ac virtutum amorem instillando nec exhortationes, nec jussa, nec præmia sufficiant. Si consulas paupertatem in faciem tibi spuet, si ob amorem Dei suadeas toleret calamitates mundi tibi dorsum vertere videtur. Si ad Eleemosynam erogandam egenis Christi morientibus fame exhorteris tibi necdum esse tempus respondebit; si dicas ut inimico ignoscat, fratri suo se reconciliet, occurret, si hoc faciendum sit potius ferro animam, veneno vitam pellere se velle. Si patientiam prædices, vilibus, ac ignobilibus, & non iis qui generoso sunt animo eam convenire dicent. Si moneas ut jejunent, debiles sunt stomacho, si ut orent, vertigine aguntur capitis, si virgis se cædant te eorum mortem velle, si cilicijs se amiciant, te eos in purgatorium ablegare respondebunt. Ego ait ille mundanus tot admonitiones non curo, futura non credo, mihi spes futurorum sunt mortuæ, resurrectionem non credo, præsentibus fruor, futura cui lubet linquo. Hi mihi piscatori illi similes videntur (è fabulis enim doctrinæ morales eruuntur) qui rete mari injectum dum attraheret, ac exploraret, inter alios pisces minutissimum pisciculum cepit, & quia illo ævo animalia loquebantur miser pisciculus sic ajebat: ô piscator quid ego tibi prosim? an non vides quod exilitate meâ, nec mensæ, nec venditioni serviam? sanius me manu mitteres, & paulatim è pisciculo piscis fierem, ac mea magnitudine tibi me caro vendendo, & lucrando nummos, consuleres. *Optime virorum quid te animalculum juvet tam minutum? quod si me manu mitteres è pisciculo piscis fierem, atque tunc, & sagenam tuam, & emptoris mensam ornarem.* Quid piscatorem respondisse censetis? valde inquit deliravero si præsens bonum quantumque minutum, ac exile majori, quod habeo. Si te rursus capiam, præponam. O quot ob bonum exiguum præsens, quod nomen boni non meretur, nec teruncio remunerationem, ac præmium æterni boni, quod est magnū, ac æternum non curant? *Et in eis rebus* ait S. Pater Augustinus, *quæ præterlabuntur, & transeunt spem ponimus*, laborate, sed ob remunerationem cœli, quæ vera, grandis, æterna & secura est. Hanc Christus discipulis spondet; *Expedit vobis ut ego vadam.* Sed & ego imitans salvatorem dicam, *Expedit vobis, & mihi*, ut ego taceam; cum vos audiendo, ac ego loquendo, lassi simus tempus est quiescendi.

Teren. in Adolph. Act. 2. Scen. 2.

Hieron. Drexelius de spe. p. 2. cap. 8 fol. 861 col. 1.

D. P Aug. to. de verb. Domin. serm. 29. c. 5.

ALTERA PARS.

16. QUomodo tres pueri Sidrac, Misac, Abdenago in fornacem quæ infernum alterum exhibebat missi sunt, & non solum non in cineres non sint redacti, imò nec signum doloris senserint, & carbones rosas putarint, ac flammas aurulam amœnam, & ventum suavem censuerint capere non possum. Verbo ille ignis veram œnum iis erat, & tamen Daniele referente scimus quod *Fornax succensa erat nimis*; ambulabāt, ludebant, saltabant, exultabant in medio furno, ubi flammæ vehementissimæ erant. *Et ambulabant in medio flammæ laudantes Deū, & benedicentes Domino.* Quomodo hoc fieri potest? quænam potuit hujusce rei esse causa? si ad miraculum recurraris dubium evanescit, & quæstio cessat. Ego quid Zeno è nostro proposito respondeat dicam. *Tres pueri in illo sacro certamine præ oculis Deum sibi proposuere non flammas, præmium futurum non pœnam.* Nunc N. quantum possit spes præmii, quod Deus promittit considerate.

Dan. 3.

Ibidem.

D Zeno serm. 1. de tribus pueris. fol. 181

17. Estne possibile quod mater filios suos charos, pignora viscerum torqueri videat, nec oculi nimbos stillent; quinimo generosa,

roſa, ac intrepida ne tormentis, & crudelitati tyranni ſe ſubtrahant, ſed libenti animo dilacerationem, ac mortem ſubeant, exhortetur? & quomodo ſeptem fratres involvi tot pœnis ſufferendis pares erant? & quomodo vires habebunt, vel unde robur perſuaſionibus matris, ne martyrium curent, nec vitam æſtiment? & ultimo ſpecialiter, dum trucidabatur animâs ajebat: ô mi charisſime, te meum eſſe filium, novẽ menſibus hoc utero te geſtatum, triennio lactatum, ad hanc ætatem à me te productum recorderis; & ſi hæc argumenta crudelitatem tyranni contemnendam tibi non ſuadeant, oculos in cælum conjice, & præmium quod Deus tuæ patientiæ parat, attende; *Peto nate ut aſpicias cælum.* O fæminam prudentem, ac ſapientem! ſic reciprocè filius matrem, mater filium ſpe præmii cæleſtis in tormentis ſe ſolabantur, & omnia quantumvis gravia levia eis reddebantur. Sic de matre Divus Chryſoſtomus dixit: *Videbat infernè tyrannum & in animo verſabat illum in cælis regnantem, videbat infra ſe tormenta, ac numerabat ſuperna bravia; videbat præſentem cruciatum, & cogitabat futuram immortalitatem.*

2. Mach. cap. 7. 28.

D. Chryſoſt. hom. 4. de verbis Iſaiæ Tom. 1.

18. De alia matrona non abſimili in hiſtoriis noſtri quaſi temporis, de magna ſcilicet illa viragine, ac Regina Amazona Chriſti Catharina vocata legimus. Hæc à Caaba Rege Perſarum in vincula acta, quantumvis ſæpius tentata, ac pulſata, nunquam tamen eo adigi potuit ut Evangelium Chriſti pedibus conculcaret, & fidem, quam tantâ veneratione ſemper erat profeſſa, ac faſſa, negaret. Unde cum Regis infidelis perſuaſiones, & minæ in ventos abirent, ad ſupplicia eſt itum. Nihilominus illa ſemper hæſit immobilis. Et dum crudelitatem ſuam ferociſſimam vinci à generoſitate fæminæ quid miri cenſeret, utramque mammillam ei præſcindi, ac reliqua membra lento igne amburi præcepit. Ipſemet lictor in corpus illud tenellum, ac innocuum crudelitatem exercere horrere videbatur. Sed barbarus Rex irâ accenſior ſanctam martyrem flammis prædam dari juſſit. Nec his eſt mota, aut ſe dedit, ſed pectoris uſtionem flocci fecit, & dummodo fides intacta maneret. Scitiſne quo ſecreto uſa fuerit ſuperandis his tormentis: præmia, quæ Deus ei parabat ſub oculos ponebat. Sic conſtans manſit, crudelitatem tyranni devicit, & fidem Chriſti ſervavit; audite quid inter flammas dixerit: *O Deus bone, quam tenui pretio vendis prædivites paradiſi merces. Momentaneum eſt quod cruciat, æternum quod delectat; exiguæ ſunt omnes ſarcinulæ noſtræ, quibus æterna præmia comparantur.* Hâc conſideratione dolores intrepida ſuſtinuit, ac victrix palmam martyrii, & præmium cæleſtis beatitudinis obtinuit.

Marcel. de Piſe t. 2. hom in Feſto om SS. fol. 197. col. 1.

19. Verum quidem eſt animi exiles inter procellas calamitatum hujus mundi fracto malo ſpei naufragium pati, ac perire. Hinc dæmon humorem peccantem agnoſcens aliud non ſpectat niſi ut ſpem præmii oculis, & intellectui ſubducat. Id in geſtis Jobi videbimus, ac concludemus. Sciens invictum illum Heroëm eſſe quendam firmum ſcopulum tempeſtatibus agitatum, inter alios, qui velut corvi infauſta illi nuntiarent, unum, qui qualiter ignis cæleſtis armenta, ac paſtores hauſiſſet referret, miſit: *Ignis deſcendit de cælo, & tactas oves pueroſque conſumpſit.* Quale eſt hoc ſtratagema, quod dæmon ignem è cælo in nocumentum patientis evocet? cur non adhibuit ignem infernalem? an adeo eſt ferox in ſuos damnatos, ut ignem mendicet, ne tormenta eorum mitigentur? aſtu hoc fecit, ut eum in præcipitia deſperationis ageret, ac ſic diſcurreret; è cælo præmia iis, qui dimicant ob lucrum meriti veniunt, mihi verò non præmia, ſed flagella illic mittuntur ignea, actum eſt de me, naufragium me pati in mari deſperationis video, dum exſpes cæleſtis remunerationis ſum. Hoc dæmon Jobum ignem è cælo, & non ex inferno petendo intendit. *Ignem* exponit Policronius è *cælo delapſum eſſe commentus eſt diabolus, ut eâ ratione juſto ſpem omnem præſidii eriperet, atque in laqueos eundem deſperationis induceret,* ſed ei non ſucceſſit quia Jobo inſidiæ diabolicæ notæ erant; igne cæleſti volebat ſpem patientis conſumere, ut ex cineribus ſpei deſperatio in Jobo ac victoria diabolica naſceretur. Ergo præmium eſſe debere panem, qui omni neceſſitate noſtram ſpem nutriat concludo. Nam ut dixit D. Amb. *Ibi colligitur pulvis, ubi palma proponitur.* Ac ite in pace.

Iob 1 ibid.

Polichronius in Cat. Græca.

D. Ambr. Tom. 4. cap. 21. fol. 336.

DOMINICA QVINTA

POST PASCHA.

Vſque modo non petiſtis quicquam in nomine meo; petite, & accipietis. Joan. cap. 16.

ARGVMENTVM.

Oratio adeò eſt potens ut ipſo verbo Dei ſanguine Chriſti imò ipſo Deo potentior ſit, ſemper impetrat, debet fieri in nomine Chriſti, & ut oportet.

1. Um Axioma ſit, quod veritas ſuum eſſe cognoſcit: *Qui vult efficaciter finem, vult etiã ea, id eſt, media quæ ſunt ad finem*; finem velle obtinere abſque eo quod media adhibeantur congrua, grandis demẽtia foret. Miles immeritus, qui virgam (quæ tamen melius ejus quadrat dorſo, quam manibus) præfecturæ ambit, ut votis fruatur, gratiam alicujus, per quam illam dignitatem, ac honorem aſſequatur, implorat. Nonnulli medium optimum divitias, ac dignitatem ſupremam obtinendi, ſi fortunæ capillos pugno apprehendant, cenſent. Hinc mercator, eſto eam videat nudam, & mendicam dum ſperat eâ mediante ſe opes obtenturum, velut numen ſuum, eam adorat. Palatinus, ſeu Aulicus, dum non videt, quod pilæ pedes innitantur, ac puncto acclinet, mox ut vela ejus vento contrarietatis inflantur, mortem ſpei, ac fiduciæ parturit, tamen ut ambitioſis votis potiatur, fortunam ut medium aptum eligit.

Hier. Drexelius tom. 4 fol 701 §. col. 1.

2. Dux Normannorum ſupremus Haddingus dum lunam civitatem, quam obſidione cingebat inexpugnabilem crederet, ut eam ſui juris faceret animum ad ſtratagema fallaciſſimum, cui par nunquam in Martis campo viſum applicuit, & quod animo dolis intendit obtinuit. Semiramis Aſſiriorum Regina mortuo marito ſuo Nino, quæ non media adhibuit, ut nemo ſolio donaretur? ſufficit dicere, *quod cum filio ſexum mentita eſt*. Ut Nero, cujus obſcurior fama, quam nomen ad culmen regni pertingeret, Agrippa media illi dignitati conſequendæ apta invenit: *Non tantum Brittannicum in mariti conſpectum venire prohibuit, ſed & Claudium locuſtæ veneficæ inſidiis è medio ſuſtulit, ut Nero imperii ſucceſſor fieret.* Animo adeò ferino, & crudeli fuit Conſtantinus hujus nominis Imperator IV. ut ad omnem aditum ad ſolium, & coronam fratribus præcudendam (quippe perſpectum habens venuſtatem velut illa Priami eſſe dignam imperio, nullum efficacius medium, quam præciſione naſi eos deturbare putarit *Duos fratres adhuc pueros naſibus ablatis dehoneſtavit, ne ad imperium quandoque aſpirarent.*

Iuſtin. lib. 1. in Trog. Diodor. lib 3. Sabell lib. 1. Xiphil. in Clau.

Volater. lib 19. Antrop.

3. Qualia media carnium, veſtium, pallium non excogitavit Jacob, ut benedictionem debitam Eſau extorqueret? Joſeph Novellus Dedalus, ut vincla excuteret, non fabricavit alas ex plumis, vel cerâ, ſed pincernam Pharaonis velut interceſſorem adhibuit: *Memento mei, ut ſuggeras Pharaoni, ut educat me de iſto carcere* Abſolon ut parentem injuſtè ſolio excuteret, & ipſe diadema ſibi raperet, quaſnam artes, ac media, nunc compaſſionem erga ſubditos, nunc æquitatem erga oppreſſos, nunc religionem ſuam erga Deum commendando non uſurpavit? ſanctus Petrus, ut certior fieret, quiſnam eſſet traditor Divum Joan-

Gen. 40. 14.

Ioan. 13. 14.

Joannem velut mediatorem adhibuit, *Erat recumbens unus ex Discipulis ejus in sinu IESU: innuit ergo huic Simon Petrus, & dixit ei, de quo dicit.* Ergo praxis est ab omnium exercitio trita, ubique experimento nota *quod qui vult finem, vult etiam media, quæ sunt ad finem.* Nos si gratias è cælo velimus medium à servatore nostro nobis traditum *petite & accipietis*; arripiamus. Orationem adhibere, hæc medium optimum consequendi à Deo, quod optamus, est. Hinc Divus Cyrillus. *Si petatis, & oretis, accipietis à Deo gratiarum copiam.* Et quia desideranti obtinere postulatio est necessaria, ego qui silentium exopto, submisissimè illud rogo, & certus sum, quod cum sitis humani illud mihi non negabitis.

D. Cyril. apud Cornel à Lap. in cap. 16. Ioan. v. 24.

PARS PRIMA.

Petite, & accipietis.

4. ORatio nil aliud est, quam manifestatio nostræ voluntatis ei, à quo gratiam obtinere speramus. Hinc definitur, *Est ostensio voluntatis nostræ facta ei, à quo impetrare speramus id, quod desideramus.* Sed hæc orationis in genere, ac ut sic descriptio est; sed si sermo sit de oratione, de qua in hodierno Evangello loquitur Christus ajens *Petite*: illam Divus Thomas sic nobis declarat, *Oratio est oris Oratio, per quam nostri cordis intima manifestamus.* Hæc oratio juxta Divum Patrem Augustinum nil aliud est, quam si loquaris cum Deo, si legas, si cum eo agas, si mente recollectus cum eo discurras. *Oratio tua locutio est cum Deo, quando legis, Deus tibi loquitur, quando oras, cum Deo loqueris.* Hæc adeo est potens, & tanta potest apud Deum ut idem sanctus Pater subnectat. *Oratio si pura est, si casta fuerit, cælos penetrans, vacua non redibit;* Si oratio velut mediator ad Deum adhibeatur gratias è cælo (tantæ est efficaciæ) effundit. De fonte quodam, qui in Regione Alesain medio quodam lacu reperitur raram proprietatem Solinus. recenset. Tota aqua, quæ ubertim ex illo fonte scaturit, intra illius laci terminos remanet, ac illo lacu constringitur, nec ut necessitas requirit agris, ac hortis vicinis irrigandis extra derivatur. Experientia itaque rerum magistra incolas illius loci edocuit, ut dum aquam illam affluere, ac hortos, agros, campos irrigare desiderant, ad illum fontem se conferunt. Et plectrorum melos aëris campos replent. Nunc verò sonum fons ac si spiritu, lacus verò ac si sensu, & intellectu foret præditus argento aquæ modulos rependendo, circumquaque se se diffundunt *Instrumenta quædam musicalia pulsant, quo facilè locus ille magnus aquas suas extendit, & profluit quibus irrigare campos suos possint.* Si quandoque noster Deus fons omnium bonorum aquas divinæ gratiæ in se concludat, si nos sceleribus nostris promeriti fuerimus ne in nos effundantur ad medium aptum, sonum scilicet orationis recurramus.

D. Thom. 4 Sent. dist. 15. & 22. q. 8. art. 4.

D. P. Augustin. in Psalm. 85.

D. P. Augustin.

Solin. lib. de mirabil. mundi.

Franc. Labata de orat. Prop. 5. D.

5. Theobaldus Navarræ Rex Reginam Franciæ Blancam, quæ sub nigredine viduitatis alborem, ac candorem suæ pudicitiæ prodebat ardentissimè deperibat. Et quantumvis omnia tentaret, ut eam in uxorem habebat, tamen eam pertinacem, ac refragantem est expertus. Sed quid egerit, & quod medium adhibuerit, audite; nonnullos rithmos in laudem Reginæ composuit, & plectra sonora digitis pererrando concentus suaves fidium sonis miscuit. An voti factus sit compos nec scio, nec indago. Illud, eos, qui auribus Dei melos orationis insonant certos esse, quod omnem gratiam, favorem, ac omne bonum imaginabile obtenturi sint, non ignoro. Hic in mentem historia quædam adeò mira ut fidem excedere videatur, redit. Tartari sub signis generalis Ducis Cange militantes dum quadam vice femitis angustissimis constringerentur, ita ut ex una parte eos cingeret mare, ex altera montes altissimi, ac asperrimi, adeoque in aperto vitæ discrimine ob loci angustiam degerent. Dux ut terræ ad geniculati totam noctem precibus, Deum illis ignotum terræ cælique conditorem (erant enim infideles) pulsando transmitterent, præcepit. Novies precibus se dederunt, & ad ortum solis novem palmis mare secessisse, forsan quia ut diximus, novies orarunt, viderunt. Et tamen erant Tartari, infideles, ac hostes Dei. Nunc à minori ad majus argu-

Favinus in histor. Navar. sub an. 1253.

Hieron. Drexel.

argumentemur. Si hostium Dei oratio tam sit potens, quid non valebunt orationes amicorum? scripturis id probemus.

6. Deus in obstinatum, ac pertinacem animum Pharaonis, & Ægypti, quo populum Dei libertate donare detrectabat animadvertit. Nunc tenebris, nunc aquâ in sanguinem versâ, nunc muscis, nunc voracibus locustis agros devastantibus, sed speciatim ranis tam molestis, ac abominabilibus, quæ in horrore erant Pharaoni, eum plectebat. Eas ergo sufferre non valens ad Moysen, ac Aaronem, ut Deum quatenùs illas oculis suis subtraheret, & usque ad unum dispergeret rogatent recurrit. *Orate Dominum ut auferat ranas à me, & à populo meo.* (Exod. c. 8.) Huic petioni Moyses sic Regi respondit. Ut vestra Majestas quam sit potens Israelitarum Deus agnoscat, mihi tempus assignet, horam pro suo libitu, quâ Deum deprecer, ut manum ultricem contineat, præfigat *Constitue mihi quando deprecor pro te.* (Exod. 8.) Ergone Rex precandi horam determinet? Moyses potiori jure tu tempus Deo gratum, ac opportunum quæres? & si tempus Deo incommodum, aut horam ei molestam elegeris, an non metuis, quod te repellens in os tibi dicat; *noli mihi molestus esse?* melius diceres, ne ambigas ô Rex, ego horam congruam, ac aptam gratiæ à meo Domino impetrandæ seligere studebo. Non ait Moyses *constitue mihi quando deprecor pro te.* (Exod. 8.) Nostras ac suas tantum posse preces, ut nullum sit iis tempus præfixum, sed omne tempus apud Deum sit iis propitium, nec Deo esse tempus quo precibus annuat, sed omni tempore, omni horâ, omni momento, in omni necessitate Deum semper esse paratum, ac promptum demonstrare voluit. Non est tempus, quod Deus petita deneget. *Constitue* ait Strabo Fulgensis *tempus ut quocunque tempore nos orare volueris intelligas vim orationis, noverisque Deum semper paratum ut exaudiat.* (Strabo Fuldens.) Et exhortationem quâ hoc mane filius Dei discipulos exhortatur, *petite,* observate. Non determinat tempus, nec ante, nec post, prandium, nec matutinum, nec vespertinum, nec diurnum, nec nocturnum quia semper ei vacat, nec sub dubio, sed absolutè *accipietis,* ait. Nostras orationes tantæ esse virtutis apud Deum ostendere voluit, *Petite,* quod est ex parte nostrâ esse contingens, si tamen orationem ad Deum miseris obtentionem gratiæ esse necessariam, & infallibilem, Pete, & accipies: In omni quippe tempore preces nostræ apud Deum efficaces sunt.

7. Qui potentiam orationis virtuti verbi Dei conferret potentiam hujus sanctæ virtutis exaggerare videretur. Ast ego in sacris scripturis potentiorem esse orationem ad divinum animum in sui obedientiam flectendum, quam ipsum verbum Dei, quod alias ex se est omnipotens, uti in creatione mundi, ac consecratione Eucharistiæ experimur, lego. Deus ob scelus Davidis dexteram divinæ justitiæ, ut subtractione subditorum solio eum exueret, exeruit. Angelum itaque ablegat, qui aërem infectione mortiferi contagii inficiens, pestilitatem per totum regnum Israeliticum sparsit. Sed Deus, qui in abstracto, ipsa est misericordia compassione erga miseros subditos innocuos motus, Angelo vindici manum contineret, flagellum coërceret, ne pestilitas suâ effræni audaciâ infectione suâ ulterius serperet, præcepit. Cessa ô Angele, cessa. *Misertus est dominus super afflictione, & ait Angelo percutienti populum: sufficit; nunc contine manum tuam.* (2. Reg. 24) Hanc jussionem Deus suo ore tulit. An N. Angelum paruisse credimus? ego ex iis, quæ sacer Textus subdit, quod non concludo. Post hanc enim præceptionem ore Dei latam David à se visum Angelum flagellare non desinentem affirmat. Ergone Angelus non obedivit? mirum id mihi videtur. Audite; *dixit David ad Dominum,* sed quando? *cum vidisset Angelum cædentem populum:* Hic Divus Ambrosius inquirit: *Si mandaverat Dominus Angelo ut parceret, quomodo feriebat adhuc Angelus?* (D. Amb. in Ps. 37.) Et idem sanctus Doctor respondit: *Et si Dominus vult ignoscere, vult tamen rogari:* precibus nostris rogari vult, ut fideles eas potentiores, ac efficaciores esse verbo Dei, quod est omnipotens, cognoscant.

8. Sub metaphorâ Regis, qui debitores suos exactè solvendum accersiit in sacro Textu à divo Matthæo noster Deus exprimitur. Et en *oblatus est ei unus, qui debebat ei decem millia talenta:* (Matt. 18.) sine dilatione absolutè debitum ab eo dilui vult, idcircò mo-

modum quærat, secus omni rigore se actu-rum dicit. Verum dum ille impotentiam allegat, ministris suis, ut ipsum, uxorem, filios, ac omnia tam mobilia, quam immobilia venderent, jussit. *Cum autem non haberet unde redderet jussit eum Dominus ejus venundari, & uxorem ejus, & filios, & omnia quæ habebat, & reddi.* Ego hic in disputationem, num venditio uxoris, filiorum (de aliis crudelitatibus non loquor) fuerit actus veræ justitiæ non traho: siquidem cum Abulensi, *videtur hoc esse injustum; quia homo pro debito non venditur, maxime illi qui non contraxerunt debitum*, affirmare possem. Nihilo secius Reges, hos apices justitiæ servare non tenentur, summâ pollent potestate, & cum nemo sit, qui possit, aut debeat iis contradicere voluntas ab iis orecenus declarata executioni mandari debet. Sed eo ministros regios moveri, ac jussa perficere regia non video. Non venditur debitor, nec ejus domus, adhoc ut uxor, & proles væneant, aditur. Ergone præceptiones regis adeò socorditer violant? Ah: servus medium congruum reperit, ad ejus pedes substernitur, caput inclinat, manus nectit, ac è servitore se rhetorem facit: *orabat eum dicens patientiam habe in me*, & obsecrationibus, ac precibus servi Rex flectitur, decreta annullat, jussa revocat, omnia pacta delet, data expungit, & debitum decem millium talentorum condonat *Omne debitum dimisit ei* Si quod res est edixerim verbum servi potentius esse jusso Regio mihi videtur. Efficacior fuit obsecratio servi, quam mandatum Regis. Ex hoc Deum se esse contentum, & velle quod potentiores sint nostræ preces ejus præceptis docere voluisse deduco. Hinc ait sanctus Pater Hieronymus, *Deus ipse, qui nullis contra se viribus superari potest, orantis precibus vincitur.*

Ibidem.

Abulens. in cã 18. Matt.

[...] Reg. 1. 4

[D]. Amb. [i]n Ps 37.

D Hieron. ad Damas.

[L]att. 18.

9. Quæso vos, sancta illa Domicella soror Magdalenæ, quantam fiduciam in oratione non collocarit observate. Lazaro mortuo Christus eum vitæ restiturus Bethaniam perrexit. Martha nimbis oculorum stillantibus cordis afflictionem ex morte fratris adeò dilecti perditi haustam ostensura ei sit obvia, ac salvatori ad geniculata, ei si prius venisset Lazarum morte absumendum non fuisse, exponit. *Domine si fuisses hic frater meus non fuisset mortuus.* Sed & certa sum si prece patrem compelles, ejus resuscitationem obtinebis. *Sed & nunc scio, quia quæcunque poposceris à Deo, dabit tibi Deus.* Filius Dei eam solari non neglexit, & spem firmam, quod eum vitæ redditurus erat, adjecit. Ne dubites ô Domina, frontem exporrige, *Resurget frater tuus.* Nunc replicam Marthæ attendite! *Dicit ei Martha*; sed quid replicavit? *scio quia resurget in resurrectione in novissimo die*: non sum ex his, qui resurrectionem mortuorum credere nolunt, hanc enim non voco in dubium, sed antequam hodie illum resuscitandum mihi persuaserim prius ignem frigidum, cœlum immobile, terram instabilem crediderim. ô Domicellam inconstantem! primo fuit credula, & fidelis. *Quæcunque poposceris, dabit tibi Deus.* Sed postea incredula, & infidelis *Resurget in novissimo die*, primo Christi cunctipotentiam fatetur, postea vero illam negat N Satis difficulter captu hæc difficultas mihi videtur, sed si cogitatus Marthæ investigemus è proposito nostro elucidatam rem habebimus. Domicella hæc à Christo potuisse resuscitari suum fratrem, sed per orationem ad Deum Patrem fundendam credebat. *Scio quia quæcunque poposceris à Deo, dabit tibi Deus*: Sed Christus absque medio orationis eum vitæ reddere afferebat, ac promittebat; *Resurget frater tuus*, ac si diceret: Persuadere mihi quidem vis ô Magister mi resuscitandum fratrem meum absque precibus, sed hoc impossibile judico. Sed nescis Christum esse Deum, adeoque cunctipotentem? ergone omnipotentiæ diffidens eum in vitam non nisi per preces revocari posse, credis? imo dicit Martha *resurget*; sed quomodo? quo medio? *si poposceris*: mediante oratione, sine ipsa quidem resurget, sed *in novissimo die*. Quod hæc fœmina non multum à vero aberraverit, ego ex eo specialiter, quod antequam Christus resuscitationem aggrederetur Evangelista dicat, *Elevatis oculis sursum*, deduco. Et quid fecit? *Tacitâ mente oravit Patrem*; bene ergo dixit Martha, *resurget*, sed *si poposceris*; ipsemet Christus opinionem Marthæ dum tacitâ mente oravit Patrem, confirmare voluit; ut quantæ sint potentiæ preces nostræ, ad id obtinen-

Ioann. 11.

Ibidem.

Item ibidem.

Ibidem.

Bornel. & Lap ibi. fol. 420. v 41. col. 1.

nendum, quod à Deo speramus doceret: hinc quidam Scriptor ait, *Mirum sane est, & valde mirum, quod lætissimum, & certissimum nuncium optatissimum resurrectionis fratris sui supra sororis intelligentiam, & captum foret, si audiret sine oratione obtinendum.*

Didac de Celsit in Esther. fol. 545. nu. 4

10. Orationis efficacia certatim cum Deo, eodem sic volente, ac permittente, congredi videtur. Idipsum dum acriter in horto Getsemani Petrum perstrinxit, docere voluisse, credo. Hunc non minus amantissimum suique affectuosissimum, quam audacem Discipulum gladium exerere reprimendæ insolentiæ servi Pontificis Malchi, ac eundem ense petere, utque melius ictum sentiret, auriculam dexterrimè præscindere vidit. Auriculâ præcisâ Christus ad turbas versus, hanc auriculam date inquit, & tu Malche huc adsis, & en auriculam restituit, ac servum sanat: *Et cum tetigisset auriculam ejus, sanavit eum.* Dein ad Petrum orationem vertens verbis amaris, ac acerbis eum verberat, *Converte gladium tuum in locum suum.* Nunc certamina nolo, gladium vaginæ reconde, & eum, qui ferro confodit, ferro perire scias. *An putas quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modo plusquam duodecim legiones Angelorum?* Quid tibi necesse est, ô Domine precibus à Patre petere Angelos? an tu non es Deus? ergo Dominus es Angelorum, & absque precibus iis, ut tibi assistant præcipere potes. Tu ipse an non unico nutu, unico signo eos in terras ablegare potestatem habes? cur ergo roges Patrem? si vis unum cum Patre, *Ego & Pater unum sumus*, & quidem in attributis, ac specialiter in cunctipotentia, cur precibus obsecres Patrem, auctoritatem, quæ non magis, quam tibi competit ostende. Petro te velut filium Patris non minus posse, quam Patrem dic. Si sis Deus, quid opus est rogare Patrem? N. Christum divinam cunctipotentiam hic usurpare potuisse extra dubium est; sed tamen ad preces, ad orationem confugere voluit, ut orationem, ac preces suas esse valentiores, vel saltem non minus valentes, quam ipsa cunctipotentia, & Angelos promptius è cælo ad terram ad nutum orationis, quam ad jussionem absolutam omnipotentiæ accursuros, ostenderet. *An ne omnipotentia securior est oratio, & de efficacia cum divinitate contendit? prodidit orationis virtutem, qui ut prona ostenderet Angelica ministeria, maluit uti rogationis potentia, quam Deitatis imperio, velut si velocius accurrerent castra cælestia roganti ut homini, quàm ut numini tunc jubenti.*

Luc. 22.

Matth. 26 25.

Matth. 26

Ioseph de la Zerda in Iudith. Tom. 1. cap 10. Sect. 1. nu. 7 fol. 145.

11. Divus Clemens Alexandrinus orationis proprietatem esse, quod dominetur, affirmat, *Oratio dominans*: hoc est imperat, & præcipiendo obedientiam acquirit. Ergone eum, qui rogat Deum, Deo ad nutum dominari, eique imperare, ac obedientiam nancisci dicemus? ego hoc asserere non auderem, nisi alius his verbis, *Planè hæc est pia orationis ambitio, & ambitiosa orationis officiosus factus, scilicet Deum habere obsequentem humanis precibus*, mihi ansam præbuisset. Et oratio mihi adeò imperiosa videtur, ut ipsemet Deus, nec ungue lato ab ejus jussis declinet. Josue cum quinque Regibus Amorrhæis dimicabat, cursus velox solis illi gloriam palmæ præcidere videbatur. Declinatione solis ruinæ nonnullam restaurationem Amorrhæi sperabant. Josue ergo ut solam nimis agili cursu declinantem, ac occasu suo noctem inducentem vidit, oculis in cælum jactis imperiosè soli cursum itineris sui sisteret, præcepit. *Sol contra Gabaon ne movearis.* Nunc quid evenit? an sol stitit? quodcunque aliud credibile mihi videretur. Et tamen narrat sacer textus: *Stetit sol in medio cæli.* O magnum stuporem! ergone sol hæret, nec gressibus giganteis immensum suum iter prosequitur? an N. à sole, vocem, & jussa Josue audita credimus? sed quomodo, si lapidibus insensibilior sit? & esto auditu fuisset præditus, nihilominus eum ne decretum infringeret divinum, quo perpetuare cursum debet obediturum fuisse incredibile mihi videtur. Verum sacer textus particularitatem quandam, quæ magnam secum consequentiam trahit recenset, Audite: *Stetit sol, obediente Domino voci hominis.* Sol Deo sic clarè mandante stetit, & ille Deus, cui omnes creaturæ reverenter obedire debent, orationi, ac linguæ Josue paruit; *Obediente Domino voci hominis*; & planeta ille luminosus, non obstante decreto, quo cursus interpolatè ocyssimos

Clem. Alexand. Strom.

Cel. in Iudith cap. 4. v. 12. §. 13 fol. 119.

Iosue 10. v. 12.

mos proſequi debuit, potius ad nutus Joſue orantis, quam ad Dei præcipientis voluntatem ſibi hærendum duxit. Hoc forſan Clemens Alexandrinus verbis præfatis: *Oratio dominans* inferre voluit. Rex planetarum dominabatur, quando ſtetit in medio cæli, & ipſe Deus ejus dominium permiſiſſe videtur. *Obediente Deo voci hominis.* Hinc ego conſequentiam infero: *Ergo Ioſue rogando jubet, & ſupplicando imperat, & oratio ab homine, ferè imperium eſt Deo.* Vel dicam cum Salviano, *quamvis id quod dicit, divinas aures in precibus eſſe juſtorum, non audientia tantum Dei, ſed quædam quaſi obedientia deſignetur.* Joſue ergo medium magis proportionatum ad prolongandum diem, ſiſtendum ſolem, ac Deum ſibi ſubjiciendum reperire non potuit.

Salv. Lib. 2. de Gubern.

12. Et dici, quod oratio impoſsibile in poſsibile mutarit, poteſt, niſi potius eam eſſe medium efficax impoſsibilitatem in neceſsitatem infallibilem transformandi aſſerere velimus. Magnus Iſaac quadrageſimum agebat annum, dum Rebeccæ Filiæ Baluelis Syri è Meſopotamia, quæ ob infœcunditatem cum eo viginti annos ſine prole tranſegerat: *Concipere non poterat cum ſtetiſſet cum ea per viginti annos*, ait Abulenſis. Demum Deus partu Gemellorum eam ſolatur, *Dominus dedit conceptum Rebeccæ*: ſed hi uterum matris in campum Martis mutantes, quis prior obſcuro illo carcere prodiret, certabant. *Collidebantur in utero ejus parvuli*, hoc tantum ei inferebat cruciatum, ut viſcera ſibi crepare putaret, inde impatiens, ac ſi favorem ſibi collatum deploraret, pro gratis rependendis dicebat; *Si ſic mihi futurum erat, quid neceſſe fuit concipere?* In hoc mundo gratiæ nonniſi mœrore mixtæ concedi videntur. Deus me fœcundavit, ſed uterum ex dimicatione gemellorum martyrio torqueri ſentio. Ac demum ſubnectit: *Quid neceſſe fuit concipere?* O Rebecca qualia hæc ſunt verba? quis hic modus loquendi *neceſſe fuit?* an partus tuus fuit neceſſarius? contrarium eſt verum, ſi eras ſterilis, neceſſe fuit te non parere, cùm id impoſsibile ſit fæminæ infœcundæ. Ergo ſi conceptus, neſcio (an dicam infelicitas, ac caſus) potius dicere, *quid contingens fuit concipere?* debebas. Præterea quod viribus naturæ eſt impoſsibile, ſi virtute divinâ redigatur ad actum non idcirco neceſſarium, quia ſterili impoſsibile eſt parturire, non neceſſarium judicari debet. Unde ergo oritur talis neceſsitas? ego ſanè hanc neceſsitatem ex quodam antecedente ſcilicet oratione mariti ſui Iſaac deduci credo. *Deprecatuſque eſt Iſaac Dominum pro uxore ſua, eo quod eſſet ſterilis; qui exaudivit eum & dedit conceptum Rebeccæ.* Iſaaci oratio non ſolum impoſsibile poſsibile, ſed & partum, qui Rebeccæ erat impoſsibilis neceſſarium fecit. *Quid neceſſe fuit concipere?* ſpeculatio cujuſdam docti expoſitoris moderni eſt, qui ſic ait: *Quod naturæ impoſſibile eſt precariâ orationis omnipotentiâ, non tantum poſſibile, ſed etiam neceſſarium redditur.*

Geneſ. 25.

Abul. ibid. Quæſt. 2. fol. 547. col. 1. B in fine.

Didac de Cel in Benedict. Patriarch. cap. 48. §. 280 nu. 3 fol. 279.

13. Et quid mediante oratione à Deo non impetratur? ſi infirmitate opprimamini, ac ſanitatem optetis. *Petite* oratione, *& accipietis.* Si vos lis quædam exagitet, ſi in eam omnia expenderitis, & ſi causâ cadatis, ad incitaſque redigamini: *Petite* oratione, & *accipietis*; ſi in oras longinquas iter ſit inſtituendum, nec in aliquem impingere, qui cœpta deſtruat, optetis, ſed ut illa feliciter compleantur: *Petite* oratione, *& accipietis.* Si negotiationes veſtras aurâ proſperâ fortunæ velitis vehi, ac quotidie augeri; *Petite* oratione, *& accipietis.* Si nil aliud deſideretis, quam filium, qui non ſolum opum, ſed & ſanguinis ſit hæres: *Petite* oratione, *& accipietis*; ſi in facinus lapſi in abiſſum carceris compedibus vincti conjecti ſitis, ac innocentiam veſtram prodi aveatis; *Petite* oratione, *& accipietis.* Si in hoc mundo nil eſſe niſi fraudes cognoſcatis, & amicitiam Dei optimum eſſe capitale, quod poſsidetur, ſi id flagitare velitis ut oportet: *Petite* oratione, *& accipietis.* Si inter mortis agoniam verſemini, morſque ſudorem fronte exprimat, ſi inter technas inimici tentatoris cum periculo ne voraginibus æternæ damnationis hauriamini, agitemini, ſi animam ſalvare, & à Deo noxarum ignoſcentiam, ac paradiſum obtinere deſideretis: *Petite* oratione, *& accipietis.* Et revera multi à Deo orationibus flagitant, & pauci impetrant. An forſan hoc inde oritur quod Deus non atten-

tendat? an forsan, quia oratio non valet? non; sed ut advertit sanctus Pater Augustinus defectus à nobis est. En verba ejus: *Accipit qui, ut debet, petit.* Ergo si non obtineamus signum est, quod prout debemus, non petamus. Conscientiamne mille inquinatam noxis, animam à Dæmone occupatam habes, & majestatem divinam precibus pulsare audes? *Non accipis, quia, ut debes, non petis.* An non audistis, quid per vatem Deus minetur? *Cùm extenderitis manus vestras (id est, ad orandum) avertam oculos meos à vobis, & cùm multiplicaveritis orationem non exaudiam.* Sed si dicas orationes tibi adeò esse gratas, ut stimulos addens dicas; *Petite, & accipietis,* cur dicis: *Cùm multiplicaveritis orationem non exaudiam?* audite causam, *Manus enim vestræ plenæ sanguine sunt,* dicere vult manus usuris, vindictis, homicidiis, ac omnibus sceleribus maculatis & vultis, quod Deus vos audiat. Gallus prius plumas excutit, dein canit, hoc *Excutit,* imitamini conscientiâ tuâ culpas pelle, dein cane, ac auribus divinis melos orationis insona, sic *ut debes, petes, & accipies,* quiescamus.

S. August. — *Isaiæ 1.*

ALTERA PARS.

14. TRes claves, quæ cælum reserant reperiuntur. Primam Christus consignavit sancto Petro: *Tibi dabo claves regni cælorum.* Altera affirmante ita Divo Hieronymo est sanguis Christi nostri Domini: *Sanguis Christi clavis paradysi est.* Tertia est oratio animæ justæ. Hinc Divus Pater Augustinus: *Oratio justi, clavis est cæli, ascendit precatio, & descendit Dei miseratio.* Et idcircò etiam de Elia magno vate os aureum scripsit: *Clavis cæli fit sermo Eliæ, jubet enim, & clauditur cælum, orat postmodum, & aperitur, ut sanctorum meritum monstraretur non solum in terris posse quod voluit, sed in cælestibus posse impetrare quodcumque petierit.* Ideo cùm habeamus clavem paradisi, quæ est oratio, pro nostro libitu paradisum reserare possumus. Sed ut nostræ preces id possint intercessione nominis Jesu sunt roborandæ; *In nomine meo petetis.* Idcirco sancta Mater Ecclesia sic omnes suas preces, *Per Dominum nostrum IESVM Christum filium tuum,* concludit. Docere nos voluit, ut si aliquid velimus impetrare, ob merita nostri Redemptoris Jesu petamus: *Ecclesia sine intercessione nominis IESV nullatenus aliquid à Patre impetrare præsumit.*

Matth. 16 — *D. Hiero. qu. 129. ad Damasum.* — *D. Chrysost. serm. 2 de Helia.* — *Anton. de Ese Tom. 1 cap. 2. in Ioan. Sess. 1 Obs.*

15. Salomon arcam Dei templo sumptuosissimo à se in honorem divinæ majestatis exstructo inferre volens, dum sacerdotes ritu processionis usitato pergerent, ac arcam portarent, portæ seipsas serarunt, & aditum præcluserunt: *Cùm jamjam arcam in templum inducere vellent, clausæ fuerunt portæ templi ultro, & miraculosè.* Sacerdotes ergo intonant Psalmum: *Memento Domine David,* ac ut venerunt adversum: *Propter David servum tuum, non avertas faciem Christi tui,* ac si dicerent: O Deus te rogamus ut in gratiam Davidis hæ portæ nobis ingressum præbeant, illico sese aperuerunt; *Tunc ultro etiam apertæ fuerunt ostia templi, & aditus liber patuit cunctis.* Ergo, *si petere in nomine David tale miraculum obtinuit; quid nos in nomine Christi petendo non obtinebimus?* Christus ergo verum modum orandi præscripturus Apostolis ait: *Vsque modo non petistis quicquam in nomine meo,* ac si diceret, si gratias vestris obsecrationibus impetrare velitis, intercessionem mei nominis additote. *Petite,* sed in *nomine meo.*

Labat. Verbo. Oratio. prop. 7. C. D. — *Psalm. 131* — *Idem ibid.* — *Idem. ibid.*

16. Et quotnam non sunt, qui rogant in nomine Domini, & tamen nil obtinent? quæ hujusce rei causa? nunc id dicam; duas orandi formulas, sed diverso fine, diverso effectu factas in sacris historiis reperio. Doctor gentium, qui acerrimè exagitabatur, dum ad libidinem à Dæmone exstimularetur, efficacissimè ab illo fero Sathana, qui nunquam non eum torquebat, liberari postulavit. *Datus est mihi stimulus carnis meæ Angelus Sathanæ, qui me colaphizet.* Ter hanc rem apud Dominum ursit. *Propter quod ter Dominum rogavi, ut disceret à me.* Sed incassum, & humeros contrahere, ac patientiam habere debuit. Plures ob causas Apostolus exaudiri merebatur. Primò, quia Deo charus erat, secundò, cùm esset homo, & carnibus, & ossibus compositus, qui Deum offendere poterat spiritum tentatorem abigi poposcit. Nec tamen aliquid efficit. Rem magis stupendam audite. Dæmon toto orbe pera-

2. ad Corinth. 12. v. 7.

agrato Deum obvium habuit, ac inter discursus mentio Jobi incidit, Deus Jobum mirè commendat, nec esse in orbe, qui ei pietate, ac timore conferendus sit, ait: *Nunquid considerasti servum meum Iob quod non sit ei similis in terra, simplex, rectus ac timens Deum, & recedens à malo.* Sed Dæmon replicat, nec id per capillum, miror; cum enim eum omnibus bonis fortunæ ditaris, maximè ingratus foret, si aliter faceret. Sed si ita lubeat, hæc mihi fiat gratia, tuâ veniâ more meo *quater illi blandiri*, vel ut dicitur Italicè: *Far quattro carezze*, fas mihi sit, & illico quantum abit cælum à terra, eum mutatum videbis. Deus id non denegat. *Ecce universa quæ habet in manu tua sunt.* Ulterius filius Dei ad partes Gerasenorum pertingens duobus à Dæmone insessis, qui quibuscunque obviis nocebant, occurrit. Deus è corpore illo migrent, ac ad orcum redeant, jubet. Dæmones se ejus non posse refractari jussis ultra fatentur, sed ad minus id gratiæ iis præstetur rogant, ut animalia, quæ à spurcitie, ac immunditie nomen habent, incolere possint. *Dæmones autem rogabant eum dicentes, si ejicis nos, mitte nos in gregem porcorum*: & en precibus annuit, *& ait illis, ite.* Dæmon bilem omnem in Jobum effundere, eique maxima damna inferre vult; & obtinet quidquid petit? præterea porcorum immundorum haram pro domicilio flagitant, & esto illa animalia perdantur, votis potiuntur. E contra orat Paulus, & à Deo liberari à Dæmone libidinis, qui eum molestabat ut Deum offenderet petit, & non exauditur. Quænam sunt hæc paradoxa? à sancto P. Augustino elucidationem petite. *Ne extolleretur ut juvenis, colaphizatur ut puer.* Dæmones exauditi fuerunt *ad damnationem*, sed Apostolus ob majus suum bonum *ad salutem* repulsam patitur. Divus Pater id expressè edicat. *Non est exauditus Paulus: ad damnationem exauditus est diabolus: petiit Iob ad tentandum, & concessum est, Dæmones petierunt se ire in porcos, & exauditi sunt: Dæmones exaudiuntur, Apostolus non exauditur: illi exaudiuntur ad damnationem, Apostolus non exauditur ad salutem.* Nunc ô Christiane, vide num aliquâ adversitate conflictus preces tuas effundas, nec audiaris. Deus egestatem tuam agnoscit, tuam utilitatem, ac salutem animæ intendit. Nos quid petamus, nescimus, sed Deus totum novit, totum videt, & quid agat non ignorat. Hinc affirmavit os aureum: *Cùm Deus aliquid nobis negat, non minus est, ac si concessisset.* Ergo: *Petite in nomine Christi, & accipietis*, id Deus vobis donet, & quia diximus itote.

Iob cap. 1. num. 8.

Idem numer. 12.

Matth. 8. 31.

D. P. Augustin. in Psal 130.

Idem in Psalm. 21.

D. Chrysost. hom. 30 in Genes.

FESTVM ASCENSIONIS.

Dominus quidem Ieſus poſtquam locutus eſt eis aſſumptus eſt in cœlum, & ſedet à dextris Dei. D. Marc. cap. 16.

ARGVMENTVM.

Omnia opera Dei ſunt portentoſa, ſed maximè ejus Aſcenſio, quia in illa veſtigia ſua monti Oliveti impreßit, & ex affectu, quem erga ſuos habuit illibenter quaſi ab eis diſceßit, quia ſeipſo major in illa eſſe factus videtur, & Angeli obſtupuerunt.

1. QUod ſtupor omnes actiones altiſſimi ſibi vendicet Hiſtoriæ ſacræ, ac ipſa experientia atteſtantur. Vates regius ſtuporem extollens de ipſis operibus exclamat: *Tu es Deus qui facis mirabilia.* (Pſalm. 76.) Et ut ſibi argumentum eſſent ad majeſtatem creatoris celebrandam illa ante oculos mentis contemplanda propoſuit. *Conſiderabo mirabilia tua;* (Pſal. 118.) quemcunque Dei vaſallum ad eum applauſu univerſali laudandum excitare voluit; *Narrate univerſa mirabilia ejus.* (Pſal. 104.) Præterea à Sphæris cœleſtibus, quarum frontibus characteribus ſtellarum opera Dei inſculpta ſunt, ea ſtupenda, ac portentoſa prædicari affirmavit: *Confitebuntur cœli mirabilia tua.* (Pſalm. 88.) Et ubi velut ſol inter planetas opera noſtri magni Dei velut prodigioſa non relucent? ſic in vertice Empyrei reſplendent, *mirabilis in altis Dominus;* (Pſal 92.) ſic in profundo abyſſi *mirabilia ejus in profundo.* (Pſal 106.) Sic in ſapientia, *mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me.* (Pſal. 138.) Sic in potentia, *mirabilis potentia ipſius;* (Eccli. 43.) ſic in nomine, *quid quæris nomen meum, quod eſt admirabile?* (Geneſ. 32.) relucent. Omnes ejus actiones miræ ſunt; *mirabilia opera altiſſimi* (Eccli. 11.) Non ſolum quoad eſſe, ſed etiam quoad numerum. *Mirabilia quorum non eſt numerus:* (Iob. 9.) nec eſt qui tam portentoſa patret; *Tu es Deus qui facis mirabilia magna ſolus.* (Pſal. 71.)

2. Si dein eum conſideremus ut in terram deſcendit, veſte noſtræ mortalitatis amictum nullum opus quod non fuerit prodigium, & quod ſtupendum oculis totius mundi non apparuerit, patravit. Dum incarnatur, unio, quâ humanitas divino ſuppoſito unitur, fuit mira; *mirabile myſterium Deus homo factus eſt.* Dum naſcitur opera mira ſe produnt, Angeli è cœlo deſcendunt, & pacem orbi nuntiant. (Luc. 2.) Paſtores Bettlehemitici eum adoraturi accurrunt, reges ex oriente ut eum revereantur, diſcedunt, (Matth. 2.) Maria, ac Joſeph dum actiones prodigioſas in teneris unguiculis ab eo perpetratas obſervant, præ ſtupore oculos attollunt. *Erant admirantes Maria, & Ioſeph.* (Luc. 2. v. 33.) Ipſæ turbæ, quantumvis ei non adeo affectæ admiratæ ſunt, & in has voces ſunt actæ, *vidimus mirabilia hodie.* (Luc. 11. v. 14. Luc. 5. v. 26.) Sed ſi Dominus in omnibus ſuis fuerit prodigioſus, cur ſancta Eccleſia cunctorum myſteriorum verbi incarnati ſermonem inſtituens, nullum titulo mirabilis præter glorioſam aſcenſionem decoret? ſcire vellem. *Per admirabilem Aſcenſionem tuam.* (In Lytan.) Si incarnatio, jejunia, baptiſmus, reſurrectio tantum titulo afficiuntur *ſancta,* eccur Aſcenſio ſolum prædicatur *mirabilis? Per myſterium ſancta incarnationis tua Per baptiſmum, & ſanctum jejunium tuum: Per ſanctam reſurrectionem tuam.* Et hoc myſterium quid habet, ut præ reliquis, honores, & excellentiæ prodigiorum ei tribuantur? tu ô redemptor hoc mane oculos mentis mihi illuſtra,

Iustra, ut secreta tuæ divinæ sapientiæ penetrare possim; & vos fideles dum ea explanare incipio opera prodigiosa auribus attentis esse excipienda sciatis. Ergo cum hoc sit *mirabile omnium mirabilium*, attentio maxima requiritur.

PARS PRIMA.

Et Dominus quidem Iesus.

1. AFfectum immensum, quo filius Dei suos discipulos prosequebatur, variis occasionibus, ac præsertim in Olivarum horto, dum exiguo spatio temporis, & minori distantiâ loci abire debuit, & quãdo viscera, sibi crepare sensit, demonstravit. Sacer Evangelista his verbis rem describit: *Avulsus est ab eis quantum jactus est lapidis*; & causa est, quia *divelli non potest amans ab eo, quem amat*. Velut alter scripsit, *Adeò Christi cor erat stricto nexu amoris unitum cum Apostolis, ut fermè viscera dimittens per modum evulsus ab eis recessit*. Si tantus fuit amor Christi, cur tam procul abitu in cœlum ab iis dimoveatur? ô quantis tripudiis exuberassent, si continuo præsentiâ magistri potiri potuissent? ventos persecutionum censuissent flatus suaves cœlestium favorum, crudelitatem tyrannorum putassent amabilem, impietatem carnificum tolerabilem, omnem mundanum amarorem dulcem, omnes calamitates hujus vitæ infelicis leves non secus, ac ipsi milites Alexandri qui *ipso præsente, nec hostes nec arma timebant*, existimassent. Ergone mi redemptor tuum gregem inter lupos deseris, ac ad verticem paradisi ovaturus ascendis? Hinc quin cum meo Divo Thoma Villanovano à te quam submississimè possim, hujusce rei causam exquiram omittere, nequeo. *Dic mihi ô gloria mea ubi amor tuus, ubi pietas? ubi viscera illa charitatis flagrantia? hæc ne cura gregis? hæc ne solicitudo tuorum? filios tuos miseros, & ærumnosos in hac lacrymarum valle relinquis, & solus ad regni solatia vadis?* Et tu ipse dum iis abitum tuum significasti, eos mœrore repleti, *vado ad Patrem, tristitia implevit cor eorum*: & ut scribit Divus P. Augustinus: *Ascensurum se dixit ad Patrem, & contristati sunt, quod eos corporali formâ desereret*. Nunc si dixit. *Delitiæ meæ esse cum filiis hominum*, cur eos deserit? si promisit se cum iis mansurum *usque ad consummationem sæculi*, cur hodie ab iis secedit? Evangelista Joannes, si unquam eos amavit, id in fine fuisse dixit. *In finem dilexit eos*: sed quomodo hoc sit verum, cum verum sit quod *divelli non potest amans ab eo, quod amat?* ô prodigia? ô portenta? quando minimo amore erga eos flagrare videtur, tunc maximo erga eos fertur, quod à terra ad cœlum tendit, discipulos deserit, ac ad Patrem se confert, id totum ex amore, quo eos prosequitur, dum nil aliud, quam eorum bonum spectat, provenit. Et si nostri causa è cœlo descendit, ac nostri ergo cœlos repetit, *qui propter* nos (ait Divus Thomas Villanovanus) *venerat propter nos rediit; nos illi adventus causa, nos causa regressus: sic utique nobis expediebat, sic opportebat ut citò rediret*; Ac homo modo, *In omnibus se nobis utilem exhibuit, totus noster, & totus in nostros usus expensus*.

Luc. 22. cap.
Didac. Stella in cap. 22. Luc.
S. Thom. à Villano Conc. 2. de Ascens. fol. 209 col. 1
S. Aug. Tom. 10. serm. 177. de Temp.
& 4. de Ascens. fol. 214 E. col. 2.
Prov. 8.
Matt. 28.
Ioan. 13.
S. Thom. Vill. ubi sup.

4. Plura hodie prodigia patrata sunt; ex hac *Ascensione secuta sunt ibi multa miracula*. Sed inter alia hoc fuit præcipuum, quod filius Dei dum abiturus in cœlum pedes supra Olivarum clivum collocavit, eorum vestigia, quæ nec annosa tempora, nec intemperies aëris, nec pravorum temeritas, qui ea è terræ effossione obliterare voluerunt hodie dum usque indelibilia perseverant, in terra reliquerit. Hæc Propheta Regalis prævidens dixit *Adorabimus in loco ubi steterunt pedes ejus*. Hic textus ad litteram de loco nempe Olivarum clivo è quo cœlos subiit, ac *in quo loco adhuc apparent vestigia pedum Christi*: intelligitur. Idem sanctus Senex Zacharias est vaticinatus, *stabunt pedes ejus in die illa super montem Olivarum*. Et hodie dum usque quantumvis ab equis, ac plantis exercitus, qui in illo castra fixit, dum Titus Solimam obsidione cingeret, obliterari debuerint, ut nec minimum vestigium apparere debeat, conservantur, & videntur. Nunc si quam prodigiosus fuerit ille mons ob vestigia plantarum à filio Dei sibi impressa cognoscere velimus, Arcam, ac propitiatorium quæ in illo servabantur his vestigiis conferamus. Quale fuit hoc propitiatorium? multi illud tabulam fuisse auream quæ scabellum Dei dicebatur asserunt. Sic

Iacob. Marcb. hort. Past. Lib. [illegible] Tract. [illegible] prop. [illegible] 15. [illegible] Ludolph. Carth. p. 2. c. [illegible] M.
Psal. 131.
Micha.
Ayguan. in Psal. 131.
Num. 23. 48.
Zach. 14.
Corn. à Lap. in cap. 14. Zach. fol. 32 [illegible] col. 1. D.
D. Paul. Epist. II.
Lorin. in cap. 1. Act.

Abu-

Apost fol. 37 col 1. E Abul in 1. Paralip. c. 28. fol. 550. col. 2. F. Idem in Lev cap. 16 & 3. fol. 261. col. 2. B.

Abulensis *scabellum pedum Dei non erat nisi in sancta sanctorum, & quod dicebatur ibi Deus esse.* Ac super hoc Deum apparuisse, & cum sacerdote locutum dicunt, sed revera non erat Deus, sed corpus ex aëre formatum, è quo Angelus oracula dabat fuit. *Super propitiatorium* (ita scribit Abulensis) *erat quoddam corpus formatum ex aëre, in quo Angelus quidam proferebat verba respondens quæstionibus propositis à sacerdote ingrediente, & non erat Deus ille, qui loquebatur.* Et nihil secius Hebræi locum sanctitate, ac veneratione prodigiosiorem non habuerunt, Porrò, an non millies mons Oliveti prodigiosior est propitiatorio? & ne posset quis negare eum esse Dei scabellum, & sic adorationem non deferre, non propitiatorio, sed ei pedum suorum vestigia impressit. *Adorabimus in loco ubi steterunt pedes ejus.* In illo apparebat Angelus assumens corpus aëreum, in hoc Deus impressus cernitur: & quanto Deus est mirabilior Angelo, tanto mons Oliveti propitiatorio stupendior est. Hinc forte Ecclesia hoc mysterium velut admirabile celebrandi ansam sumpsit. *Per admirabilem Ascensionem tuam.*

5. Quod aliquis omnem operam imaginabilem impendat, ut omnia adversa, quæ sibi occurrere possunt evadat, veluti egit Aeschilus Philosophus, ut morti sibi vaticinatæ se subduceret nil mihi rari videtur. Et si postea adversis humanis subactus aspidis instar ab incantatoribus vocatæ per voluntatem repugnantem se exhibeat, facillimè crediderim, cum nil sit quod contradicat. Quod alius præterea sit, qui ad summum verticem honorum, excellentiarum, commodorum, sceptri aspiret, cum id naturali inclinationi sit conforme, nemo difficulter credet, & si postea ab adversa fortuna voto frustratus se male contentum præbeat, facillimè mihi persuasum habeo, sed si demum totum contrarium inveniam, an non jure præ stupore labra comprimam, oculos attollam? quinimo; quia hoc opus magis prodigiosum, quàm naturale foret. Et revera in solo Deo experientia id demonstrat. Modus quo verbum carnem assumpturum è cœlo descendit, & quomodo postea triumphaturum astra repetiit consideratione dignus est. Symbolum Apostolorum, dum de modo loquitur, quomodo in terram hominem induturus, ac nostras pœnalitates, dolores, injurias, alapas, clavos, flagra, spinas, crucem, & mortem assumpturus filius Dei venit, ait *Descendit de cœlis:* Et ipsemet de se dixit, *descendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me.* *To descendi* actionem motu, ac virtute propriâ factam denotat. Unde eum spontaneè miserias nostras suscepisse deduco; *usque ad*, verba sunt Divi Thomæ à Villa Nova, *formam servi, usqui ad alapas, usque ad irrisiones usque ad flagella, usque ad tormenta, usque ad mortem.* Sed dum sacra scriptura de ejus ascensu differens ait: *Assumptus est in cœlum* Sanctus Lucas ait *ferebatur in cœlum.* Actus Apostolici habent, *elevatus est!* semper in passivo. Et esto verum sit, quod scanderit virtute propriâ nihilominus sacri Evangelistæ dum asserunt, *assumptus, elevatus, ferebatur*, eum virtute alienâ portatum, ac si vi raptus, ac sublimatus esset, velle dicere videntur. Quid ergo num vi rapiatur, an sponte eat dicemus? & meo sensu contrarium demonstrare debuissent, hoc est dum è cœlo nostras calamitates suscepturus descendit, eum contra voluntatem, descendisse, quia nemo malum voluntariè appetit, dicere debuissent; & è contra die Ascensionis, dum jubilis cœlestibus fruiturus, ad dextram patris æterni sessurus erat, ab iis ejus Ascēsio spontanea, ac velut propriâ virtute generata exhiberi debuit. Ecquis in valedicendis miseriis hujus mundi jam jam ad perennia gaudia subvehendus se inertem ostenderet? Ego hic nil aliud, nisi quod filius Dei hanc actionem in theatro miræ ascensionis instar aliarum jactabundam percurreret voluerit respondere non scio. Nam potiùs cum hominibus agere in terris, quàm in cœlo dextram Patris cingere delectari videbatur. Ut ita dixerim libentiùs nobiscum inter adversa terrena, quam in vertice supernarum voluptatum degebat: *Sic amicè peregrinabatur in terris inter homines ingratissimos, ut in cœlo diceretur inquilinus pectoris, patris.* Non se felicitate se orbare, ac sese miseriis, doloribus, afflictionibus dare res est mira.

Ioan 6. v. 38. — S Thom. Vil. nov. con 2. in Ascens. — Marc. 16. v 19 — Luc. 24. v 51. — Act. 1. v. 9 — Cel in Iud. in Indice Conc. in die Ascens. col. 2.

6. Propheta sertatus veri Messiæ ascendentis successus, & speciatim ejus ingres-

sum

Psalm. 23.
Rabbi Samuel Maroch. lib. de Adven. Mess. cap. 13.
Lori. ibid. fol. 423. col. 1.

sum per portas gloriosas cœli prævidens dixit, *Attollite portas principes vestras, & elevamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ.* Hunc textum Christo in suo ascensu ad portas paradisi pertingente sacri interpretes, etiam ipsi Hebræi ut Rabbi Samuel Marochianus intelligunt; & esto nonnulli Per prosopopejam portis templi Salomonici dum Arca iis inferenda erat eum applicent; nihilominus, *Solidius, veriusque accipiunt Catholici de Christo cœlum ascendente.* Nunc quod istæ portæ aperiantur, cum antea semper occlusæ fuerint, ac nulli patuerint non est quod objiciam. Sed quod dicat, *Elevamini*, pro quo substituit Græcus, *auferte*, non capio: Ac si diceret; hæ portæ nimis angustæ sunt, eas dilatare non sufficit, ut redemptor triumphans expeditius cum suo comitatu ingredi possit, *Auferte portas principes vestras*; & ut exponit quidam modernus scriptor, *vos portæ à postibus elevamini, evulsæque à cardinibus ad tanti Regis ingressum reseramini.* Sed dum in terram descendit annon per easdem portas transivit? annon idem ipse erat Deus? tunc non movebantur, at nunc non sufficit eas à magis reserare, sed totaliter, ut Rex gloriæ intrare possit, amoveri debent. Divus Ambrosius responderet; *non unus homo, sed totus in omnium redemptore mundus intrabat.* Doctrinam tanti Doctoris revereor, nihilominus, si per mundum animæ quæ eum associabant intelligantur, cum illæ sint spirituales portis occlusis, uti etiam Christus gloriosus fecit, eas ingredi, potuisse dixerim. Quomodo ergo *Auferte portas*? Audite Divum Hieronymum, *Attollite, seu levate; Pulchrè levari jubentur portæ, & in sublime erigi: siquidem juxta dispensationem carnis, & mysterium, & victoriam crucis, major regreditur ad cœlos, quàm ad terras venerat.* Age dum hic animo sistite. Annon ad nos veniens erat idem Deus, qui & nunc redit? absque dubio. Deus seipso crescere, nec aliquo genere quantitatis, virtutis augeri potest. Quomodo ergo potest dicere Divus Hieronymus, *Major regreditur ad cœlos, quàm ad terras venerat*? An fortè propter humanitatem assumptam? & quã magnitudinem ille recipiat, qui tantus est, ut omnis augmenti sit incapax? & quomodo aurum divinitatis à plumbo, aut terra nostræ carnis mortalis augeri possit? hic N. stupor hujus sacrosancti mysterii se prodit; Ille Deus, qui optimis est melior, maximis est major, qui augmentari nequit, solum in ascensione seipso major factus videtur. *Major regreditur ad cœlos, quàm ad terras venerat.*

Ioann. Bapt. Fiolenus ibid. fol. 85. A.
S. Ambros cap 4 de fide col. 1.
S Hieron. Tom. 9. Epist. 27.

7. Hanc doctrinam Divi Hieronymi nunc cum illo, quod idem David in eodem Psalmo subjungit conferamus. Debellatore mundi, peccati, Dœmonis, aulam empyrei jam ingressuro, cum spiritus Angelici portas reserari, imò totaliter amoveri, ut aditum Regi gloriæ præbeant. *Et introibit Rex gloriæ*, perceperunt: illico in felici illâ patriâ hæ voces, *quis est iste Rex gloriæ?* reboarunt. Hic obstupeo. Ergone ab his beatis manibus Deum, non agnosci credam? Annon eum perenniter vident, ac videbunt. Imò; nam cum beatitudo consistat in visione Dei, alias beati non essent. Quî ergo fit, ut eum non agnoscant dum dicant *quis est iste Rex gloriæ?* an forsan, quia incarnatus nostram humanitatem induit, quæ instar velarii divinitatem tegebat, ut eam noscere non possent? id non videtur verisimile, quia jam humanatum eum sciebant, & ut ait sanctus Valentinorum Antistes, *nisi prior cœlos penetrasset, nemo sanctorum usque in finem sæculi illius intraret.* Unde nil aliud quam eum esse filium Dei sacco nostræ mortalitatis amictum concludere poterant. Cur ergo interrogant *quis est iste Rex gloriæ?* Lyranus Angelos quæsiisse, sed stupore defixos, & quasi attonitos hæsisse respondet. *Quis est iste Rex gloriæ! admirativè dicitur.* Et noster Divus Pater Augustinus. *Pavet admirans natura mortalis, & quærit quis est iste Rex gloriæ?*

S. Thom. Vill Nov. con. 3 de Ascens fol. 210. col. 2.
Nicol Lyr. ibid.
S. Aug. To. 8 fol. 26. col. 1. B

8. Deum semper esse portentosum non est dubium. Sed hodie Angeli in hoc ingressu soli stupore invaduntur, quia naturam humanam supra choros Angelorum evectam, & terram è qua formatum est corpus humanum supra empyreum sublimari viderunt. Et nonne hi stupores sunt inauditi? *quis est iste Rex gloriæ, ubi significantur Angelorum Hierarchiæ, admirantes virtutem hujus Regis super omnes Angelos ascendentis.* Et esto Christum verum filium Dei, & Regem gloriæ agnoscerent: *Attamen indicant non fieri sine totius naturæ magna admi-*

Iacob. Marchant. Hort. Past. Tract. 3. Lib. 1. fol. 145. col. 2.

ratione, quod ita terrenum corpus supra omnes cœlestes spiritus cum imperio conscendat, & sic exaltetur admirabili modo terra supra cœlum. Et dum hodie porta paradysi, quam Adam suo peccato occluserat Christo ingrediente reseratur sanctus Augustinus ad ejus ingressum nos excitat, *Ecce jam porta patet, quam clauserat Adam: claustrum quod cælo iniquitas infixerat, reparatum est: si quis se ad Christum tenuerit, & unius substantiæ Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum confessus fuerit, cœli januas per ipsum securus intrabit.*

S. Aug. serm. 178. & 5. de Ascens. fol 214. col. 4 R.

9. Quam sint miri effectus solis superfluum demonstrare judico. Unus porro velut rosa inter flores, Aquila inter volucres, Olympus inter montes, eminet. Non obstante quod Philosophia doceat, experientia demonstret, nullum agens agere indistans, hic tamen planeta luminosus, quo magis à terra distat, eò amplius eam maxime dum ad gradum altiorem, ac sublimiorem Zenith cursu suo pervenit, fœcundat, ac ditat. Tunc terram recreat, vigorem ei reddit; & hinc campos virescere, plantas florere, virgulta frondescere, colles tripudiare, prata ridere, arbores thesauros aureorum malorum proferre, totum orbem exultare videmus. Id optimè Divus Thomas Valentinus observat, *Ascendente sole super capitis nostri Zenit, terra prius sterilis, & arida, herbis, virgultis, & flosculis vernat; arbores frondibus, floribus, & fructibus vestiuntur.* Sed quò amplius gratia præcellit naturam, eo effectus ejus majores, ac prodigiosiores sunt. Verbum incarnatum à vate Malachia sub metaphora solis exhiberi non me fugit. *Orietur vobis timentibus nomen meum sol justitiæ;* & ab Habacuc, *Elevatus est sol, & luna.* Per lunam Ecclesiam intelligit, *stetit in ordine suo:* nunc effectum mirum audite. Dum sol Christus à lunâ Ecclesiâ scilicet non procul distabat, hæc decrementum pati videbatur, odio à gentilibus petebatur, persecutionibus agitabatur ab Hebræis, impugnabatur à tyrannis, ab inferno vexabatur, *Quando luna decrescit, tunc in conjunctione solis esse dicitur. Sed quando sol longius abest, tunc plenilunium est,* tunc luna magis coruscat, magis crescit. Sic Christus, dum si non affectu saltem corpore à suâ Ecclesiâ avellebatur, ac ascensionis suæ die cœlos subibat, tunc Ecclesia per mysticum solem mediantibus Apostolicis ministris Petro Romæ, Andrea in Achaia, Joanne Ephesi, Jacobo in Hispania, Thoma in Indiis, Jacobo minore in Judæa, Philippo in Schitia, Bartholomæo in Armenia, Thaddæo in Mesopotamia, Simone in Ægypto, Matthæo in Æthiopia, Matthia in Judæa, ac Macedonia magnificata fuit. O miracula prodigiosa! dum misticus sol terræ vicinus erat, tunc luna Ecclesiæ non adeo splendens, ac grandis, quam quando sol ab ea discessit, ac astra scandit, videbatur. Et observatio magni Pontificis sancti Gregorii. *Elevatus est sol, & luna stetit in ordine suo: quis solis nomine, nisi Dominus; & quæ luna nisi Ecclesia designatur? quousque enim Dominus ascendit, sancta Ecclesia adversa omnino formidavit: at ejus Ascensione roboratâ, apertè prædicavit, quod occultè credidit* Et quos non fructus Ecclesia, quos non affectus mistica luna produxit, dum misticus sol hodie ab ea recessit? sanctus Thomas Villanovanus qui hæc observavit eos recensebit, *Christo in æthera conscendente, arida Ecclesiæ facies, multiplici gratiarum, & charismatum varietate refloruit.* Et dein magis ea particularius enumerans ait: *ô quales tunc martyrum, & virginum flores! quam candidos, & purpureos flosculos Ecclesia pullulavit! ô quanta spiritus viriditate vernavit! quanto gratiæ virore decora est! videres catervatim gentes innumeras ad fidem confluere, & populos cælestis gratiæ sitibundos avidissimè baptismi aquam exposcere. Cunctis fidelibus tunc hoc unum votum erat, toto animo Christo deservire, & pro illo mortem, & extrema omnia pati:* quæ ergo magis portentosa in Ecclesia militante evenisse, quam quando salvator triumphantem subiit, evenisse dici potest?

S Thom. Villa nova con 1. de Ascens. fol. 806. c. 2.

Malach. 4

Abac. in orat. sua sol & luna steterunt.

Iacob March. ubi sup. fol. 147.

S. Greg. Mag.

S Thom. villa nov. ubi sup.

10. Capitolium Empyrei stipatus Beatis, quos eduxit è limbo, ac Angelis festivissimè redemptor universi intravit. Hunc ingressum vates Regalis sic in discursum trahit: *Ascendisti in altum cepisti captivitatem, accepisti dona in hominibus.* Omnium interpretum consensu hic locus de

Psal. 67.

Chri-

Christo ascendente intelligitur. Et specialiter hujus sensus est Divus Hieronymus, *Ascendisti in cœlos, captivasti nos, qui captivi tenebamur à diabolo; cœlorum excelsa conscendens, eos qui in captivitate diaboli tenebantur absolvit; ac post se tanquam captivos deductos æternæ vitæ restituit.* Et Divus Bruno, *Captivasti nos, qui captivi tenebamur à diabolo.* Et Divus Thomas Aquinas ut explicaret hanc captivitatem subdit, *hanc ergo captivitatem Christus liberavit, & secum duxit in cœlum.* Sed tota difficultas in aliqua contrarietate ad minus apparente, quæ inter Davidem, & Apostolum Paulum intercedit consistere videtur: Ille ait, *Accepisti dona in hominibus*, hic *dedit dona hominibus*: Dare & recipere multum abeunt. Et quomodo à nobis recipere poterat, si sit Deus, qui *bonorum nostrorum non indiget?* Remigius Altisiodorensium Præsul responderet, *Accepisti dona in hominibus, id est ipsos homines accipies in donis tuis.* Divus Thomas Aquinas nec apparentem esse contrarietatem vult. *Nec est contrarium, quod in litera præcedenti dicitur, accepit dona in hominibus, quia certe ipse dedit ut Deus, & accepit ut homo: dedit in cœlo sicut Deus, & accepit in terra sicut homo.* Ac Divus Hieronymus filium Dei, & accepisse, & dedisse, & consequenter utrumque optime locutum asserit: *Benedixit, accepit, à Patre accepit: accepit ut homo, dedit ut Deus, & quod accepit, hominibus accepit ut det.* Hi duo termini. *Dedit, & accepit* mihi duæ mineræ, è quibus aurum stuporem, ac admirationum nunquam in mundo practicatorum, effoditur videntur. Nam humana proprietas, ut alteri quid det, non multum inclinatur Hinc si quis det suum, id fieri præter inclinationem naturæ, & consequenter actionem esse miram dici potest; sed quid? si nonnemo esset, qui tam libenter largiretur, & quidem tanto gustu, ac si reciperet nonne ille velut magis mirus admiratione, stupendus esset? talis Salvator noster hodierno die fuit, adeo donationibus delectabatur, *dedit dona*, ut tanta satisfactione perfunderetur, ac si ab aliis donariis, & muneribus ditaretur. *Accepit dona in hominibus. Accepisti*, verba sunt Divi Thomæ Villanovani, *in hominibus munera, quæ ipse dedisti: In terris namque velut pius medicus languores nostros, ægritudineque curavit: E cœlis autem velut potens Dominus, pretiosa, magnificaque nobis dona demisit.* Vel ut alius dixit, *In Psalmo dicitur: Accepisti dona in hominibus: Paulus vero Apostolicâ auctoritate maluit dicere dedit dona hominibus, ut ex utroque verbo uno scilicet Apostolico & altero prophetico, sensus plenissimè redderetur.*

S Hieron. Tom 7 fol 111. col. 1. A. — *S Bruno in Biblioth PP. Tom. 11 fol. 149. col 2* — *S Thom. Aq in cap. 4. ad Ephes Lect 3. fol. 144. col. 2 A.* — *Ad Ephes. 4. v 8.* — *Psalm 15.* — *Remig. in Bibl. PP. Sæc. 9 p. 2. fol. 747. col 1. A* — *Aquin. in c ad Eph. fol. 44. col 2. A.* — *S. Hieron. ubi sup.* — *S Thom. Vill com. 1. de Asc. fol. 207. col. 1.* — *Mich. Ayguan. in Psal. 67. N. 1076. A.*

11. Palatio Empyrei admissus inter alios honores, quibus à Patre æterno est receptus, is qua in sede ad dexteram ejus est collocatus mihi è celebrioribus videtur. Honor is est tantus, ut Divus Paulus stupore inusitato eum Hebræis extolleret; *Cui enim Angelorum dixit aliquando Deus, sede à dextris meis?* Et quadam vice dum Lucifer creaturarum à divina potentia productarum nobilissima sessionem appeteret, è cœlo velut rebellis proscriptus orco addamnatus est. Hinc Divus Petrus Damianus, *Omnes stant, & tu ô Dœmon sedere præsumis?* hæc excellentia soli filio Dei debetur. Idcirco David: *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis*: Rabbi Jonathas filius Ozielis, qui tantæ autoritatis fuit, ut nemo ejus doctrinæ sese opponere auderet legit; *Dixit Dominus verbo suo sede à dextris meis.* Et Divus Marcus, *Postquam locutus est eis, assumptus est in cœlum, & sedet à dextris Dei.* Nec dissentit sanctus Jacobus minor prout in symbolo Apostolorum legimus, *Ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis.* Et Apostolus ad Colossenses, *quæ sursum sunt quærite, ubi Christus sedet in dextera Dei Patris.* Quod Pater ad dexteram suam eum locarit res certa est, ac ob tantorum auctoritatem non est qui dubitet. Sed quam mysteriosa, quam prodigiosa est illa sessio? respondet sanctus Remigius Altisiodorensium Episcopus *Mirabile mysterium Christi sedentis ad dexteram patris. Sedet* ait Divus Ambrosius ut ei datam esse potestatem judicandi, & regnandi sciamus. *Sedet ut regnet, & judicet, judicis enim in sinistra sedere non est. A dextris* ait sanctus Pater Au-

Ad Heb. cap. 1. — *D. Pet. Dam.* — *Psal. 109.* — *Rabbi Ionath.* — *Marc. 16.* — *D. Iacob. in symb. Apost.* — *Ad Colos. 3* — *S. Remig. Altisiod in Bibliothe. PP. Sæc. 9. p. 2.* — *S. Ambr. in cap. 1. ad Colos. fol. 181.*

S. August. in caten. D. Thom. cit ad cap. 16. Marc.

Augustinus, ut cuilibet constet, quod cum venerit è cœlo ab hominibus judicandus illa potestas sibi à Deo data sit ut illam in judicio exerceat. *A dextris, per sessionem intelligimus potestatem, quam accepit ille homo à Deo, ut veniat judicaturus, qui primo venerat judicandus.* Sedet, ait incognitus,

Incognit. in Psal. 109. fol. 771. D.

hoc est post labores in mundo exantlatos, post tot sudores, tantum sanguinem ob peccata hominum effusos, quiescit, ac fructus gloriæ beatæ colligit. *Sedet id est post laborem quiescit, & regnat secundum quod homo. A dextris* ait Chrysologus,

S. Chrysol. ser. 58. in symb. Apost.

ut pater non sedeat à sinistris, quia divinitas nihil recipit sinistrum. Sedet subnectunt alii, ut quantum dignitas, beatitudo, & gloria Christi reliquas omnes creaturas anteeat, ostendat. *Sed & significat hac sessio humana natura Christi illius excellentiam creatam; summam, & singularem ejus beatitudinem, & gloriam. A dextris* exponit Dionysius Carthusianus ut se patri in majestate parem monstret, *Ad dexteram Patris sedet, id est in æqualitate majestatis paternæ. Sedet,* ait Hugo Cardinalis, *velut Deo in Deitate æqualis, & quoad humanitatem velut cœlestium bonorum possessor: Sedet in æqualitate patris secundum quod Deus, vel impotioribus bonis secundum quod homo.* A dextris explanat Haimo Halberstadensium Episcopus. *Id est, habitat in magnitudine honoris, & paterna gloria. Sedet* ait Theodoretus ut quâ homo acciperet, quod quá Deus possidebat. *Ut homo accepit quod ut Deus habebat.* Ad dexteram dicit melleus Doctor, quia pater eum clarificat, & charitatem quam ab æterno habuit manifestat. *Hodie hunc suum, & hominis filium apud semetipsum pater clarificat, charitate, quam habuit priusquam mundus fieret apud ipsum. Sedet* ait Ludolphus Carthusiensis, sed ad dextram Patris æterni; & *Christum in dextera patris sedere est humanitatem in gloria divinitatis requiescere.* Sed jure *A dextris, quia in sinistra adversitatis diu fuit.* Ita quod sessio in Capitolio Empyrei dignitas sit adeo sublimis, & excellens, ut ipse stupor admiretur, & illam explicare non possit, *In potioribus partibus Empyrei cœli sic ineffabiliter honoratus est,* sunt verba B. Simonis à Cassia; & in quantum

Corn. à Lapid in cap. 3. ad Colloss fol. 637 A.

Dionys. Carth in 3. cap ad Coloss fol. 162.

Hugo Card ibid. fol. 292.

Haimo in Biblioth. homil in c. 6 Marci.

Theod. in in Psal. 109.

S. Bern. ser. 6. in Ascens fol. 263. K

Ludolph. Carth p 2 c. 82. M.

B. Sim. à Cass. lib. 4 fol 422. col. 1.

stuporem terram, homines, cœlum, Angelos egit dum Deus ad nostras miserias se humiliavit, tantâ etiam admiratione totum universum ejus Ascensio, ac sessio ad dexteram patris defixerunt. *Sedet à dextris Dei:* hinc in Catechismo legimus; *Neque enim abjectius aut humilius quicquam cogitari potest, quam quod filius Dei pro nobis humanam naturam, & imbecillitatem assumpserit, patique, & mori voluerit: nunc vero in cœlum ascendisse, & ad Dei patris dexteram sedere confitemur, nihil ad ejus summam gloriam, divinamque majestatem declarandam magnificentius dici, aut admirabilius potest.*

Catech. Rom. p. 1. de 6. symb. art. sect. 4.

12. Actum illum gratitudinis esse grates illas, quas Angeli pro hominibus humanato Deo persolverunt non nescio. *Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam;* & hoc non solum de incarnatione, & nativitate Christi, sed & de omnibus ejus operibus, ac gestis prodigiosis, & mysteriosis in bonum universi generis humani peractis, ac particulariter de Ascensione ejus, de qua merito dici potest, *Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam,* intelligitur. O amantissime redemptor ob tuam grandem, & incomprehensibilem gloriam tibi grates rependimus. Et hunc modum loquendi quis non obstupeat? hoc subjectum potius esse objectum congratulationis, quam gratitudinis reor; grates beneficiis receptis, at illi, qui excellentiis, ac prærogativis donatur congratulatio debetur. *Gaudeo propter magnam gloriam tuam, gratias ago ob beneficia in me collocata,* benedicitur, nec est qui id neget. Sed hanc Phrasin adhiberet, *Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam,* ego esse impropriè loqui dixerim. Ut hoc punctum percipiamus ad Epistolia Divi Pauli recurramus. Hic dum Ephesiis acta, quæ hoc die obtigerunt ante oculos poneret dixit: *Cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos Christo cujus gratiâ estis salvati, & conresuscitavit, & consedere fecit in cælestibus.* Quot gratias à nostro Deo percepimus, sed speciatim dum *nos conse-*

In hym. Ang.

Ad Ephes. 2.

sede-

sedere fecit in cælestibus audite. Cur non dixit sedere? eodem stylo Apostolum eundem ad Hebræos usum observo. *Talem habemus Pontificem, qui consedit in dextera sedis magnitudinis in cælis.* Quid Tò consedit significat? doctè id elucidat Dionysius Carthusianus. Id est, *simul cum Patre sedit ab hora Ascensionis secundum humanitatem, secundum divinitatem verò à principio.* Sicut consedere idem, ac simul sedere sit. En ergo explicationem illius, quod scripsit ad Ephesios: *Consedere nos fecit* (loqui eum in præterito, præsenti, ac futuro nota) *in cælestibus in Christo. Id est,* explanat idem Carthusianus: *Per fidem, gratiam, & meritum Christi jam præparavit nobis locum quietis in cælestibus mansionibus, nunc enim consedere nos fecit in spe.* Hæc est causa cur ejus gloriæ, quam hodie ascendendo in cælum, & sedendo ad Patris dexteram recepit, grates referre teneamur. *Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam,* cujus modo nos facit participes in spe, sed postea in re, cum *consedere nos faciet,* hoc est, quando quasi in eodem throno suæ gloriæ nos consortes reddere vult. *Breve verbum,* inquit quidam modernus scriptor, *quod omnino non solum significat, sed simul cum aliquo alio sedere; planè ut innuatur, eam quam ipse in cælestibus occupat sedem, non sibi solum esse, sed nobis etiam omnibus communem ab eo factam.* Et sanctus Cyrilius Alexandrinus subdit, *Sedet apud Patrem ut filius, ut nos per ipsum filii Dei reddamur; propterea Paulus, in quo Christus loquebatur, omnia quæ ipsi propria ut homo fecit, generi humano communia esse docet, dicens, consuscitavit nos, & consedere fecit in cælestibus.* O mira? ô stupores! una creatura sit particeps gloriæ Salvatoris? vermiculus terræ vilissimus ad thronum gloriosum Dei admittatur? obscuritas umbræ in solio gloriæ ipsis radiis divinitatis cohabitet? Ergo *gratias agimus tibi propter &c* Hinc Jacobus à Valentia, *Propter magnam gloriam, & beatitudinem tuam, quam nobis communicasti, & ejus nos fieri participes voluisti.*

Ad Hebr. 8.

Catech. Rom. p. 1. de 6. symb. art. sect. 4.

Dionys. Cart. ibid. fol. 340. A.

Ad Ephes.

Ioan. Anton. Velasq in Psal. 100. Lib. 5. Annot. 26. nu. 9. fol. 376.

In hym. Ang.

D. Cyrill. Alexand. in cap. 14. Ioan.

Iacob à Valent. in Cant. Angel. fol. 472. col. 2.

13. Sed quis adeò sit felix, & fortunatus ut cum Christo gloriâ illâ beatâ donetur? Propheta Regius id clarè expressit; audi Christiane: *Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in monte sancto ejus?* ille, qui quatuor conditiones habet. *Innocens manibus; & mundo corde: qui non accepit in vano animam suam; nec juravit in dolo proximo suo* Hæc sunt quatuor media. Scilicet innocentia manuum, puritas cordis, sanctitas vitæ, sinceritas linguæ, per quæ in cælum conscendimus. *Hi sunt quatuor,* sunt verba S. Antistitis Thomæ. *Gradus per quos in vitam ascenditur: Innocentia in vita, puritas in corde, fructus in opere, veritas in sermone.* Primò requiritur innocentia manuum, nec hæc in alio, nisi quod alteri feceris, quod tibi vis fieri, consistit; nil aliud est, quam quod opera charitatis exerceat, fideliter dispenset aliarum facultates, & specialiter pauperum, pupillorum, hospitalium, & locorum sacrorum Hoc *innocens manibus* significat. Præterea opus est puritate cordis, quia sanctorum cogitatuum, & non terrenorum desideriorum, divinarum inspirationum, & non sensualium spurcitiarum locus esse debet. Sit habitaculum Spiritus Sancti, & non cloaca peccatorum, sit thronus charitatis, & non odii, sit solium virtutum, non sentina vitiorum, *Et mundo corde.* Hoc non sufficit, sed sanctitas vitæ jungenda est. O quot animam habent rationalem, & vitam ducunt bestialem! quot ducuntur sensibus, & non ratione? vitam agunt inertem, & si forsan alicui rei se impendunt, non est hæc aliud nisi ludus, negotiationes illicitæ, oppressiones operariorum, vindictæ, inimicitiæ, homicidia, aut amores impudici, recreationes vetitæ, non tantum Deo, sed & legibus mundanis exosa. Edunt, bibunt, dormiunt, & operationes potius belluas, quàm humanas excercent; pejorum vitam Epicureis, Atheistis agunt Hi, & similes: *Acceperunt in Vano animam suam.* Demum ultimo linguam veracem, & non quæ serva sit falsitatis, fictionum maximè in damnum proximi habere debemus. Sed quis, quam sint fallaces homines linguâ, & verbis ignorat? *Mendaces filii hominum ut decipiant.* Aliud non spectamus nisi proximum fraudibus, ac mendaciis circumvenire. Quot perjuria fiunt ut ei quod non est, fidem concilient? quot falsa juramenta ob proprium commodum, aut ut proximus perdatur, emittuntur? *Hi, qui jurant in dolo proximo suo, non ascendent in montem Domini,* neque

Psal. 23.

Psalm. 23.

S. Thom. Vill. Conc. 2. in Ascens. fol. 208. col. 1.

Psalm. 23.

Psalm. 23.

neque stabunt in loco sancto ejus. Sed qui quatuor allata habet cum Christo ad montem gloriæ ascendet, & cum eodem in solio æternæ beatitudinis sedebit. *Si quis,* verba sunt sancti Thomæ à Villa nova, *ergo hæc quatuor supradicta inviolabiliter observaverit, si quis brevem istam scalam quatuor graduum sedulo conscendere procuraverit, hic accipiet benedictionem à Domino; hic ascendet in montem Domini, & stabit in loco sancto ejus: hic perpetua felicitatis gaudiis perfruetur æternis cum Deo,* & filio ejus unigenito Jesu Christo. Quiescamus.

S. Thom. Vill. ubi supra.

ALTERA PARS.

13. SI hæc solemnitas fuerit miraculorum prodigium colophonem formare cum Divo Bernardo, qui Ascensionem complementum, & finem omnium actionum, ac solemnitatum nostri Redemptoris vocat possumus: nam sicut finis, aut causa finalis est causa causarum; sic Ascensio adeò fuit portentosa, ut merito, quod sit solennitas solennitatum, ac terminus omnium operum Christi affirmare quimus. En Divum Bernardum apertè loquentem: *Consummatio enim, & adimpletio est (Ascensio) reliquarum solemnitatum, & felix clausula totius itinerarii filii Dei.*

S Bern. Serm. 2. de Ascens. fol. 250.

14. In hac solemnitate affirmante eodem sancto Salvator se esse Dominum omnium creaturarum ostendit, & talem eum agnovit terra, quando ad imperiosas ejus voces: *Lazare, veni foras,* promptè obedivit. *Et statim prodiit.* Mare quod semper est turbidum, nec unquam serenam frontem exhibet contra impulsum naturæ non solum tranquillatur, sed & solidum, ac firmum ejus plantis sustentandis factum est. Infernus, aut limbus, cujus portas diffregit, ejus nutibus tremens se dedit, & homagium debitum præstando animas sanctorum Patrum, quas obscuro suo carcere concluserat ejus dominio consignavit; solum ut velut Dominus universi possessionem aëris, ac Empirei acciperet, restabat. *Restat ut videntibus Discipulis per medium aëris, Dominus ascendens super omnes cælos, & tunc probabitur, quia Dominus universorum tu es, quia omnia in omnibus adimplesti.*

Ioan. 11.

S. Bern. ubi supra.

15. Divus Pater Augustinus mortem Jesu Christi vespero, ac nocti, non solum, quia *Tenebræ factæ sunt super universam terram;* sed etiam, quia sol justitiæ ad occasum mortis declinavit, comparat. Resurrectionem confert auroræ, *quia valde mane* est resuscitatus, & velut sol è montibus orientis, ex occasu tamen tumuli funebris, ac fatalis prodivit. Ascensionem porrò assimilat meridiei, quo sol maximè suos splendores ostentat, radios dilatat, ac maximè micat. Forsitan Ascensionem tanto præ reliquis festivitatibus esse prodigiosiorem, quo sol majores splendores in meridie, quam mane, aut vespere emittit, docere voluit. Hæc tria mysteria David prævidit. *Vespere, & mane, & meridie narrabo, & annuntiabo, & exaudies vocem meam. Vespere,* en mortem. *Mane,* en Resurrectionem. *Meridie,* en Ascensionem. Hinc sanctus Pater Augustinus: *Vespere, Dominus in cruce, mane in Resurrectione, meridie in Ascensione. Enarrabo vespere patientiam morientis: mane annuntiabo vitam Resurrectionis, meridie orabo ut exaudias sedens ad dexteram Patris.*


Matth. 27. Marc. 16. Psalm. 54. S. August. ibidem.

16. Mentem vestram ô N. ostensum illud mysterio sum illius currus, quem quatuor animalia vehebant vati Ezechieli monstratum, subeat. Primum hominem, alterum bovem, tertium leonem, quartum aquilam exprimebat. *Similitudo vultus eorum, facies hominis, facies leonis, facies bovis, & facies aquilæ desuper ipsorum quatuor.* Hoc curru vita nostri Redemptoris, vel ejus humanitas mihi figuratur; quatuor animalia sunt quatuor actiones principales quas patravit. Facies hominis incarnationem, *quando Deus homo factus est,* velut scribit Apostolus: *In similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo,* denotat. Bos teste Pierio Valeriano laboris est symbolum; idcirco Romani, ut glorias, diademata, honores, nonnisi laboribus obtineri docerent; bovem coronatum, ac floribus sertatum depingebant. Præterea cum sit animal deputatum sacrificiis, ut apparet ex Levitico, ubi qualitates bovis litandi præscribuntur, mortem significat. *Masculum immaculatum offeres ad placandum tibi Dominum.*

Ezech. 1. Ad Philip. 2. Levit. 1.

S. Cyril. ibidem. num. Et Divus Cyrillus bovem figuram esse Christi patientis, ac in ara crucis Patri æterno oblati affirmat. In leone Resurrectio Christi expressa cernitur. Nam sicut hoc generosum animal dormit oculis apertis, quasi ut vigilare videatur; sic Dominus tumulo reconditus velut homo in somno mortis dormiebat, ac velut Deus vigilabat, *Ego dormio, & cor meum vigilat* Cant. 5. Quartum exprimebat aquilam, quâ Ascensio Filii Dei designatur. Hujus sensus fuit Divus Ambrosius. S. Ambr. vel potius S. Maximus Episc. hom. 43. quæ est 2. de Pentec. *Sicut enim aquila humilia deserit, & cælorum vicinia conscendit, ita & Salvator humilia inferni deserit, & paradysi altiora petit; cælorum fastigia penetravit.* Sed cur potius aquilæ, quam alteri animali hæc Ascensio comparatur? ego idcirco crediderim, quod sicut aquila cum sit Regina avium redditur prodigiosa, sic hæc solennitas inter alias miram se ostentat. Est opinio moderni cujusdam scriptoris Hispani, cujus sic verba Latina reddo. Diegus Morill. Serm. 1 de Ascens. *Hinc colligite, quod sicut aquila est Regina omnium avium; & altius cæteris volat; sic hæc festivitas omnium festivitatum Christi velut Regina est, & altius quam reliquæ alas levat.* Et quod hoc sit verum; quomodo vates de aquila loquatur, audite. *Facies aquilæ desuper ipsorum quatuor.* Ita: quia in incarnatione: *Exinanivit semetipsum formam servi accipiens*; In passione, & morte ad illos terminos se reduxit, de quibus Isaias: *Non erat aspectus, neque decor.* Isai. 53. Verum in Resurrectione quidem è sepulchro radiis gloriæ cinctus prodiit, sed nihilominus adhuc inter miserias hujus mundi remansit, nec solium dextræ Patris dignitati ejus debitum obtinuit. Sed in Ascensione non solum in gloria adeptus est primos honores, sed & thronum Empyrei conscendit. Unde hæc solemnitas præ reliquis esse prodigiosiorem, ac portentosiorem apparet. Sic citatus scriptor asserit. *Si ergo hæc festivitas antecellit reliquas, justum est ut Ecclesia singulare gaudium in ejus celebratione ostendat, & vocet eam festum admirabile, uti revera est.*

Porro cum verum sit objectum mirum potius silentio, quam verbis celebrari, silentium (cum voci meæ id sit impossibile) portenta hujus festivitatis, extollat.





DOMI-

DOMINICA SEXTA
POST PASCHA.

Cum venerit paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre Spiritum veritatis, qui à Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me, & vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis. Joan. cap. 15.

ARGUMENTUM.

Ostenditur contra Iudæos ex Scripturis Unitas essentiæ, & Trinitas personarum, Messiam, Deum & hominem venisse, legem veterem desiisse.



1. MAgna res, quod difficultas, quinimò dixerim impossibilitas reperiatur veritatem nationi Hebreæ persuadendi. Hæc adeò adhæret falso, & non minus cæcam, quam pertinacem in non cognoscendâ, & fatendâ veritate se ostendit, ut nomen inimicæ veritatis, & fautricis falsitatis non curet incurrere. *Qui*, ait sanctus Pater Augustinus: *Veritatem conculcat, & qui prodit mendacium, uterque reus est.* Sed hæc gens infidelis, & obstinata, velut dicitur in Hebraico *Casceh leu*, *Cascehnghoref*, hoc est durâ cervice, & corde faciat quidquid velit; (nam ut scribit D Bernardus: *Talis est veritatis status; ut etiam multis impugnantibus, suscitetur, & crescat*) non obstante, quod veritas Evangelica verissima sit, prout certum est solem lucere, ignem ardere, terram esse firmam, cælum esse mobile; attamen ne nauseant, uti olim fastidierunt manna, spiritus paracletus ait Christus è cælo aderit, ut illam veritatem testetur. *Cùm venerit paracletus ille testimonium perhibebit de me.* Prætetea ô Apostolis vobis etiam prædicabitur, ac clarè operibus, & prodigiis confirmabitur. *Et vos testimonium perhibebitis de me.* Sed quantumvis Hebræi essent testes oculati; nihilominus non præbuerunt assensum, nec hodie Catholicis credere volunt. Nempe potius opinioni nimis falsæ thale-

D.P. Aug. lib. de Agonia Christi.
Apud Melchiorem Palontrotic. 2. fol. 16.
D. Bern.
Ioan. 15.
Ibidem.

tis adhærere volunt, qui interrogatus quantum distet verum à falso, ut gentilis: *quantum oculi distant ab auribus* respondit: *Nam ea tantum pro certis haberi ajebat, quæ hominum cernuntur oculis.* Et quantumvis doctrina adsit Platonicorum, quod *suavissima est veritatis narratio*; nihilosecius Hebræis est in horrore, ac magis quam cibus infirmo, fel palato, insipida est. Et si ipsis fas esset contra eum, qui illis hanc veritatem demonstrare nititur, majori crudelitate, quam cambises contra sinceritatem præsasbis sævirent. Si hoc ævo Æschilus Philosophus resurgeret contrarium probans in Hebræis suam propositionem, *Adeò veritas valida est, ut omnes humanas cogitationes facilè superet* retractari cogeretur

Man. lib. 18. apoph. Max. ser. 39. Stob. serm. 11.
Apud Stob. serm. 11.

2. Axiomata vera, & catholica, quæ hæc vaga gens credere renuit multa sunt, sed tria præsertim. Primum pertinet ad mysterium ineffabile Sanctissimæ Trinitatis, secundum ad Christum nostrum Redemptorem velut verum Messiam, tertium ad legem Mosaicam, & Evangelicam. Hinc ô Hebræi vestræ perfidiæ debellandæ ad tria suadenda, nempe Deum esse unum in essentia, & Trinum in personis, Christum à vobis crucifixum, esse verum Messiam, legem Moysis desiisse, & Evangelicam esse observandam, me paro. Vos alloquor, ô Christiani, & fideles hoc me noster Redemptor docet, & in hodierno Evangelio ansam persuadendi reperio, quo-

quoad primum, *cùm venerit paraclitus*, en Spiritum Sanctum. *Qui à Patre procedit*, ecce Patrem. *Ego mittam vobis*, viden filium. Quo ad secundum *Et vos testimonium perhibebitis de me*, en Messiam; *sed venit hora, ut omnis, qui interficit vos arbitretur obsequium se præstare Deo*, ecce legem Evangelicam, ob cujus prædicationem Apostoli, uti & factum est persecutionibus petendi erant. Attendant ergo tam Hebræi, quam Christiani, illi ut confundantur, hi ut consolentur.

PARS PRIMA.

3. INter omnia documenta vobis ô Hebræi à Patriarchis, & Prophetis data unum maximæ considerationis, & consequentiæ est: illud nempè, quod vobis
1.Reg cap. 12. magnus vates Samuel reliquit; *Timete Dominum, & servite ei in veritate.* Si huic veritati non obsequimini, nec Deum timetis, nec doctrinæ Samuelis insistitis. Discredere Mysterio Sanctissimæ Trinitatis idem est, ac Deum non timere, & à servitute ejus se amovere, quantum verum amovetur à falso. Scio vos mihi responsuros contrarium in Deuteronomio haberi, qui
Deut. cap. 6. num. 5. Deum Unum, & non Trinum docet: *Audi Israel, Deus, Deus noster, Deus unus est*, adeoque velut uni famulatum, timorem, adorationem exhibere esse promptos. Quod Deus sit unus res est certa, & nemo tam Hebræorum, quam Christianorum dubitat, aut contrarium credit: sed & præterea verum est non solum non repugnare Trinitatem personarum, sed & insuper necessario esse admittendam, & confirmandam ex textu pro vobis allegato (qui tamen contra vos est) clarè ostenditur. Porrò nomen *Deus* ibi ter repeti, non quod sint tres Dii, sed tres personæ, quæ
Rabbi Simeon ibid. unus sunt Deus observandum. Ideo subdit: *Deus unus est, & non plures sunt.* Rabbi Simeon Benlobayus hic Patrem, & Filium, &
Apud Hadrian. Trini lib. 8. c. 9. fol. 431. col. 1. Spiritum Sanctum intelligi apertè asserit: *Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum explicitè profert.*

4. Hinc evidenter Deum esse trinum in personis concluditur. Hujus ex libro Numerorum confirmationem habemus: dum Deus Moysi præcepit, juberet sacerdoti Aaroni, ut benedictionem filiis Israel impertiatur, & modum benedicendi præscriberet *Sic benedices filiis Israel. Benedicat tibi Dominus, & custodiat te, ostendat Dominus faciem suam tibi, & misereatur tui. Convertat Dominus vultum suum ad te, & det tibi pacem.* Num. 6. 24.
Ob tres personas, quarum quælibet est Deus Tò Dominus ter repetitur; sed ut monstret unum tantum esse Deum textus subdit, *Invocabuntque nomen meum super filios Israel.* Non dicit *nomina nostra, sed nomen meum*, ut unitatem essentiæ Trinitati personarum non repugnare ostenderet: *Fit enim prius tertia nominis repetitio, demum in fine nomen Dei in singulari concludit ipsius Deitatis unitatem esse in tribus personis: respicit enim hæc locutio pluritatem trinam, quæ est in divinis eum unitate essentiæ.* Hadrian. Fini ubi supra fol. 430. col. 4

5. Ab Hebræis, quem Deus alloquebatur, dum ante formationem hominis dixit: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram?* scire vellem, quod allocutus sit Angelum nec potest, nec debet affirmari. Gen. 1.
Primo, quia cum Deo ad creationem non concurrerunt. Secundo, si Angelus concurrisset cum dicat Deus: *Faciamus ad imaginem nostram*, sequeretur hominem non solum ad imaginem Dei, sed & ad imaginem Angelorum creatum; cum ergo Moyses hominem ad imaginem solius Dei creatum asserat, nec verbum habeat de Angelis: *Ad imaginem Dei creavit illum*, verisimile redditur, quod Angelum non sit allocutus. Nec poteritis vobis imaginari, quod cum seipso verba fecerit, quia actus imprudentiæ videretur, qui cum dicat imperfectionem, longius à Deo quam esse à non esse abesse debet. Ergo ad alium hæc dixisse debet. Qui in scopulum non vult impingere absolutè hæc verba à Patre æterno ad Filium, & Spiritum Sanctum prolata fuisse concedere debet. Et quantumvis quælibet persona sit Deus, attamen ut unum tantum Deum esse ostenderet non dixit in plurali: *Ad imagines, & similitudines*, sed in singulari *ad imaginem, & similitudinem.* Quod disertè Moyses expressit subdens: *Et creavit Deus hominem ad imaginem, & similitudinem suam, ad imaginem Dei creavit illum.* Ergo ex eo quod Gen. 1.

quod dicat ad imaginem, & similitudinem unitatem essentiæ, ex eo vero quod afferat, *faciamus*, pluralitatem personarum credere, & affirmare debemus. Id etiam ex verbis à Deo post peccatum ad Adamum dictis : *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est*, roboratur. Et quamvis multi hæc ironicè dicta putent; quia tamen de seipso loquitur in plurali in Deo aliquam pluralitatem, non quo ad essentiam, quæ est simplicissima, sed quoad personas concedendum necessario est.

Gen. 3.

6. Dicite, quomodo intelligitis illum textum Isaiæ. *Et nunc Dominus meus misit me, & spiritus tuus.* Deus Redemptor per os Vatis hic loquitur, ideo subditur. *Hæc dicit Dominus Redemptor tuus sanctus Israel: ego Dominus Deus tuus docens te utilia, gubernans te in via quâ ambulas.* Subjectum de quo hic est sermo est missio : *Misit* : Ergo cum nemo seipsum mittat persona mittens, & missa assignari debet. Personæ mittentes sunt duæ. *Dominus Deus.* En primam ; *Misit me.* en secundam, quæ est filius incarnatus, *& Redemptor. Et spiritus tuus*, en tertiam. Et quia in divinitate non est pluralitas dixit : *Misit*, & non *miserunt*. Ut veritatem fugiant ad duo subterfugia adversarii confugere possunt ; dicent enim primo ipsummet Isaiam esse à Deo missum, ita ut Tò *me* Isaiam afficiat. Hoc absolutè falsum est, quia ille, qui dicit, misit me est Deus; hinc Propheta subdit : *Hæc dicit Dominus Redemptor tuus sanctus Israel.* Verùm quidem est Isaiam fuisse sanctum, sed non erat Deus nec Redemptor, ergo de ipso locus ille nequit intelligi. Secundo dicere poterunt mittentem, & missum esse ipsum Deum. Nunc ut vestrum errorem tueamini in quosnam scopulos, in quænam absurda à vestra pertinacia pellamini videte. Ut dixi cum nemo seipsum mittat persona mittens à missa realiter distingui debet ; si dicatis Deum intelligi ut Deum, ergo mihi Deum distinctum realiter ab altero in divinitate assignetis, quod quam falsum sit ipsi judicate. Ergo credite veritati, & cum essentia divinitatis sit simplicissima, & unica, personarum distinctionem ob missionem confitemini.

Isaia 48. 17.

Ibidem.

7. Sapientissimus Salomon à Deo cælum, & orbem regi, nec frondem absque ejus voluntate, & permissione moveri persuadere volens sic interrogat. *Quis ascendit in cælum, atque descendit ? quis congregabit ventum in pugillis suis ? quis ligavit aquas in vestimento ? quis suscitavit omnes terminos terræ.* Tacitè omnia hæc mira à Deo patrari insinuat, & dein subdit. *Quod nomen ejus, & quod nomen filii ejus ?* O qualis novitas ! ergone Deus sit filius. Id asserente Salomone quomodo id negare possitis nescio. An non à Davide de filio Dei vaticinante, sic Deum loqui : *Dominus dixit ad me, filius meus es tu ego hodie genui te* introduci auditis ? & alibi Pater dixit: *Ex utero ante luciferum genui te.* Si homini à Deo perfectio generandi data, vultisne Deo illam ademptam ? an non percipitis Isaiam de illo loquentem : *Nunquid ego, qui alios parere facio sterilis ero ?* si detur filius, debet & admitti Pater. Cùm enim unus sine altero non possit esse, en duas personas distinctas patrem generantem, & filium generatum. Si præterea velitis tertiam, imò omnes tres divinas personas. Hunc discursum verissimum, & certissimum formemus. Primò mysterium sanctissimæ Trinitatis non posse capi absque lumine fidei suppono ; nihilominus meliori modo possibili nonnihil illud illustrare studebo. Audite. Vel Deus est æquè perfectus, quam homo, vel magis, vel minus ? Profectò dicetis eum in infinitum esse perfectiorem. Homo ex sua perfectione est dotatus intellectu, quo cognoscit, ergo & hanc perfectionem Deo tribuere debemus ; hinc sicut homo se in speculo contuens videndo sui imaginem, & similitudinem in speculo repræsentatam, in mente conceptum, & idæam suiipsius generat ; sic Deus etiam actu intellectus in sua essentia velut in speculo seipsum conspiciens in sua mente conceptum, idæam, imaginem, vel similitudinem suiipsius generat. Nec hæc imago est accidens veluti in nobis ; cùm enim accidens dicat imperfectionem, &

Proverb. 30.4.

Ibidem.

Psalm. 2.

Psal. 109.

Isa. 66.

Deus sit perfectissimus, adeoque sit incapax accidentis in eo substantia erit. En ergo imaginem substantialem ab intellectu divino genitam. Hæc ergo imago genita, vel est eadem cum generante, vel distincta; & dico quod sicut filius in humanis est idem omnino cum patre quoad naturam, & humanitatem, distinctus quoad personam, quæ est *Rationalis naturæ incommunicabilis subsistentia*, sic hæc imago genita ab intellectu divino in natura, essentiâ, vel divinitate est eadem entitas cum Deo, & consequenter Deus, sicut filius hominis est homo. Quod etiam res genita sit distincta à generante est certissimum; nam nihil seipsum gignere potest. Hinc sequitur generantem, & genitum esse idem in entitate quoad essentiam, distingui verò realiter quoad personam. Nunc ergo habemus duas personas realiter distinctas, cum hac diversitate, quod generans sit pater, genitus sit filius, generare enim convenit Patri, generari filio. Prima ergo persona dicitur Pater, secunda filius; nam Pater est prior Filio, non tempore (sunt enim coæterni) sed Origine.

Proverb. 30.4.

Ibidem.

Psalm. 2.

Psal. 109.

Isa. 66.

8. Nunc modum quo assignemus tertiam personam Spiritum Sanctum investigemus. Dicant Hebræi an Deus habeat voluntatem. Scio id illos non negaturos, & frustra probaretur, cum illi hoc fateantur, & si careret voluntate, non posset velle, & necessario concluderetur hominem, qui habet voluntatem, & vult esse perfectiorem Deo, quod dici non debet. Ergo Pater, & Filius, qui sunt Deus habent voluntatem, cujus actus sunt amor, & odium. Hic scire velim an hæ personæ se invicem ament, vel odio habeant? hoc ultimum non poteritis dicere, quia Deus seipsum odisset, quod esse nequit. Ergo se amant. Hic ergo amor ab ambobus productus non potest esse accidens ut supra dictum, sed substantia, hoc est, terminus substantialis voluntatis primæ, & secundæ personæ. Hic terminus, quia originatur à Deo, & est in Deo, debet esse ejusdem essentiæ cum Deo, nec potest esse aliud quam Deus; sed quia productus debet distingui ab ambabus personis producentibus si non in natura, saltem in personalitate, en constitutam tertiam personam. Hanc vocamus Spiritum Sanctum; sicut enim in nobis spiritus significat impulsum, & motionem, sic enim amoris proprium sit movere, & allicere voluntatem amantem ad objectum amatum, hic amor divinus dicitur Spiritus Sanctus. Datur præterea ipsi titulus sanctitatis, quia est Deus, & essentialiter sanctitatem includit. Ergo cùm sint tres personæ, qui sunt unus Deus, necessario esse unum Deum, & tres personas, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum concludendum est.

D. Thom. 1. p. q. 36. art. 1. Thom. de Argent. in 1. Sent. dist. 10 q. 1. art. 1.

9 Una ex his personis nempe secunda in mundum venit in utero Beatissimæ & sanctissimæ Virginis MARIÆ naturam assumptura humanam. Sic vaticinatus Isaias: *Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium, & vocabitur nomen ejus Emanuel.* In Hebræo legitur *Halma*, quod propriè significat virgo, ut affirmat Rabbi David Chimhi in libro Sarasim, hoc est, de radicibus verborum, & nominum Hebræorum. *Emanuel* interpretatur *nobiscum Deus*. Hic dictus est JESUS Christus, & fuit verus Messias à Patribus exspectatus, à Vatibus promissus. Hoc secundum punctum scio non minus reddi difficile, ô Hebræi quamprimum; nec vultis præbere assensum quantumvis Apostoli parentibus vestris, prout iis à Magistro eorum impositum fuit: *Et vos testimonium perhibebitis de me*, hujus verax testimonium reddiderint. Et quomodo id negare potestis, si Scripturæ clarè id affirment, & fateantur? ergo solum quatuor adducam, quod si his non credatis plures, quæ proferri possent allegari inaniter certissimè judico. Populo Hebræo sub servitute Babylonicâ gemente, cum necdum terminus septuaginta annorum à Jeremia prædictus effluxisset Daniel magnus servus Dei precibus sibi revelari, quando populus restituendus esset libertati, templumque, & civitas reædificande

Isa. 7.

Rab. David Chimhi in lib. Sarasim.

Ioan. 15.

Ierem. 25.

ganda popoſcit. Deus ei ſolando Archangelum Gabrielem ablegavit, à quo non ſolum liberationem, quæ per Regem Syrum facienda erat intellexit; ſed etiam Redemptionem generis humani à peccato per adventum Meſſiæ, qui ab Hebræis occidendus eſſet cognovit. Et hoc numerando ab ipſo momento, quo Angelus loquebatur: *Ab exitu ſermonis in fine ſeptuaginta hebdomadarum* in effectum deducendum fore ab Angelo audivit. Revelationem Angelicam attendite. *Animadverte ſermonem, & intellige viſionem: Septuaginta hebdomades abbreviatæ ſunt ſuper populum tuum, & ſuper urbem ſanctam tuam, ut conſumetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur juſtitia ſempiterna, & impleatur viſio, & prophetia, & ungatur ſanctus ſanctorum.* Per hunc ſanctum ſanctorum ipſimet Rabbini Meſſiam intelligunt. Sic Rabbi Baſnaman: *Iſte ſanctus ſanctorum non niſi Meſſias.* Et Rabbi Moyſes: *Iſte eſt Meſſias ex filiis David ſanctificatus:* ſic etiam Rabbi Salomon. Porrò ut verum ſenſum hujus revelationis attingamus, primum quot annos faciant ſeptuaginta ſeptimanæ inveſtigare oportet. Nonnulli Hebræi more noſtro per ſeptimanam intelligi ſeptem dies volunt; ſed quia ſic ſeptuaginta hebdomades non facerent niſi circiter annum cum dimidio, intra quod tempus nec Hieroſolyma eſt deſtructa, nec Chriſtus occiſus hæc opinio redditur inveriſimilis. Alii ſeptimanam continere quinquaginta, vel centum annos aſſerunt; ſed & hoc eſt falſum, quia ſic necdum civitas eſſet deſolata, nec populus diſperſus, nec templum deſtructum, nec ſacerdotium ablatum, nec Chriſtus occiſus; ſecundum enim hanc aſſertionem necdum ſeptuaginta hebdomades effluxiſſent. Sed verior opinio eſt hebdomadam facere ſeptem annos, adeoque ſeptuaginta hebdomades continent annos 490. ſic affirmat veſter Thalmud in libro intitulato Abodazara, Rabbi Joſue, Rabbi Salomon, Rabbi Abraham, & Rabbi Moyſes, qui & volunt ſeptuaginta hebdomadas incepiſſe à prima deſtructione templi, & terminatas fuiſſe in deſtructione ſecunda, inter quam & primam intercurrerunt anni 490 juxta computum dictum. Hoc etiam deducitur ex Levitico: *Numerabis ſeptem hebdomadas annorum*, quæ faciunt quadraginta novem annos, & quinquageſimus erat annus Jubilæi. Similiter Laban ad Jacob ait Rachelem illi dandam, ſi adhuc per ſeptimanam ſerviat: *Comple hebdomadam, & dabitur quoque tibi iſta pro ſervitute, quia ſervies mihi adhuc ſeptem annis, & complevit hebdomadam illius, & dedit illi Rachel.* Et ſubjungit: *Comple ſervivit illi ſeptem annis.*

Hector Pint. in Dan. ibid. fol. 213. — Dan. ca. 9. — R. Baſnaham. — R. Moyſ. in Dan. — R. Sal. — Apud Lyran ibid. — Thalm. ibid. cap. 1. — R. Ioſ. — R. Sal. — R. Abr. — R. Moyſ. — Levit. c. 5. — Gen. 29.

10. Quis modo inficias eat has ſeptuaginta hebdomadas, vel 490. annos jam dudum effluxiſſe, cum à ſola Nativitate, & morte Chriſti præter quadringentos nonaginta numeratos à viſione Danielis uſque ad Adventum Chriſti jam effluxerint anni 1661. Nunc formo hoc dilemma: vel conceditis Meſſiam veniſſe, vel negatis? ſi negatis, cum jam effluxerint multis centenis annis ſeptuaginta hebdomades ſequitur Danielem deceptum, & Angelum fuiſſe mendacem, quod dici nequit. Si verò ſcriptura, & ratione convictos vos fateamini convenimus. Imò à potiori, cum omnia vaticinia in Chriſti perſona ſint impleta, cum mors, & ejus crucifixio præceſſerit, cùm civitas ſit deſtructa, templum deſolatum, ſacerdotium, & ſceptrum ablatum, & vos miſerè diſperſi Chriſtum eſſe Meſſiam credere cogimini. Non video viam, quâ elabi poſſitis; ergo vos convictos agnoſcite, & Chriſtum à vobis crucifixum verum fuiſſe Meſſiam credite. Dicat id veſter Rabbi Oſua. *Septuaginta hebdomadæ numerantur à primi templi deſtructione, uſque ad deſtructionem ultimi hoc modo, & ordine. De Babylonis captivitate ſeptuaginta anni, de ultimi templi deſtructione 420 qui ſimul juncti ſunt 490. qui numerus eſt hebdomadarum ſeptuaginta in quorum annorum fine Meſſias venturus erat.*

Rab. Oſua in lib. Credex. holam. 1.

11. Quid dicitis? unica ſcriptura forſan vobis non ſatisfaciat? en aliam adfero. Moribundus Patriarcha Jacob, omnibus ſuis

suis filiis cinctus quid cuilibet obventu-
rum erat prædixit. Et specialiter de Juda
sic disserit. Bono sis animo mi dilecte, nec
sceptrum nec regnum à te, & tuâ posteri-
tate tolletur, quousque veniat, quem
Deus amandabit: *Non auferetur sceptrum de
Juda, & Dux de femore ejus, donec veniat qui*
Gen. 49. *mittendus est.* Chaldæus legit *donec veniat
Messias, cujus est regnum*, ita etiam He-
bræus *donec veniat Silo* quod significat *Mes-
sias*. Dicite ô Judæi an non post mortem,
& crucifixonem Christi sceptro, regno,
civitate, & omnibus bonis exuti estis? ergo
his stantibus, vel negare vaticinium Ja-
cob, vel Christum fuisse Messiam fateri
debetis. Sed video vos labia movere, &
respondere velle per τὸ *donec veniat, qui
mittendus est* intelligi Saul, qui è tribu Ben-
jamin unctus est in Silo. Sed hoc non suf-
fragatur, quia ei David, Salomon, & alii
descendentes ab Hebræis successerunt. A-
lii dicunt intelligi Jeroboam ortum è tri-
bu Ephraim, qui Roboamo ob crudelita-
tem erga subditos sceptro exuto ad solium
3. Reg. 12. est evectus, & sic sceptrum à Juda ad tri-
bum Fphraim est translatum. Sed & hoc
falsum est, quia post Roboam regnavit
3. Reg. 15. Abias ejus filius, postea Asa, postea Josa-
2. Paral. phat &c. Alii asserunt intelligi Nabu-
13. 14. chodonosor, qui per generalem suum du-
cem Nabuzardam Hierosolymam occu-
pavit, & catenis vinctum abduxit Regem
Sedechiam, ejus filios necavit, oculos e-
ruit, civitatem, & templum destruxit, &
populus partim est in servitutem redactus,
partim periit. Sed hoc sensu vaticinium
non posse intelligi dico, quia sceptrum, &
dominium est ei tantum ablatum per sep-
tuaginta annos; nam postea successores
habuit Zorobabel, Esram, Neemiam, dein
Machabæos, qui centum viginti quinque
annis usque ad Herodem Idumæum instar
regum teste Josepho regnarunt. Quia ta-
Joseph. men post mortem Christi usque in hodier-
num diem sceptrum à Juda esse ablatum
Heb. c. 11. est certissimum necessario concludendum
de antiq. est Prophetiam intelligi de Christo, eum-
que esse Messiam à Deo missum juxta va-
ticinia præfata. Scio vos pertinaciter ad-
huc mihi replicaturos sceptrum non esse
Bened. Perez. de ablatum eo quod Hebræi adhuc hodie in
montibus Gaspi regnent. Sed videte an- Benedit. Patriarch.
non in hoc erretis, quia præfatas provin- lib. 10. contra Iudæos.
cias nunquam subfuisse Hebræis legimus.
Primo subfluerunt Assiriis, & Chaldæis,
postea Medis, & Persis, dein Alexandro
Magno, postea Græcis, & Parthis, hodie
partim Turcis, partim Persis. Cum ergo
sceptro sitis orbati sub adventu Christi,
virtute prophetiæ Jacob non potest nega-
ri, quin fuerit verus Messias.

12. Adeste ô Hebræi, & mecum dis-
currite. Deumne justum, vel injustum as-
seritis? justissimum. Optimè supplicio
quo mille, & ultra annis Deus vos punivit
alicui peccato commisso ascribi debet. Pa-
rentes vestri peccatum adeo enorme ido-
lolatriam captivitate meo judicio centum
annorum luerunt. Et nunc pœna vestra
excedit centum, & mille annos. Si Deus
est justissimus suspicor à vobis majus cri-
men commissum, hoc non potest esse a-
liud, quam quod Christum crucifixeritis.
Audio, quòd mihi objiciatis dicendo: vos
propter Christum à Deo castigari; nam
cum se fecerit filium Dei, & sit ex stirpe
vestrâ tam graviter vos punit, ob gravissi-
mum crimen patratum, dum sibi indebitè
deitatem asscripsit. Sistite: ego vobis sta-
tim os occludam. Si Deum occidistis Deus
velut justus vos præmiare debebit, quia
nomine ejus vindictam sumpsistis. Hoc
vobis evidenti scripturâ probabo. Vestri
Hebræi dum legerent in Settim se fœminis
Moabitarum miscuerunt, quarum suasu e-
tiā idololatrarunt Hinc Phinees Eleazari
filius videns conculcatum honorem divi-
num zelo motus pugionem arripuit, &
duos offendentes Deum occidit: *quod cùm
videret Phinees, arrepto pugione ingressus est post* Num. 25.
virum Israelitam in lupanar, & perfodit ambos 8.
simul virum videlicet, & mulierem.

Deo adeo placuit hæc actio ut non so-
lum fuerit placatus: *Phinees avertit iram
meam à filiis Israel, quia zelo meo commotus est* Num. 11.
contra eos Sed ulterius dignitate sacerdo-
tali eum, ejusque descendentes in perpe-
tuum remunerari voluit: *Ecce do ei pacem
fœderis mei, & erit tam ipsi, quam semini ejus* Num. 13.
*pactum sacerdotii sempiternum, quia zelatus est
pro Deo suo, & expiavit scelus filiorum Israel.*
Nunc dato, & non concesso, quod Chri-

ſtus non fuerit Meſſias, nec filius Dei, vos rigore maximo eum puniviſtis, flagellaſtis, crucifixiſtis, & occidiſtis. Si Deus eſt Juſtiſſimus potius vos præmiare, quàm punire deberet. Et dum vos tam prolixâ captivitate plectit, ſignum eſt, quod graviter peccaveritis, & quod Chriſtus, quem occidiſtis fuerit Meſſias, & filius Dei à Deo miſſus, ut per adventum ſuum promiſſiones ab Archangelo Danieli factas
Dan. cap. 9 adimpleret. *Conſumetur prævaricatio, finem accipiet peccatum, delebitur iniquitas, adducetur juſtitia ſempiterna, & ungetur ſanctus ſanctorum id eſt Meſſias.*

Iſa. 2. n. 2. 13. Scio ô Hebræi vos vaticinio Iſaiæ multum tribuere. *Et erit in noviſſimis diebus.* vel ut vos legitis *in fine dierum præparatus mons domus domini in vertice montium, & elevabitur ſuper colles, & fluent ad eum omnes gentes.*

Quod per hunc montem aliis ſublimiorem, & præparatum velut domum Domini intelligatur Meſſias convenimus; nec vos, nec nos negamus. Sed in duobus punctis difficultatem facitis. Primùm, quod Meſſias debeat venire *in fine dierum.* Chriſtus jam venit, nec ſumus in fine dierum ergo non fuit Meſſias. Sed reſpondeo per finem dierum non intelligi finem mundi, ſed tempus, quod duravit à Ciro Rege Perſarum, uſque ad deſtructionem ſecundi templi, quo tempore in mundum Meſſias venire debuit. Hoc ſenſu etiam locutus
Hierem. c. 49. eſt Hieremias. *Et erit in fine dierum, reverti faciam captivitatem Helam, dicit dominus.* Hanc etiam Phraſin adhibuit Jacob, dum filiis dixit *congregamini, & nunciabo vobis,*
Geneſ. cap. 49. *quod eventurum eſt vobis in fine dierum.* Et certiſſimùm eſt, quod noluerit intelligere finem mundi, cùm enim tunc non viverent nil iis contingere potuit. Intellexit ergo tempus quo debebat venire Meſſias, ſucceſſuſque eventuros illis prædixit. Nec video rationem cur hic ſenſus non poſſit attribui verbis Iſaiæ. *Et erit in fine dierum.* Alterum punctum, quod multum jactatis eſt, quod *fluent ad eum omnes gentes.* Omnes nationes accurrent, ut Meſſiam recipiant, & venerentur. Verum hoc ſoli Chriſtiani præſtiterunt, ergo vaticinium non fuit verificatum in Chriſto, & conſequenter non fuit Meſſias. Hic videmini in ſicco natare, quia τὸ *omnes* in Hebræo ſignificat *col*, quod non ſemper diſtribuitur univerſaliter veluti in hac propoſitione. *Omnis* Geneſ. 41.
homo eſt animal rationale quæ verificatur de omnibus hominibus, ſed aliquando ſignificat multitudinem, aut majorem partem, uti legimus in Geneſi, ubi de tempore famis dicitur: *Omnes Provinciæ veniebant in* Hebræ. cap.
Ægyptum; Et tamen certum eſt, quod non Liram in
omnes iverint. Et ſcriptum loquens de ſer- Gen 24.
vo Abrahami Eliazar, quando diſceſſit juveni Iſaac quæſiturus uxorem, ait: *Omnia bona Domini in ſua manu ejus.* Et tamen certum eſt, quod non omnes paſſiones, domos, mobilia, & immobilia in manu portaverit. *Col* ergo in Hebræo multos, & non omnes ſignificat; & hoc declarat ipſe Propheta, hinc ſubdit, *& ibunt populi multi,* Mich. c. 4.
ſic etiam Michæas, *& fluent ad eum populi, & ibunt gentes multæ.* Vel poſſumus dicere omnes, quia ex omnibus nationibus multi, utpote gentiles, Hebræi, Turcæ, & alii infideles in Chriſtum crediderunt. En ergo Prophetiam impletam, quam potius contra vos quam pro vobis judico.

14. Dum hanc inſtantiam debellatam video, veſtram pertinaciam vobis ſuggerere aliam, & ſpecialiter, quod tertia vice templum Solimæum reædificare debeat ut Zacharias prævidit, *Ecce vir oriens ædificabit templum Domino.* Hoc à Chriſto non Zach. c. 6.
eſt factum, quis ergo illum credat fuiſſe Meſſiam, potero reſpondere primo: hoc non debere intelligi de tertio templo; nam foret contra Hieremiam, qui dixit ne hoc exſpectetis: *Nolite confidere in verbis mendacii dicentes Templum Domini, Templum Domini, Templum Domini.* Id eſt fallimini, ſi tertia vice templum ædificandum credatis. Et tamen dicit ter templum Domini. Secundo ſi velitis à Meſſia ædificandum tertium templum, ille ædificavit Eccleſiam, quæ eſt congregatio fidelium, & Catholicorum. En tertium templum.

15. Aliam veſtram pertinaciam oſtendo. Dicitis, Pater annon Deus promiſit Ezechieli, quòd Deus reducet populum ad ſtatum primævum, atque diſperſos, & captivatos, motus pietate civitati reſtituet, & eripiet è manibus inimicorum? Ezech. 6.
Nunc reducam captivitatem Iacob, & miſerebor omnis domus Iſrael, & reduxere eos de popu- 39.
lis,

is, & congregavero de terris, inimicorum suorum Idem promisit Deus in Deuteronomio. (Deut. 30.) *Reducet te Dominus Deus tuus de captivitate tua, ac miserebitur tui, & rursum congregabit te de cunctis populis in quos te ante dispersit.*

Christus non solum nos non congregavit, nec à captivitate eripuit imo ejus caussam sumus dispersi & mancipes, unde tam falsum est, quod sit Messias, quam verum est quod Deus sit Deus, & creaverit mundum. Tace ô gens obstinata, & scias Deuteronomium, & Zachariam non loqui de modernâ vestrâ captivitate, sed de captivitate Babilonicâ, & Ægyptriaca sub tyrannide Pharaonis, à quibus fuistis redempti, & ex Ægypto ad terram promissionis introducti. (Rab. Moyses gerund. Rab. Levi apud Pau. Burgen. contra perfidiam Iudaeorum c 1) Dicite quod non è vestris doctis Rabbinis falsi sunt, Christum fuisse verum Messiam ? legite vestrum Rabbi Moysen Gerunden, in proëmio Pentateuchi, & invenietis, Messiam nasciturum Anno post creatum mundum num. 5118. Rabbi Levi Berighnerson ex Provincia Provinciæ, qui super Bibliâ scripsit, & specialiter super Danielem, Deo gratias egit, quod dignatus & fuerit revelare tempus, quo venire debebat Messias, nempe anno supra dicto 5118. Quid nunc dicitis Rabbini, veritati è scripturis, vatibus, rationibus vobis ostensæ acquiescite. Caput agitare videmini. Magna res est, quod belluæ ferocissimæ, & bruta maxime indomita cum tempore ciccurentur, & pertinaciores bestiis vos ostenditis? ego Deo rationem reddere non debebo ob non annuntiatam vobis veritatem, imò in vestrum ruborem volet Deus, ut in die Judicii compaream, & vobis sermonem hodiernum, quem feci, ut velum falsitatis, quam mente fovetis oculis subtraherem objiciam. Et hoc vobis serviet ad majorem vestram pœnam si non convertamini, & atrocis torquebimini in inferno. Quiescamus.

ALTERA PARS.

16. Cur ô Apostoli adeo vos persequentur, ut *animus qui interficit vos arbitretur obsequium se præstare Deo* ? nulla alia est caussa, quam quòd legem Evangelicam, & Christi annuntiabitis, quam Hebræi specialiter nolent recipere putantes nullam præter legem Moysis obligare. An aliquam habetis rationem, ob quam censeatis legem Moysis esse in suo vigore, nec expirasse? Scio, quod adducetis locum Isaiæ, qui sermocinans de vestra lege dicit illam duraturam in sempiternum. *Et feriam vobiscum pactum sempiternum.* (Isa 55.) Et in Exodo (Exod.12.) *Celebrabitis cultu sempiterno.* Præterea subdit Deus, (Exod.c.31) *Custodiant filii Israel Sabbatum, & celebrent illud in generationibus suis, pactum est sempiternum inter me, & filios Israel, signumque perpetuum.*

Sic, & circumcisio Abrahæ, & consequenter Hebræis *sub fœdore sempiterno*, præcepta fuit. (Genes.17. num.7.) Quis ergo negare poterit legem Hebræam non semper obligaturam. Quam crasso estis in errore ; nam æternum, & sempiternum non semper significant tempus sine termino, sed scriptura sacra hos terminos adhibet, ut tempus diuturnum aut majorem, vel minus orem temporis cursum exprimat. In hujus confirmationem promissionum, quas Jacob filio Joseph revelavit recordemini. *Deus apparuit mihi in Luza, benedixit mihi, & ait, ego te augebo, & multiplicabo, dabo tibi terram hanc, & semini tuo post te in possessionem sempiternam.* (Vide Io. Bapt de Zezana in Maria Patronat.5. fol 56.n 13 Genes.c. 48 nu.25.) Quæ terra fuit Chanaan. Hic vos interrogo, an posteri Jacob hodie possident terram Chanaan ? non: jam multis sæculis eam non inhabitarunt. Ex hoc deducere possum terminos æternum, & sempiternum significare tempus, quod à posteriori habet finem. Evidentius quid dicam Deus Davidi stipulatâ manu ut ita loquor pollicitus est Salomonem ejus filium in æternum regnaturum. *Stabiliam Thronum regni ejus usque in sempiternum.* (2.Reg.7. 13.) Et tamen regnum jam mille, & plus annis desivit. Similiter de sacerdotio Phinees sic spospondit Deus? *Pactum sacerdotii sempiternum.* Et tamen jam diu cessavit. Ergo non obstante, quòd lex vestra dicatur sempiterna eam jam desiisse absque difficultate credite. Præterea in vestro Cahadrin legitur mundum sex mille annis duraturum, juxta hunc computum duo mille legi naturæ, duo mille legi Moysi, duo mille legi Messiæ debent attribui. Apud Hebræos ætas, hoc est tempus bis mille annorum dicibatur sempiternum, ergo cùm lex vestra duraverit per


mille

mille annos computando à lege naturæ usque ad tempus Messiæ juxta Hebræos *sempiternè* durasse dici potest.

17. Quid creditis voluisse Deum inferre, dum per Hieremiam dixit adversariis vestris, *feriam cum domo Israel, & cum domo Iuda fœdus novum?* nihil aliud, quàm veteri lege mutatâ se novam daturum: *Fœdus novum* hoc est *Berith Chadassa* Hæc lex differt à lege quàm dedit Moysi. *Non secundum pactum, quod pepigi cum patribus eorum.* Et quænam erit hæc lex nova, si non illa Evangelica, quam promulgavit Christus: lex non scripta digito Dei in tabulis, vel lapidibus, sed divino verbo, impressa in
Ierem.13. num.13. cordibus Christianorum: *Dixit Deus, dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam.* Vos replicabitis, cum
Malach. 3. Malachiâ Deum esse immutabilem. *Ego sum Deus, & non mutor.* Si prohiberetur vetus lex, & introduceretur nova, Deus
Numer. 33 esset mutabilis: *Deus quasi homo ut mentiatur, nec ut filius hominis, ut mutetur.*

Si prima fuit bona, cur datur secunda? non potest admitti, quin præjudicetur immutabilitati. Ast ego vobis contrarium ostendam audite. Deus vult formare hominem, volitionem exequitur, & homine
Genes.c.6. creato dicit ad Noë. *Pœnitet me fecisse hominem: Delebo hominem, quem creavi à facie terræ* Vult destruere civitatem Ninive spa-
Ionas.c. 3. tio quadraginta dierum. *Adhuc quadraginta dies & Ninive subvertetur*, & tamen hoc non est factum. Ablegat Prophetam qui Regi Ezechiæ denunciet mortem in pœ-
Isa 38. nam peccatorum: *Morieris, & non vives*, & tamen hoc non est factum, quinimo ejus vita producta est ad quindecim annos. Præcipit Samueli ut inungat Saulem regem, nihilominus post paucos annos dicit,
1.Reg 16. *Projeci eum ne regnet in Israel.* Nunc respondete. An Deus in his dici potest mutatus. Si mentiri nolitis dicetis quod non. Cur ergo Deo vultis mutibilitatem affingere, dum alteram legem observari vult? hinc concludere possumus primam desiisse.

18. Ergo resipiscite aliquando, & ab oculis velum, quod mentem obcæcat ab oculis tollite, ut veritatem clariorem luce, & sole, quam non vultis nec potestis cognoscere agnoscatis. Hanc veritatem, quæ est verbum Dei vobis prædico, aperite corda ut eam recipiatis, corda discerpite vel ad minus illa emollite, ad hoc vos exhortatur magnus vates Israël: *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra.* Psalm. 9[illegible] Sed nisi fallor, hic Propheta, qui fuit gloria Judeæ, & splendor solii prævidit vos aberraturos à via veritatis. *Et dixi semper hi errant corde, ipsi vero non cognoverunt vias meas.* Et quid sequetur. Aperite aures *quibus juravi in ira mea* Loquitur in persona Dei. O minas terribiles. O quale vos infortunium invadet? *Si introibunt in requiē meam.* Tò *si*, in Hebræo idem significat quod *Asher* id est non. Unde sic explicante Davide si Hebræus à via, & veritate aberraverit non obtinebit requiem cœli, sed inferno addicetur: *Non introibunt in requiem meam.* O mi crucifixe te rogo per merita tuæ passionis ne velis attendere perfidiam eorum, sed eos illustrare, ut errores agnoscant, & detestentur. Jacent in tenebris peccati, & sedent in umbra mortis. *Illuminare his qui in tenebris & in umbra mortis sedent.* Zach. Luc.1. Ut semel fidem Catholicam, & Evangelium amplectantur. Nos interim fideles te humiliter rogamus ut gressus nostros in via pacis dirigas. *Dirige pedes nostros in viam pacis.*



DOMI-

DOMINICA PENTECOSTES.

Paraclitus autem Spiritus S. quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quacunque dixero vobis: Non turbetur cor vestrum, neque formidet. Joan. cap. 14.

ARGUMENTUM.

Spiritus sanctus consolatur personas afflictas, opera imperfecta complet, ac pusillanimes animat.

1. Um hoc mane excellentiam Spiritus Sancti, cujus sancta Ecclesia hodie incredibili jubilo festum celebrat, & descensum è cœlo super collegium Apostolicum commemorat, vobis demonstrare debeam; cum careant stylo Bernardi, facundia Ambrosii, eloquentiâ Chrysostomi, ingenio Augustini, doctrinâ Gregorii, energiâ Pauli, ad minus lapidem illum Hieronymi auro pretiosiorem, gemmis exquisitiorem, ut eo percutiendo meum pectus actum pœnitentiæ, quo ostendam quàm grave mihi sit, negotium tam difficile, quod omnem activitatem virtutis humanæ superat impetrare optarem. Sed N. quænam lingua mortalis argumentum illud vel ob excellentiam nominis, vel ob incomprehensibilitatem substantiæ, aut æternitatem personæ assumere non vereretur? quænam fœcunda eloquentia peroratura vel de processione ineffabili, vel de proprietatibus incomparabilibus, aut de attributis divinis innumerabilibus, ac infinitis in omni genere perfectionum, & excedentibus capacitatẽ intellectus creati non confunderetur? idcirco dixit Divus Hilarius: *De Spiritu Sancto, nec tacere oportet, nec loqui necesse est; sed sileri à nobis, eorum causâ, qui nesciunt, non potest: loqui autem de eo non necesse est, quia de Patre, & Filio auctoribus confitendus est. Et quidem puto an sit non esse tractandum; est enim, quandoquidem donatur, accipitur, obtinetur.* (D. Hilarius de Trinit. 2. lib. apud Iud. Coc. cium in Thes. Cath de Deo uno, & tri. l. 14 fol. 97. col. 1.)

2. Et quidem de illo spiritu, cujus supremæ eminentiæ nõnisi venerando silentio celebrari possunt mihi dicendum est. De illâ simplicissimâ columba, cujus prærogativas quantumvis amplissima eloquentiæ vena extollere conetur tamen obmutescit, discurrere debeo De illo spiritu, qui velut dator omnium bonorum animas nostras gratiis ditat, velut lux caliginosas umbras ignorantiæ pellit, velut pluvia sterilitatem intellectus humani fœcundat, velut radius mineras nostrorum cordium penetrat verba mihi agenda sunt. De illo loqui debeo, qui juxta Beatum Valentinorum Præsulem, *operatur omnia in omnibus, docet omnem veritatem, testimonium perhibet spiritui nostro, quod filii Dei sumus, adjuvat infirmitatem nostram, interpellat pro nobis, si in peccato sumus, ipse nos arguit, si in servitute, ipse nos liberat, est paracletus, patronus, Doctor, custos, advocatus & ductor.* (B. Thom. à Villa. conc. 2. in die Pent fol. 226. col. 1.)

3. Illam personam extollere me paro, quæ per actum voluntatis à Patre, & filio procedit, & in consistorio sanctissimæ Triadis tertiam Personam constituit; illam, quæ est ardor, quo Pater, & filius amorosè se inflammant; illam, quæ est nodus, quo filius & Pater dulciter se stringunt; illam, quæ est nexus, quo Pater, & filius indissolubiliter colligantur. De illo spiritu, qui est lingua, ignis, focus, lux, dux, donum, digitus, flamma, amor, plu-

via, fons, ventus, radius, aura, sonus, qui creat, conservat, regit, ducit, fœcundat, purificat, inflammat, illuminat, refrigerat, lætificat, sanat, solidat, renovat, vivificat, orationem instituere mihi incumbit: N. mihi potius obstupescendum, admirandum, tacendum, adorandum esse agnosco; sed ne devotam attentionem auditorum defraudem, solum Spiritum Sanctum hoc die Pentecostes è cœlo venisse ut consoletur, ut compleat, roboret, dicam. Ne dilectissimi discipuli ob meum abitum desolemini, *Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo*; ut in scientiis sitis totaliter perfecti; *ille vos docebit omnia*; ut omnis timor à vobis abigatur, & corda vestra animentur, ac erigantur Pater æternus spiritum solatorem vobis amandavit. *Non turbetur* ait beatus Simon à Cassia, *cor vestrum neque formidet. Spiritus paraclitus optimus consolator, ille docuit omnia, quæ non docuit filius, & suggessit invisibili suasione, & fidem firmavit in cordibus de Chrsto.*

B. Sim. de Casc. in test dilect. Domini sal. l. 12. cap. 4.

4. Verum priusquam discursum aggrediamur illud quod narrant Plinius, & Diodorus Siculus vos admonere non desinam. Nautæ dum vaporem cernunt, qui postea migrat in ignem, serenitatem aëris, undarum pacationem, maris tranquillitatem augurantur. Dum ergo Spiritus Sanctus transformatur in figuram ignis: *Ignis vibrante lumine*, cur serenitatem vestrorum vultuum, tranquillitatem cordium, quietem attentionis non prædicam? vos devoti N. ne meum prognosticum sit fallax agite, & incipio.

Plin. l. 2. cap. 87. Diodor. Sic lib. 4 histor.

PARS PRIMA.

Paraclitus autem Spiritus Sanctus, &c.

5. QUod Spiritus Sanctus apparuerit in forma linguarum *Lingua figuram detulit*; Misterio non caret. Forsan se esse datorem facundiæ, iis qui mysteria fidei, ac excellentia Dei deprædicant denotare, voluit: *Venit* ait Salmeron *in formâ linguæ, & docuit loqui Apostolos, & prædicare magnalia Dei*. Et Divus Gregorius Papa: *In linguarum specie sedit Spiritus Sanctus, quia nimirum quos replevit de se protinus loquentes facit*. Et ille eruditus, ut sine illius virtute omnem linguam balbutientem ostenderet illius assistentium sic postulans cecinit.

Salmer. Prol. 4. D. Greg. 11 par. cap. 4.

Spiritus alme veni sine te non diceris unquam.
Munera da lingua, qui das in munere linguas.

Alb Patavinus in præfact. l.

Et ego errare me non credo, si ideo eum in forma comparuisse linguarum dixerim, ut quot sunt flores terræ, quot frondes plantis, quot atomi aëri, quot arenæ littori, quot guttæ mari, quot stellæ cœlo, tot debere esse linguas, quæ effectus in cordibus Apostolorum causatos (quorum unus est, quod dum ob discessum magistri mœrerent, ac desolati essent, cum proprium Spiritui Sancto sit consolari afflictos, & acerbitatem dolorum corda humana mœsta affligentium temperare) solatio affecti fuerint. Ulysses domo paternâ abiturus Penelopi dilectæ suæ consorti Demodocum musicum excellentissimum, ut cantus suavitate, & harmoniâ soni dolorem ex abitu amati mariti haustum leniret reliquit. Eundem ob finem Agamemnon Clitenestræ Democritum reliquit. Redemptor noster astra subiens Apostolorum dilectorum corda suspiriis gravida, & oculos lacrymis inundantes videbat. Credo eum dixisse mentem exporrigite, lacrymas mittite; *Mittam vobis spiritum paracletum*. Cum sit amor, etiam musicus est, quia *Amor musicam docet*. Mox ergo, ut hodiernus dies illuxit, hic magister capellæ Apostolis musicas Paradisi, melos exquisita, sonos suavissimos aëra dulcissimis odariis replentes insonuit. *Factus est repente de cœlo sonus*: huic musicæ accinit Divus P. Augustinus; *Et bene spiritus paracletus à Christo discipulis promittitur, ut eos consoletur inter omnes tribulationes, quas pro Christi erant confessione passuri.*

Eustat in Hom Iliad. Homer. odiss. 5. Act. Apost c. 2. Aug. in mille loq lib 5 & serm 4. de fide.

6. Patres Theologi, in divinis Spiritum Sanctum à Patre, & filio *per virtutem spirativam* spirari docent. Ego hic an eadem virtus in persona spirata reperiatur? quæro. Si vos negetis, cum virtus spirativa ditat perfectionem, aliquam perfectionem reperiri in patre, & filio, quæ non sit in Spiritu Sancto, adeoque Spiritum Sanctum non esse æque perfectum, ac patrem, & filium, quod tamen est falsum juxta Theolo-

D. Ath. in Symbolo. Theologiam Divi Athanasii: *Et in hac Trinitate nihil prius, aut posterius, nihil majus, aut minus, sed totæ tres Personæ coæternæ sunt, & coæquales*, dixerim. Adeoque prout reverà certissimum est, & à nemine negari potest eandem virtutem in tribus personis indivisim reperiri dicendum est. Nunc Pater, & filius, & non Spiritus Sanctus per hanc virtutem producant ad intra? scire vellem? Respondere poteritis potentiam, aut virtutem spirativam in primâ, & secundâ personâ esse activam, in tertia passivam, prout de generatione respectu patris, & filii docent post D. Thomam, ac Ægydium plures: *Ægid. 1. sent. dist. 1. princ. 2. p. 2.* Ego nihilominus, quod esto non spiret ad intra, eum tamen putem spirare ad extra, in cordibus turbatis producendo lætitiam, pectoribus afflictis causando solamen, *D. Thom. pp q 42. a. 6 ad 3.* cum id sit proprietas particularis Spiritus Sancti, sic canit Ecclesia: *In seq. miss.* *Consolator optime, dulcis hospes animæ, dulce refrigerium, in labore requies, in æstu temperies, in fletu solatium*. Idem testatur Eusebius *Euseb. Emess hom. in die pent.* Emissenus salvatorem sic discipulos ob abitum suum desolatos alloquentem introducens: *Doletis* (inquit) *quia non semper vobiscum corporaliter maneo, & quia hac mea verba, meaque carnis præsentiam subtraho vobis? sed nolite contristari, quia mea vice, & in meo nomine magnus consolator, & Doctor sapientissimus dabitur vobis. Ille vos consolabitur.*

Levit. 25. 7. Hebræis annus quinquagesimus maximo jubilo, ac gaudio universali, ut è Levitico eruitur, transigebatur Hinc eum annum jubilæi, quo quiescebatur à laboribus, quo debita eluebantur, quo servi libertati reddebantur vocabant. Erat annus solemnis, quo maxima festa & jubilos quos sciebant, vel agere poterant, instituebant. Sed cur annus hic quinquagenarius sic erat privilegiatus? Beda respondet numerum quinquagenarium, qui è numero septenario septies aucto conflatur Spiritui Sancto consecratum, qui in scripturis sacris dicitur *septiformis*, quia septem sunt ejus dona, quæ Apostolis, ac fidelibus *In hymn. in seq. miss.* elargitur. *Tu septiformis munere*, vel *Da tuis fidelibus in te confidentibus sacrum septenarium.* Ergo anno quinquagesimo exultare, tripudiare, gaudere in ordine ad numerum septenarium nil aliud est, quàm figurativè docere velle à spiritu septiformi nos omne recipere bonum, nostros mœrores in gaudia, labores in quietem, amarores in dulcedinem, afflictiones in solamina, dum membra languida roborat, corda afflictionibus exhausta restaurat, verti. Audite *Beda hom. in cap. 14.* Bedam. *Quinquagesimus annus in lege Iubilaus appellari jussus est, in quo populus ab omni* *D. Io. apud Alcuinum in vigil. pent.* *operatione quiescere omnium debita laxarentur, servi liberi redirent, annus ipse majoribus solemniis, ac laudibus divinis eminentior cæteris existeret. Vnde bene ejusdem spiritus gratia septiformis à Propheta Isaia describitur, quia nimirum* *Isa. c. 11.* *per ejus inspirationem ad requiem pervenitur. Intuendum est, quia Spiritus Sanctus non solum in futuro perfectam, sed in præsenti maximam justis quietem tribuit, cum eorum mentes cœlestis igne charitatis accendit.*

8. Magnus vates Dei, ac Israëlis Rex David oculis in cœlum conjectis creatorem omnium alloquens sic dicebat: *Psal. 142.* *Anima mea sicut terra sine aqua tibi*. Anima sine rore spiritus cœlestis, velut terra est, quæ ardoribus solis languens, & crudeli ardore ambusta in sinu suo pulverem, imo cineres effectus ardorum solis monstrans cernitur. Viator iter agens plantas aduri sentit, radii illi, qui vultum offendunt, sunt suspiria, quæ è visceribus aridis, quasi inclementiam cœli deploraret quod nimiū se crudele demonstret emittit, plantæ moriuntur, herbæ languent, flores in gremio cauzium maternarum gemunt, & illis aperturis quasi tot oribus succursum pluvialem à cœlo, ut visitatione aquæ vivificari, solari, ac restaurari valeant, flagitare videntur. Sed si cœlum afflictis, & justis ejus querelis moveatur, ac urnam nubis largâ manu pluviarum desideratarum in eos effundant, plantas revirescere, herbas reviviscere, flores frontem exporrigere agros exultare, ac terram resumpto vigore vitali suspiria in respirationes mutare videbitis. Anima, quæ non est irrigata rore, & pluvia Spiritus Sancti, terra arida, & sicca dici potest: *Anima mea sicut* *Ps. 142.* *terra sine aqua tibi*: afflicta, & desolata est, nec flores virtutum, nec fructus operationum bonarum producit, & ardens præ ardore concupiscentiarum languere cernitur; sed si postea aquâ gratiæ à cœ-

B Thom à Vill. conc. 2. de Spir. Sanct. fol 224. col. 1

à cœlesti spiritu irrigetur, reviviscit, restauratur, ac consolatur. *Sterilis*, verba sunt mei Archiepiscopi Valentini, *& arida, hispidoque deserto similis est omnis anima, quam tuus Domine non rorat spiritus; Nullos virtutum germinat affectus, nullos bonorum operum producit fructus; cœlestium gaudiorum fœcunditate non viret, spiritualium desideriorum germine non vernat, sed veluti arida terra, vacua germinibus sordet, & vertitur in salsuginem.*

9. Ergo si Spiritus Sanctus unicam solam guttam cæcæ illi abysso inferni effunderet, eam sufficientem fore omnibus illis desolatis animabus solandis certo credo. Inter has degens dives Epulo dum oculos in cœlum conjecit, & Abrahami sinu mendicum Lazarum exceptum conspexit, hanc gratiam ab Abrahamo petere est ausus, ut Lazarum ad se ablegaret; qui digito aquis intincto unicam guttulam linguæ instillaret, certo certius unicâ guttâ omnes ardores, quibus urebatur, restinguendos ac incredibilem, & inexplicabilem lætitiam per hoc sibi afferendam credebat. *Mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti in aquam, & refrigeret linguam meam.*

D. Luc. c. 16.

Una gutta aquæ incendium infernale extinguere valeat? una stilla ex digiti extremo decidens miseriarũ abysso immensæ solando sufficiens sit? Annon major dolor ex hoc ei obvenire posset? quis aquâ injectâ Æthnæ flammas augeri nescit? cur non potius cataractas cœli, vel maria, aut flumina sibi affundi rogat? magna res auditores: ille, qui vivens fuit insatiabilis, ac prodigus, postea adeo parcus sit, ut guttâ contentetur? quis illum digitum ab Epulone rogatum, figuram Spiritus Sancti esse ignorat? *dextera Dei tu digitus.* Unicam solam guttam flagitabat, qui minimum solamen Spiritus Sancti illis pœnis refrigerandis superabundare sciebat. Veritatem hanc Barradius confirmat: *Appellamus Spiritum Sanctum dextera Dei digitum: Habet digitus hac cœlesti aqua intinctus vim ad consolandum maximam.*

In Hymno.

Sebast. Bar t. 4. lib. 4. cap. 7.

10. Et quia paraclitus teste Divo Gregorio Advocatum significat: *Græca locutione paracletus, latina advocatus dicitur, vel consolator*, ut magis consoletur, ac magis necessitatibus protegat officium advocati assumit. Sanctus vates Elias in impios illos idololatras, qui aras Dei destruxerant, ac sanctos Prophetas occiderant irâ exæstuabat. Hinc exclamando se nece tantum scelus vindicatorum protestabatur: *Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercitium.* Et dum bile vincitur, illico ventum suavem respirantem, qui eum solabatur, qui iram temperabat, bilem mitigabat, experitur. *Et ecce sibilus auræ tenuis.* Quis iste est ventus, qui adeo leniter vultui Eliæ afflatur? Annon melior fuisset ventus furens, qui eum perterruisset? non magis conducebat temperatus, dulcis, quia iratum Eliam, ne vindictam sumeret lenire, ac flectere voluit. Et hic ventus fuit Spiritus Sanctus, qui præceptorem agens Eliæ, clementiam, ac tolerantiam in supportandis noxis populi, cujus advocatum agere eum defendendo à furore indignabundi Eliæ videbatur, docere voluit. *Eliæ zelanti, & indignanti idolatris, optantique eorum necem, & excidium apparuit Spiritus Sanctus in vento, & aurâ, non vehementi, sed leni, ut ejus indignationem, & zelum nimium leniret, eumque spiritum patientiæ, doceret*, & mansuetudinis.

D. Greg. in c. 14. D Io. in eat. D. Tho.

3. Reg 19.

Corn. à Lap. in act. A. post.

11. Tres Angeli ad domum Abrahami appulerunt: *Apparuerunt ei tres viri*; vel erant tres personæ in divinis, vel eas repræsentabant: hinc bonus Patriarcha: *Tres vidit* En Trinitatem personarum; *Et unum adoravit.* En unitatem essentiæ, ac unum solum Deum. Sic S P. Augustinus: *Abraham tribus occurrit, & unum adoravit, trina unitas, una trinitas. In hoc quod tres vidit, Trinitatem personarum intellexit, quod autem quasi unum adoravit, unum Deum in tribus personis esse cognovit.* Abeunt ad domum Loth perrecturi, & duos solum illuc pervenisse reperio: *Venerunt duo Angeli Sodomam*, duo? solum duo? si tres simul è domo Abrahami discesserint, quomodo duæ solum personæ in forma Angelorum ad Lothum veniunt? Et altera ubi mansit? dicite Auditores quàm remansisse censetis? tertiam, quæ tertiam personam, Spiritum nempe Sanctum repræsentabat. Nunc cur erat in domo Abraham, & non comparet in domo Loth? Annon hic æquè ac ille justus erat. In domo Abraham gratiæ conferendæ erant, Abrahamo, ac Saræ conjugibus

Gen. c. 18. In 3 Resp. noct. Dom. Quinq.

D P. Aug. Tho Anglicus in catena Græca.

D Greg. hom 18 in Evang. Gen. c. 19.

Gen.c.18. gibus decrepitis filius dandus erat; *Sara uxor tua pariet tibi filium.* Ergo sine me nil agi potest ait Spiritus Sanctus: verum quia in domo Loth urbis pœna decernenda erat: *Delebimus locum istum.* Tertia emanet persona, ac si diceret; quia jam decreta est, nec remedium adest, ad minus abesse volo, ne ad eam concurrisse dicar. *Venerunt duo Angeli Sodomam. Cum tres apparuissent Angeli Abrahæ de remedio civitatum egerunt, cum vero ex Mambra in Sodomam proficiscerentur ad eam puniendam, & igne consumendam progrediebantur: ibi tertius Angelus, qui tertiam personam Trinitatis repræsentabat, defuit: Adfuit tamen dum de salute, & veniâ in Pentapolim agebatur, ut nobis daretur intelligi benignitas in nos, quæ tribuitur Spiritui Sancto, ipse quippe est paracletus, id est advocatus, & consolator noster.*

3. Reg 19. Franc. Labata t. 2. verb Spir. Sanct prop 1. fol. 842. col. 2.

12. Quoad secundum effectum, qui est completio operum imperfectorum, Apostoli à Christo non in omni illâ doctrinâ, quæ ad eorum officium necessaria erat imbuti fuerant. Sic Theophylactus: *Spiritus Sanctus, & docuit, & commemoravit, docuit quidem quæcunque non dixerat eis Christus, tanquam non valentibus portare: commemoravit vero quæcunque Dominus dixerat, sed obscuritatis causa, vel intellectus tarditate, commendare memoriæ nequiverunt.* Ut ergo in omnibus scientiis perficerentur: *Docebit vos omnia.* Ille ad eos est missus. Ita Beatus Thomas Villanovanus: *Venit Spiritus Sanctus, ut videlicet opera quæ Christus in mundo inchoavit, sua virtute consummaret.* Et hoc non solum in operibus naturæ, sed & gratiæ, ac gloriæ manifestum evadit.

Corn. à Lap in act. Apost. Theoph. in cat. D Tho. ibi fol. 59. col. 1. Gen c. 18. In 3 Rep. 1 noct. Dom. Quinq. B. Tho à Vill in conc. 1. Pent. D P. Aug. Tho Anglicus in catena Græca.

12 Omnia opera creationis ut bona, & perfecta à supremo opifice approbata fuerunt. Hinc de luce dixit Moyses: *Vidit Deus lucem, quod esset bona.* De aquis: *Congregationes aquarũ appellavit maria. Et vidit Deus, quod esset bonũ.* De herbis, floribus, ac plantis: *Protulit terra herbam virentem, & vidit Deus quod esset bonum.* De sole, & luna: *Fiant luminaria magna in firmamento cœli, & vidit Deus, quod esset bonum.* De avibus, piscibus, qui ex aquis prodierunt: *Producant aquæ reptile animæ viventis, & volatile super terram, & vidit Deus quod esset bonum.* Per omnes res creatas discurrite, & invenietis quod *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona. Igitur perfecti sunt cœli, & omnis ornatus eorum.* Soli homini hoc eulogium à Deo non datum; alia excellentia non nominatur, nisi quod præditus fuerit anima vivente: *Et factus est homo in animam viventem.* Ego quid homini defuerit, ut à divina majestate velut perfectus non fuerit approbatus scire velim. Decretum circa ejus formationem in supremo consistorio factum audite. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostrã.* Duas perfectiones, unam imaginis in qua consistebant dona naturalia, ut opinatur Abulensis, & alteram similitudinis, hoc est dona gratuita homo habere debuit. Nunc an Adamus utramq; perfectionem statim habuerit mihi dicitote. Moyses eũ solam imaginem habuisse ait: *Creavit Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creavit illum.* Id roborat Ecclesiasticus. *Deus creavit de terra hominem, & secundum imaginẽ suam fecit illum.* Ergo similitudine caruit. Hinc Pererius; *Denotans imperfectam divinæ similitudinis participationem.* Cujus ergo Adamum perficere fuit? si pater omnipotentiâ illum creavit, filius, qui est *imago patris*, illi imaginem dedit, ad Spiritum Sanctum dictans eum omnibus donis gratiæ, quibus capax erat, quasque ejus status requirebat ultimum complementum addere pertinuit. Doctrina est Ruperti Abbatis: *Non pervenit ad similitudinem Dei, quia non est imitatus donum Dei; memor igitur hic Spir. S. illius propositi, ecce venit ad partem suam operandã ad facturã hominis perficiendã, ut produceret hominẽ ad similitudinẽ Dei; hæc enim est Spir. S. vis, ut divinam in homine similitudinem constituat.*

Gen. c. 1. D Greg. hom 18 in Evang. Gen. c. 19. Gen c. 2. Gen. c. 2. Abul in c. 1. Gen q. 28 Gen. c. 1. Eccl 17. Æg. 2. Sent. d. 29. q. 1. a. 2. distin. 6 later. in resp. ad 1. Scotus 2. sent. dis. 26 Rup. Ab. apud Lipom. & Io. Hay.

14 *In principio creavit Deus cœlum, & terram.* Sed illud erat imperfectum sine ornamentis solis, lunæ, & stellarum, & hæc etiam mutila fuit, *inanis*, & *vacua*: & ut legunt septuaginta, *deformis, & incomposita.* Imo omnes creaturæ dum caligine tenebrarum obfuscatæ erant imperfectæ esse videbantur. *Et tenebræ erant super faciem abyssi.* Sed quid? vix comparuit Spiritus S. quando; *ferebatur super aquas*, & omnia perfecta fuere. Illustre pallium cœli stellis resplenduit, ac sole, & lunâ ornatum fuit. *Fiant luminaria magna in firmamento cœli.* Terra viridi gestamine insigni amicta fuit, floribus redimebatur, & pomis aureis ejus viscera ditata fuere. *Protulit terra herbam virentem, & facientem fructum*, &c. Lux

Gen c. 1. v. 26. n. 630, Gen. c. 1. septuag. interp.

à tenebris distincta fuit: *Divisit lucem à tenebris.* Sic Spiritus Sanctus ultimam manum admovit operibus creationis, & illa è statu imperfecto, ad perfectionem reduxit *Prius terra inanis, & vacua dicitur, deformis, & incomposita; sed post Spiritus incubationem super aquam, statim producitur lux; probus ordo, nec mysterio viduus, ante Spiritus operationem; omnia inania, & vacua sunt, deformis quælibet pulchritudo est, & omnia in tenebris jacent, at ubi advenit divinus Spiritus, & incipit operari, omnia perficiuntur, ornantur, illustrantur.*

Aloysius Novar. *lib. 4. n. 81 in umb. V. fol. 17. col 2.*

15. Clementissimum Salvatorem homo mancus utpote duobus sensibus, auditu, ac loquelâ orbatus accessit. Ille ut à misero calamitosas illas imperfectiones tollat digitum adhibet. *Si in digito Dei ejicio dæmonia*: cur potiùs digitum, quam manum, vocem, aut oculos adhibet? non sine mysterio id factum. Digito Spiritus Sanctus designabatur Hinc Divus Matthæus pro *si in digito, si in Spiritu Dei* substituit. Ergo digito eum perficiendo proprium esse Spiritui Sancto opera imperfecta ad ultimam perfectionem reducere, docere voluit. Idcirco D. Ambrosius ait: *Divus Matthæus exponere volens, quid sit iste digitus, tanta virtutis, qui dæmonem expellere possit, ait: si in Spiritu Dei, hunc digitum Dei Matthæus Spiritum vocat* Virtuti Spiritus Sancti hoc portentum tribui voluit.

D. Luca cap. 11.

S. Matth. cap. 12.

Ambros.

16. Iidem operum gratiæ perfectio attribuitur. Si per impossibile humanitas aliqua individua subsistentia careret, an illa foret perfecta, vel imperfecta? Absque dubio cùm personalitas sit ultimum complementum naturæ imperfecta foret. Ergo si subsistantia absit, ultimo complemento careret, & imperfecta esset. Hic humanitatem Christi cum caruerit personalitate propriâ imperfectam fuisse objicere poteritis. Sed id nego, quia esto propriam non habuerit, tamen in personalitate verbi, quæ fuit perfectissima substitit. Humanitas ergo sacratissima Christi non *à se, sed ab alio* ultimam perfectionem habuit. Sed à quo? si *terminativè* loquamur à suppositalitate verbi, si *efficienter*, esto omnes tres personæ concurrerent, particulariter tamen Spiritui Sancto illa perfectio tribuitur. Id Archangelus expressit: *Spiritus Sanctus superveniet in te.* Et, *quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est.* Huic opinioni quidam modernus Theologus subscribit: *Voce Gabrielis incarnatio verbi Spiritus Sancti virtute perficitur; quia licet humanitas Christi non habeat propriam personalitatem, succedit tamen illi subsistentia verbi, unde ille homo, qui si haberet propriam personalitatem, tantum esset homo, nunc est homo, & Deus. Ergo proprium est Spiritus Sancti, rem quam invenit perficere.*

S. Luca cap. 1.

S. Matth. cap. 1.

Ioan Pineda Matrid. c. 14. in Ecclesia. Etholog. 418. n. 4.

17. Rupertus Abbas: cùm omnes Patrem, & Filium etiam sanctum esse sciamus, nihilominus cur Spiritus Sanctus solus vocetur sanctus, ita ut hic titulus, & honor sanctitatis soli tertiæ personæ attribui videatur indagat. Et causam dat, quia animæ nostræ in ordine gratiæ complentur, ut ergo hanc perfectionem à Spiritu Sancto nos recipere denotetur, ideo eieulogium sanctitatis datur, & Spiritus Sanctus vocatur. Audite Abbatem: *Quæret aliquis, cùm & Pater Spiritus, & Filius Spiritus, & Pater Sanctus, & Filius sanctus sit, quam ob causam vocabulum hoc, quod est Spiritus Sanctus, proprium adscribitur personæ huic, & sola hæc persona sic vocari debuit? ad hæc inquam, nimirum, quia tota persona hujus operatio, non aliud nisi sanctificatio est: & quia Deus, omne quod factum est per filium fecit, & omne quod sanctum est per Spiritum sanctificavit.* Vocatur ergo Spiritus Sanctus, quia sanctificando animas nostras, quæ alias in ordine gratiæ imperfectæ forent gratiam *ad extra* spirat.

Rup. Abb. lib. 1. de gloria & honor. filii hominis.

18. Sanctus Pater Augustinus dubium movet, eccur Christus dum auctoritatem operandi, ad miracula patrandi ante Pentecosten dedit, dum dixit *Accipite Spiritum Sanctum, & quorum remiseritis peccata, &c.* etiam eandem potestatem sacro Pentecostes die per Spiritum cælestem rursus dare voluerit? *Quæritur cur Christus dederit bis Spiritum Sanctum semel in terra ante Ascensionem, & semel de cælo post Ascensionem.* Sanctus Gregorius respondet, quia duo sunt præcepta charitatis, quorum unum amorem erga Deum, alterum amorem erga proximum spectat. Ante Ascensionem ergo Spiritum, ut proximum, post Ascensum vero eundem ut Deum diligeremus donavit? *Duo sunt præcepta charitatis, videlicet Dei,*

S. Ioan. cap. 20.

S. August. apud Dionys. Cart. in cap. 20 in Ioan. art. 7. fol. 380. lit. A

Dei, & proximi: in terra datur Spiritus, ut diligatur proximus, ex cælo datur Spiritus, ut diligatur Deus. Divus Joannes Chrysostomus nonnullorum opinionem dum insufflavit, eum ante Ascensum iis non dedisse Spiritum Sanctum, sed solum os disposuisse ad eundem in die Pentecostes recipiendum affert. *Quidam dicunt quod Christus non dedit eis hic Spiritum Sanctum, sed præparavit eos ad dationem futuram in Pentecoste.* Ipse Divus Chrysostomus subdit: *Spiritus Sanctus datus fuit discipulis non communiter ad omnia, sed ad aliquem effectum, scilicet ad dimittendum peccata.* Sed unus modernus ad propositum meum utrobique à Christo iis datam fuisse virtutem patrandi miracula, verum ante Ascensionem *in actu primo*, in die Pentecostes verò *in actu secundo* quæsitum diluit. *Cùm potestatem priùs accepissent Apostoli in actu primo non congruebat eos hac potestate uti in actu secundo, antequam ipsi Spiritus Sancti plenitudinem acciperent in die Pentecostes.* Nunc quis apud Metaphysicos actum primum saltem comparativè dicere imperfectionem cum ei desit actio, terminus, vel effectus productus nescit? dicere ergo Apostolos ante Ascensionem accepisse Spiritum Sanctum, hoc est, virtutem faciendi miracula in actu primo, est dicere eos eam recepisse modo imperfecto, sed die Pentecostes Spiritum Sanctum obtinuerunt in actu secundo, hoc est, perfectissimo modo sicut eam reducere ad actum, & producere effectus prodigiosos quotiescunque, ac qualiter libuerit possint.

D. Greg. in Cat. D. Thom. in cap 9. D. Ioan. fol 175. col. 1. D. Ioan. Chrysost. apud D. Thom. in cap. 20. Ioan. lect. 4. Idem ibid. Cornel. à Lapid. in Actu Apost fol. 86 Suar. in Met. Tom. 2. disp. 43. Sect. 5. num. 6.

19. Id idem Spiritus dum super Apostolos in forma linguarum sedit denotare voluit. *Linguæ figuram detulit.* Ut cum eo modo perfecisse Apostolos, quo ursa suos informes partus lingua perficit, actiones formandas docet, motus animat, sciamus: *Vt perficiat*; id alter canendo expressit.

Vrsa novum fertur lambendo fingere fœtum.
Paulatim, & formam, quā decet ore dare.

Otho Venius emble. amorum, fol. 20.

Nunc auditores nonnè exspectatis ut & illum opera gloriæ quibus cælicolæ fruuntur complere demonstrem? Theologi num beatitudo in actu intellectus, vel voluntatis, hoc est num beatus sit beatus, quatenus intellectu Deum videt, vel quatenus voluntate eum amat? inquirunt. Doctor Angelicus auctoritati Divi Joannis innixus: *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te verum Deum.* Quæ cognitio est actus intellectus, beatitudinem in intellectu sitam autumat. Verùm Scotus, Ægydius, Gerardus, ac alii doctrinæ divi Patris Augustini accinentes ubi ait; *Fruimur cognitis, in quibus voluntas propter seipsa delectata conquiescit.* Cùm frui, delectari, sicut & amare sine quo non potest esse fruitio sit actus voluntatis in contrariam opinionem abeunt. Verùm tamen est nonnullos alios distinguere dum beatitudinem initiativè, vel præsuppositivè consistere in intellectu, cum doceat Philosophus: *Nihil volitum quin præcognitum, & nihil est in voluntate, quod non fuerit in intellectu*: ac in voluntate, *complativè, terminativè, & formaliter*, asserunt. Secundùm hos ergo, si beatus solo intellectu Deum intueretur, & per impossibile eum non amaret, cum complemento beatitudinis quod est quietari, delectari amando Deum solum imperfectè beatus esset. In actu ergo voluntatis amore scilicet complementum beatitudinis perfectæ consistere evidens est Hæc ergo doctrina Theologica cùm sit verissima; advertendum est omne bonum à nobis possessum à Deo nobis communicari: *Omnis sufficientia nostra à Deo est.* Exempli causa: si creatura esset omnipotens à Patre, cui illud attributum convenit omnipotentia communicata diceretur; si in aliqua creatura reperiretur scientia, vel sapientia à verbo, cui illa attribuuntur datæ colligerentur. Eodem modo amorem, qui est Spiritus Sancti attributum, ab eo nostræ voluntati participatum in eaque velut proprio throno residere dici potest. Hinc Pater Labata: *Vnde nobis tantus amor, quo tantum Redemptorem amare valeamus? Spiritus Sanctus illum præstitit nobis.* Ergo si perfecta fruitio, & complementum beatitudinis consistat in amore, & tunc voluntas recipiat à tertia persona, illam esse complementum, & perfectionem operum gloriæ concludamus. Hanc doctrinam tenet venerabilis Beda: *Ad visionem incommutabilis veritatis, nonnisi per Spiritus Sancti donum pertingitur.*

D. Ioan. cap 17. D. Thom. part. 2. quæst. 11. art. 1 Ægid. 1. sent. qu. 1. art. 2. Scotus ibidem d. 1. quæst. 3. Gerad. 1. quæst. 1. 2. D. Aug. 10. de Trin. cap. 10. 2. Cor. 3. Franc. Labat. Tom. 3 prop. 5. Spirit. Sanct. Beda hom. in Vigil. Pent.

20. Me-

20. Meritò ergo à sancto Athanasio titulo sigilli decoratur: *Spiritus Sanctus sigillum est.* Quia complementum operum est. Unde dum opus completum est operam esse sigillatam dicere solemus, ad significandum Spiritum Sanctum omnium operum Dei, naturæ, gratiæ, & gloriæ complementum esse: *Sigillum*, verba sunt ejusdem sancti, *operis perfectionem, & ultimam manum imprimit. Pater, & verbum opifices sunt omnium rerum, omnia enim per verbum facta sunt, & sine ipso factum est nihil; tantorum opificum, sigillum est Spiritus Sanctus, cujus est, & perfectionem, & similitudinem Dei, rebus creatis imprimere.* Et hoc hujus primæ partis sigillum sit, & quiesco.

Athanas. ad Serapionem.

ALTERA PARS.

Non turbetur cor vestrum, neque formidet.

21. APostoli è meticulosis, ac pusillanimibus ita à Spiritu Sancto animati, & excitati fuerunt, ac in exercitum formidabilem generosorum militum transformati, ut per omnes regiones orbis fidem Christi prædicantes nec per capillum minas, ac contradictiones Tyrannorum curarent. Hunc effectum Spiritus Sancti Vates Ezechiel dum à Deo in campum ossium mortuorum, & excarnificatorum plenum abductus ossibus prædicans; *Ossa arida, audite verbum Domini,* prævidit, ac prædixit. Dein oculis in cælum conjectis ventis, ut flatu suo illa ossa afflarent, præcepit: *A quatuor ventis veni Spiritus, & insuffla super interfectos istos, & reviviscant.* Et illicò ventulus adest, qui in spiritum vitalem mutatus, tantùm valuit, ut ossa moverentur, surgerent, & sibi invicem se connecterent. Pes quærebat genu, manus nectebatur brachio, brachium jungebat se humero, collum insidet busto, ac capiti se supponit, & quodlibet os suo loco se sistit. Carne circumdantur, pellis superinducitur, spiritus abdita sinus penetrat, & cordis intima illico calefacit, sanguinem in venis movet, arterias ad vitam revocat, humores temperat, & in nervis motum excitando, in pedes illa viva cadavera se erigunt, ac exercitum horrendum formant. *Steterunt que super pedes suos exercitus grandis nimis valdè* Sed illa cadavera viva quomodo vocat exercitum? si Ulpiano credimus hic è militibus, ac phalangibus armatis conflatur: *Vt autem exercitus dicatur, opus est magno militum numero.*

Ezech. cap. 37.

Vlpian. apud Ambros. Calep. verb. Exercit.

Quomodo ergo ait Propheta: *Exercitus grandis nimis valdè*? si antea miseræ erant exuviæ cadaverum extinctorum, quomodo nunc sunt armati milites Martis? & hi sunt effectus spiritus cælestis, qui meticulositatem in generositatem, timorem in audaciam, debilitatem in robur, ac tumulum mortis in campum Martis murat. Id testatur Divus Ambrosius: *A quatuor ventis veni Spiritus. Per hunc Spiritum intelligebat Spiritum Sanctum.* Et ex piscatoribus vilibus Apostoli in cohortem insuperabilem, & gloriosam sunt mutati. Hæc vera interpretatio est Ezechielis juxta Joannem Lopez: *Ante ossa nimis arida, post exercitus grandis valdè, quia ingressus est in ea spiritus Hæc enim opera sunt externa, quid restabat? ut à quatuor ventis veniret Spiritus, qui ossa arida in exercitum magnum converteret, quo mundus iste rebellis expugnaretur, & qui in suum principem impiè conjuraverat, hujus exercitus potentia denuò subjiceretur.* Spiritus bellicosus, qui exiguâ manu duodecim Discipulorum inermium formidabilem non minus, quam numerosum exercitum religionis christianæ hostem subegit, ac prostravit.

Ambros. lib. 3. de Spirit. S.

Ioan. Lopez Episc. Monopolit. Tom 4. Annot. in die Pent. fol. 357. col. 2.

22. Non casu, sed optimâ similitudine Spiritus Sanctus vento comparatur. *Tanquam advenientis Spiritus vehementis,* quia effectus similes, quos ventus visceribus terræ conclusus, subitò operatur, producit. Dum ventus suam libertatem carceri subducere, & exire nititur quandoque tanto impetu, ac furore perrumpit, ut ad illum motum provinciæ, ac regna horreant, planities amplæ ad tantam vim vacillent, ac terræ suæ antiquæ, & immobilis firmitatis oblita excessivo metu perculsa fluctuant, & perturbata mutare locum, & fugâ sibi consulere velle videtur. Montes qui altam frontem erigunt, ut eam stellis coronent, aut in lateribus rumpuntur, aut depressi ruunt. Civitates superbæ, quæ eminentiâ ædificiorum, sublimitatem nubium

Actor. 2. post cap. 1.

bium æquare videbantur ruinam minantur instar arcium ruinosarum, & in montes confusos petrarum fractarum, ac lapidum fissorum transformantur. In hoc Spiritus Sanctus vento similis est, & tunc vel maximè, quando cordibus Apostolorum abditus effectus miros, ac stupendos causabat. Superbi Tyranni subjugabantur, carnifices tremebant, idola diffringebantur, & ruebant, Dæmones fugiebant, infernus confundebatur, gentilium pessimi ad fidem catholicam convertebantur; & dum incolæ Apostolorum sequelæ asscribebantur, civitates desolatæ manebant. Ad fragorem vocum Apostolicarum non ædificia sumptuosiora, non fabricæ superbiores, sed sertata capita Imperatorum, ac aliorum magnatum orbis vacillabant. Hi non poterant resistere vi sacrorum Dominorum, & illi ob violentiam regionum ruebant. *Tanquam advenientis Spiritus vehementis.* Hinc Doctor Angelicus de hoc vento rapido, ac furioso in cordibus Apostolorum recluso ait: *Quemadmodum ventus magno impetu quocunque vult fertur, nullis humanis legibus obstrictus, & quamvis oculus videri non possit, ejus tamen vis, & effectus percipitur cum arbores evellit, turres & ædificia evertit, sonus etiam auditur, & strepitus, ita, & quamvis Spiritus Sanctus oculis non appareat,* apparent tamen effectus, & eventus.

Actor. Apost cap. 2.

Thom. P. P qu 36. art. 1 & apud Phu. Diet. Tom. 2. com. 2. de invent. Crucis §. 12.

23. Quis diffidat, quis animum despondeat in arduis negotiis, si Spiritus paracleti generositate excitetur, ac ejus viribus roboretur? adolescens Samson desideriis suis cum venusta sua Dalila satisfacturus ad civitatem Tamnatham tendebat. In medio itinere leonem ferocissimum omnes alios ferocitate, & generositate superantem obvium habuit. O Samson quid ages? quale vitæ tuæ salvandæ medium adhibebis? si te defendas iræ flammas subministrabis, si in eum eas, ut te ferocius discerpat illum excitabis, præterea cùm sis inermis, viribus destitutus, & cuspide careas, ille generositate, ac feritate ungulis, ac dentibus molaribus est armatus; ut adeò tibi sit impossibilis defensio, sicut impossibile est, quod dilaniatus vitam tibi non adimat. Et an non vides? nonnè advertis quomodo arrigat crines, oculis fulguret, rugitibus tonet, fauces aperiat, ungulas acuat, dentes pandat ut te necidet, ac tuo sanguine sitim sedet, & tuis carnibus ventrem farciat? sed ille intrepidè eum, atque audaciter aggreditur, generosè dimicat ad fastuosamque belluam accurrens, manus ei colligat, corpus vincit, brachiis latera stringit, eam excutit, sublevat, & demum humi dejicit, os disrumpit, fauces discerpit, & leonem exanguem, & mortuum deserit. Res valdè stupenda est N. quod Samsoni tantus sit animus, & quod magis est, quod concertando truculentum debellarit leonem, ac palmam retulerit; imò aliquid majus sacra scriptura testatur, cui, cum hædo dimicasse videtur: *Dilaceravit leonem quasi hædum in frustra discerpens, & nihil omnino habens in manu* Sed cesset omnis stupor, quia Spiritus Sanctus ejus partes egit, ei animum addidit, ac robur subministravit. *Irruit Spiritus Domini in Samson*; vel ut legit Glossa ordinaria; *Irruit Spiritus fortitudinis in Samson.* Et Cornelius a Lapide; *Sic in Samsonem; quoties patraturus erat opus heroica, & supernaturalis fortitudinis, dicitur irruisse Spiritus Domini, quasi eum ad id præparans excitans, & corroborans*; Et Joachimus Abbas vires, ac robur Samsonis à capillis in septem crines distinctis, qui numerus Spiritui Sancto convenit provenisse affirmat: *Septem crines fuisse leguntur, in quibus Spiritus Domini quiescebat, ad cujus conspectum rumpebantur vincula, fugabantur hostes, & pro nihilo ducebantur æmulorum insidiæ. Ubi autem crines abrasi sunt, recedente à se spiritu, superatus est miles, qui sicut cæteri hominum infirmus factus est; in septem crinibus, septem dona Spiritus Sancti requiescunt, sine quibus fortè aliquid agere fragilitas humana non potest.*

Iudic c 14. Gloss. ord.

Cornel à Lapid. in Act. Apost.

Ioachim. Abb in 1. part. Apocal. text. 18.

24. Sæpius mecum cur Salvator noster ante baptismum nunquam certamen cum hoste suo diabolo susceperit perpendi. Sed illico à baptismo ut refert Divus Marcus illud iniit. *Statim ductus est in desertum, ut tentaretur à diabolo.* Et Divus Matthæus id confirmat; *Tunc IESUS ductus est.* Et, cur non ante, sed post baptismum prælium suscepit? quia dum baptizaretur, supra eum: *In columbæ specie Spiritus Sanctus visus est.* Antea in hostem non ivit non quod esset debilis,

Marc. c. 1. Matt. c. 4.

bilis, ac timidus, semper enim fuit generosus, ac intrepidus, sed ut teste Maldonato à Spiritu Sancto animum, vires contra omnes hostes terræ, orci nobis obvenire doceremur. *Simul atque baptizatus est, & Spiritus Sanctus super eum descendit in desertum secessit: fortassis Spiritus Sancti, qui super eum descenderat efficacitatem ostendere voluerunt Evangelistæ: hoc enim Spiritu plenus Christus sese ad pugnam accinxit, ut cum diabolo principe mundi hujus singulari certamine pugnaret.*

Maldonatus.

25. Ad discursum de crucibus, de morte. Divo Petro præ timore capilli arrigebantur, vultus pallebat, cor palpitabat, sola umbra ei terrorem incutiebat, noctis silentium illum consternebat. In aula Pontificis unica ancilla non dicam fuste eum egit in fugam, sed unico verbo tremorem indidit, & ad negandum Magistrum coegit. O quam meticulosus! sed postquam sacro die Pentecostes Spiritum Sanctum accepit intrepidus Romam ibidem prima fundamenta fidei jacturus, ac vexillum crucis in mole Adriana plantaturus, perrexit. Sed nec à Neronibus fuit territus, à carnificibus non fuit motus, à crucibus non fuit impeditus. Quænam hæc est rara mutatio in Divo Petro? antea adeò timidus, nunc ita generosus? ante lepus meticulosus, nunc intrepidus. Hæc res Divum Leonem in stuporem egit, ut diceret: *Nec mundi Dominam timet Romam, qui in Caiphæ domo expavescit Ancillam.* Et

D. Leon. serm. 1.

Divus Pater Augustinus: *Qui ad vocem Ancillæ ter negavit, accepto Spiritu Sancto inter flagella principum confessus est, quem negavit.* Totum ait magnus Præsul Gregorius Spiritui Sancto tribui debet: *Ecce gaudet Petrus in verberibus, qui ante in verbis timebat, & qui prius Ancillæ vocem requisitus timuit, post adventum Spiritus Sancti vires principum casus premit.* Et Divus Joannes Chrysostomus: *Apostoli, qui prius tremebant, & formidabant, post Spiritus Sancti acceptionem, in media pericula prosilierunt per ferrum, ignem, bestias, pelagus, & ad omnem calamitatem se intrepidè exposuerunt.* Agedum Christiane, si hujus orbis adversis agiteris Spiritus Sanctus te soletur, si sis imperfectus, ipse te perficiat, si sis timidus, & debilis ipse vires, & robur addat, ut intrepidè possis congredi cum hostibus avernalibus, & victoriâ obtentâ, gloria in arce paradysi coronari queas.

P. Aug. in Psalm. 90

Greg hom. 3. in Ev.

Io. Chrys. sost hom. 74 in Io. an. Tom. 3



DOMI-

DOMINICA SANCTISSIMÆ TRINITATIS.

Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra. Euntes ergo docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.
Matth. 28.

ARGUMENTUM.

Mysterium SANCTISSIMÆ TRINITATIS *declaratur, & ostenditur multos credere illud speculativè, sed non practicè, etiam ostenditur quam utilis sit devotio erga illud.*

1. OBjectum, vel mysterium sic sublime velut est mysterium sanctissimæ Trinitatis cujus unitatem in essentia, & Trinitatem in personis hodie sancta Ecclesia celebrat, reperiri non potest. Si intellectus subito inter undas mille difficultatum naufragari velit, tantummodo immenso illi oceano se committat, & animum sumat vastum illud pelagus essentiæ divinæ sulcare. Inter stupores hos attonitus meus beatus Valentinorum Præsul exclamare solebat *O altissima materia! & quis audebit pelagus tantum intrare? in hoc lacu profundissimo plurimi periclitati sunt. In hoc periit Arius, in hoc Sabellius, Manichæus, Photinus, & innumeri hæretici perierunt, quia incautè intraverunt in hoc pelago.* Quis oculus aquilæ generosæ adeò sit perspicax, ut hunc solem unum, & trinum contueatur, nec ejus radiis obfuscetur? ut enim ait Sapiens: *Scrutator majestatis opprimetur à gloriâ.* Nos, qui sumus cæci, & velut talpæ inter tenebras ignorantiæ degimus, quomodo supremum illud, quod est principium, & origo lucis contueri poterimus? *Sublimes*, scribit idem Archiepiscopus, *illas, & inaccessibiles veritates fidei, quæ omnem intellectum superant firmissimo sensu amplecti, & inconcussâ fide tenere, id supra humanam facultatem, & supra humanas vires est.* Et sanè N. quis intellectus creatus sibi persuadeat personam generantem esse Deum, personam generatam esse Deum, personas spirantes esse Deum, spiratam esse Deum, nec tamen esse duos, tres, vel quatuor, sed unum solum Deum? Quis unam personam non habere perfectiones relativas alterius putet, & unam tamen nec magis, vel minus esse perfectam altera? quis credat essentiam communicari, nec tamen personas? quis autumet attributa essentiæ divinæ immultiplicatâ nihilominus essentiâ multiplicari? omnia hæc tamen esse vera (quantumvis creata mens capere non possit; quomodo id fieri possit) fides divina docet. *Impossibile est*, ait Divus Ambrosius, *generationis divinæ scire secretum, mens deficit, vox silet, non mea tantum, sed etiam Angelorum; tu quoque manum ori admove, scrutari non licet superna mysteria.* Unde gressus mei discursus sistens cum Apostolo exclamabo: *O altitudo divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei,* quam

B. Thom. à Villa Nova conc. 1. de Trin.

Proverb. cap. 25.

Idem Tho. conc. 2. de Trinit.

D. Ambr. lib. 1. de fide cap. 5.

Ad Rom. cap. 11.

D.Thom. ibid. Au. divi arcana verba. 2. Cor. cap. 12.

quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus? & concludam cum Angelico. *Si ergo magnus ille Apostolus, quique sanctissimam Trinitatem vidit, exprimere illam nescivit, quis nostrum illam poterit explicare? quis intelligere nostrum potest, quo pacto sit Deus trinus, & unus, si, trinus, quomodo unus? si unus quomodo trinus?* & quia sublimitas mysterii est ineffabilis, & incomprehensibilis debilitati nostri intellectus, si ego nostræ fidei catholicæ confirmandæ de veritate adeò infallibilis, & profundi mysterii discurram, & posteaquam utile sit illud insculptum cordi gerere, demonstrem contenti eritis; dignitas subjecti attentionem vestram meretur, interim vos silentio vestro mihi favere; & ordior.

PARS PRIMA.

Euntes ergo baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.

2. Esto iis, qui absq; repugnantia prout credunt filii sanctæ Ecclesiæ persuadere illud mysterium superfluum sit; nihilosecius ut omne periculum titubationis fidelibus tollam, & magis simplices, qui piæ, & puræ, veræ tamen veritati adhærent (si fuerit possibile) illuminem, conveniens esse, argumentando à creatis ad increata cùm doceat Apostolus: *Invisibilia Dei à creatura mundi, per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur,* illud mysterium declarare judico. Multi hoc profundissimum arcanum objectis visibilibus declarare tentarunt: nonnulli unum solem cum tribus vultibus hoc Lemmate adjecto; *Trinus, & Unus* formarunt. Alii Iridem cælestem tricolorem fulvum, viridem, & purpureum his verbis additis: *Et hi tres Unum sunt,* exhibuerunt. Alius Jaspidem tribus coloribus pictum cum hac inscriptione unus, & tricolor, pro symbolo hujus mysterii elegit. Etiam addi poterat figura à Mathematicis dicta: Trigonus æquilatero, qui ex tribus lineis æqualibus, & æquè proportionatis componitur. Et hoc mysterium tribus personis æquè perfectis constituitur. Ita perhibet Athanasius: *Qualis Pater, talis Filius, talis*

Ad Rom. cap. 1.

Euclid. ad lib. 1. definit. 24. fol. 12.

D. Ath. in symb.

Spiritus Sanctus; & sicut Trigonus est una sola figura, sic tres personæ sunt unus solus Deus: *Deus est Pater, Deus est Filius, Deus est Spiritus Sanctus, & tamen non tres Dii, sed unus est Deus.* Idem ibid.

Tria in figura Spherica Mathematicus punctum, superficiem, & intervallum considerat: *Cumque tria sint planè, centrum trum, superficies, & intervallum, ita tamem unum sunt, ut nullum ne cogitatu quidem abesse possit, quin totum destruatur;* & tamen est una figura: sic in hoc mysterio sunt tres personæ, & unus solus Deus. Oculos, & intellectum in sphæram solis, qui in sua unitate continet lucem, radium, & calorem, è quibus splendor generatur à luce, & calor ab utroque, conjicite. Hinc Theologizando dixit Divus Athanasius: *Quemadmodum sol constat tribus substantiis, ita & unus Deus tribus personis: typus enim Patris est orbis solaris. Filii est radius, Spiritus Sancti est lumen. In sole orbis, radius, & lumen, non dicimus tres soles, sed unum: similiter in Deo Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, unus Deus, non tres.*

Keplerus in astronom optic. cap. de nat. lucis fol. 6.

D. Athan. Tom. 1 in quæst. q. ...

3. Sed cur mente indagamus argumenta extrinseca, si in anima nostra ad vivum exhibeantur? illa est una, & tamen tres potentias, memoriam, intellectum, ac voluntatem continet. Memoriâ Pater, intellectu Filius, voluntate Spiritus Sanctus designatur. Et sicut à memoria nascitur intellectio, & ab utraque voluntas; sic à Patre generatur Filius, & ab utroque Spiritus Sanctus procedit. *Anima,* ait Ægidius Columna, *repræsentat divinam essentiam, quia sicut in una anima sunt hæc tria, memoria, intelligentia, & voluntas, ita in una divina essentia sunt tres personæ. Memoria autem repræsentat Patrem; intelligentia Filium, voluntas verò Spiritum Sanctum: nam sicut à Patre habet esse Filius, ita à Patre, & à Filio Spiritus sanctus; sic à memoria habet esse intelligentia, & ab utraque habet esse voluntas.*

Ægid. Columm. de fide cathol. & sum. Trinit. 2. part. fol. 6. col. 2.

4. Etiam Antiqui Philosophi, & inter illas particulariter Trismegistus aliqualiter imperfectè, ac in confuso cognitionem nostri

nostri Dei velut auctoris naturæ attigisse videtur. Hinc scriptum reliquit: *Erat lumen intellectuale, & erat semper mens mentis luminosa, & nihil aliud erat, quam horum unitas, & spiritum omnia continens Extra hanc non Deus, non Angelus, non substantia ulla alia, omnium enim Dominus, & Pater, & Deus; & omnia subipso, & in ipso sunt.* Et ideo fuit vocatus Trismegistus, hoc est *Ter maximus*, quia ut ait Trugillus *de Trinitate edidit supradictum oraculum.* Et in tractatu *de verbo perfecto* hoc roborans confusè sic scripsit. *Monas genuit Monadem, & in se reflexa produxit ardorem per Monadem generantem.* Per Monadem patrem, per Monadem genitam filium, per verba *Et in se reflexa produxit ardorem* Spiritum Sanctum, qui sub metaphora ardoris, & foci in scriptura exhibetur adumbrare voluisse videtur. Hæc verba considerans Archipræsul Valentinus dixit: *Quid amplius de Trinitate diceret Augustinus?* Porro, quia homines erant integerrimi in suo gradu puræ, ac simplici veritati indagandæ intentissimi, non tamen lumine solius intellectus, sed potius aliquo instinctu superno ductos Trismegistum, & alios Philosophos potuisse illud mysterium penetrare affirmarim. *An putamus*, subdit idem Beatus, *eos solo lumine naturali hæc attigisse, & non potius instinctu quodam divino hæc sensisse, quin viri boni erant, & studio perquirendæ veritatis intenti, sicut Sybillæ quæ multo majora dixerunt lumine quasi Prophetico?*

Idem ibid. Mercu. Trimegis apud Suida, & apud Tho de Trug. in festo SS. Trin f. 144. n. 20

Keplerus in astronom optic: cap. de nat. lucis fol. 6.

D. Athan. Tom. 1 in quæst. q. 4.

Herm. Trime lib. de ve. perf.

B Thom. à Villa. conc. 1. de Trin.

Idem ibid.

Pithagorici, ac si voluissent denotare unum Deum in tribus personis; unum Deum solum adorabant, sed tribus modis, adoratione, oblationibus, laudibus eum colebant. *Pythagorici propter istam Trinitatem colebant unum solum Deum sub triplici honore. scilicet adoratione, oblatione, & honore laudis.* Similiter Plato Trinitatem in divinis dum primam personam patrem, secundum filium, & verbum, tertiam spiritum, & animam mundi vocavit assignavit. *Quod Pater per verbum omnia produxit, & per spiritum omnia vivificat, & movet.* Hos Philosophos *Instinctu divino magis, quam studio*, ait Divus Thomas Villanovanus, hanc cognitionem habuisse verum est. Et confirmans id, quod de Platano diximus, scripsit. *Vnum posuit (id est Plato.) verum Deum, omnium conditorem. In quo etiam nescio quo instinctu posuit quandam Trinitatem, scilicet ipsum per se esse, id est esse primum, & ipsum verbum, sive filium Dei, sive mentem, sive mundum exemplarem, & idealem, & tertio loco animam mundi.* Intellexit forsan Spiritum Sanctum, quia sicut anima vivificat, sic illius vivificare proprium est.

Ægid. Columna. de fide cathol. & sum. Trinit. 2. part. fol. 6. col. 2.

Hadrianus Fini flag. in Iud lib. 8. c. 23 fol 446. co. 4

Plato in Tim. & lib de Rep in Epist ad Dionys. Erast & Chorisc. apud Hadr. ubi supra. B. Thom. à Villa. ubi supra.

5. Chaldæi nomen tribus Jod, & uno Camez, forsan intelligendo Trinitatem Personarum, & unitatem essentiæ scribebant. Et Hebræis nomen ineffabile Dei *Jehova* quatuor literis è quibus sunt *Jod, Eh, Vah* scribitur. *Jod* significat principium id est Patrem: *Principium totius Trinitatis Eh* significat vitam, quâ denotatur filius, qui incarnatus, & mortuus pro nobis dedit vitam. Hinc dixit: *Ego veni ut vitam habeant, & abundantius habeant.* Vel cum Divo Joanne Evangelista; *In ipso vivimus, movemur, & sumus. Vah* apud Hebræos est terminus copulativus, & significat Spiritum Sanctum, qui *est nexus amoris inter Patrem, & filium.* En ergo mysterium sanctissimæ Trinitatis.

S. Ioan. c. 10.

6. Tria, virga, lex, & manna, in Arca conservabantur. Per Virgam Pater, cui attribuitur cunctipotentia exprimebatur, in lege divina sapientia, quæ filio convenit, in manna, quod cum esset dulcissimum, Spiritus Sanctus, qui est totus dulcedo, & amor repræsentabatur. Et sicut arca cum esset una, tria tamen continebat; sic essentia divina in tribus personis, Patre, Filio, & Spiritu Sancto reperitur una. Sed pergamus ad scripturas. Moyses creationem universi scriptis consignans tractatum his verbis orditur; *In principio creavit Deus cœlum, & terram.* Hebraicus textus sic legit. *Berishonah bara Eloym.* Sed apud Hebræos uti declarat Rabbi Abenharaza, *Bara* esse singulare, & in plurali habere *Barau* est necessario observandum, sicut etiam *Eloym* est nomen plurale, & in singulari habet, *El*, vel *Elhoa.* Ergo Moyses incongruè loqui dicendo *Bara Eloym* videtur; quia verbum singulare nomini plurali connectit. Imo potius *Bara El*, vel *Elhoa*, hoc est, *creavit Deus*: vel *Barau Eloym*, hoc est *creaverunt dii* dicere debebat. Ego sacrum Chronologum demonstrare voluisse ad hoc opus

Gen. c. 1.

Rabbi Abenazara.

pus ad extra tres divinas personas concurrisse & esse unum solum Deum, credo. Unitatem expressit per verbum singulare, *Bara, creavit,* Trinitatem trium personarum per plurale *Eloym*: & hanc fuisse intentionem Moysis Pater Pelbartus nobis suadet. *Moyses in capite libri tres commemorat, scilicet Deum significantem Patrem, & Principiū significantem filium, & Spiritum Sanctum. Et quod hæ personæ sint unum in essentia, dicit: creavit in singulari.* Huic etiam adstipulatur Thomas Trugillo. *Cum enim legimus, in principio creavit Deus cœlum, & terram, pro Deus Hebræu est nomen non singularis, neq; dualis numeri, sed pluralis, Elohim. Cui tamen additur verbum singularis numeri, Bara, id est creavit, ut intelligamus pluralitatem personarum, unius tamen naturæ, & essentiæ.* Et ut adversarii magis convincerentur Moyses in formatione hominis hanc doctrinam stabilivit: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* Illoque creato ait: *Ad imaginē Dei creavit illum*: ubi Hebræus habet *Vaibra elohim Eth haadam bezalmo.* Sed quo modo concordet plurale, *faciamus*, cum singulari *ad imaginem creavit illum*? hoc mysterium sacratissimum non melius, quam *faciamus*, quo denotatur Trinitas personarum, & singulari *creavit*, quo essentiæ unitas exprimi potuit.

Pelbart. ser. 2. de Trin.

Tho. de Trugillo, in fest. S Trin fol. 243. n. 20

Gen. c. 2.

Apud Lipom in cat

Ingeniorum Aquila magnus Pater Augustinus verum sensum verborum Moysis penetravit: *Cur autem nunc dicitur ad imaginem Dei, cum superius dictum sit ad imaginem nostram? significatur quod non id agat illa pluralitas personarum, ut plures Deos, vel dicamus, vel credamus, vel intelligamus; sed Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, propter quam Trinitatem dictum est ad imaginem nostram, unum accipiamus Deum, propter quod dictum est ad imaginem Dei.* Vera tamen est doctrina Gerardi, quod *per imaginem, quæ est in anima nostra non potest demonstrari aliquo modo Trinitas divinarum personarum, quamvis possit indirectè significari, & aliquo modo declarari, imperfectè tamen.*

D. Aug ad litt.

Gerard. Senen in 1. sent d. 3. q. 4. art 4. f. 198. col. 1.

7. Magno Patriarchæ Abrahæ tres Angeli Paradysi comparuerunt, & quia eos viatores censuit, obviam iis processit, eos invitavit, hospitium obtulit eos maximâ cum charitate excipiendos allegans. Sed dum radios divinitatis in eorum vultibus emicantes conspexit, humi se prostravit, manus composuit, & vultu demisso, referente scripturâ. *Tres vidit, & unum adoravit.* Siste ô Abrahame si sint tres, cur tantum unum adoras? aut omnes, aut nullum venerare, quia reliquis displicebis. Ah, ait, Abraham vos non capitis mysterium, venerando unum veneror tres, quia hi tres unum sunt, & unus sunt tres. In his tribus Angelis Trinitatem personarum, & unitatem essentiæ contemplor. Sic docet Sanctus Augustinus sacræ Theologiæ Pater. *Abraham tribus occurrit, & unum adoravit; trina unitas, una Trinitas. In hoc, quod tres vidit, Trinitatem personarum intellexit, quod autem quasi unum adoravit, unum Deum in tribus personis esse cognovit.*

Gen. c. 18. resp. 3. 1. Noctur. quinquag.

P. Aug. in Genes. cap. 18.

8. In Deuteronomio legimus, *Deus Deus noster, Deus unus est.* Hic mysteriosè ter invocatur Deus, non quod tres sint Dii, sed quod tres sint personæ, quarum quælibet est Deus; Porro, ut unum tantum esse Deum demonstret subdit: *Deus unus est. Quia ter, & æterna prolatione ipsius Dei nomen ponitur, Deum trinum, & unum esse Propheta Moyses indicare voluit, quod littera planè insinuat,* ubi *Calabistarum Princeps Rabbi Simeon Benlobaji, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum explicitè profert, quas personas litera ipsa hic implicitè insinuat.*

Deut. c. 6.

Hadrian. Fin l. 8. c. 9. fol. 431. col. 1.

Magnus Vates Israëlis verbis Deuteronomii velut Echo respondere mihi videtur, *Benedicat nos Deus, Deus noster, Benedicat nos Deus. Benedicat nos Deus,* En primam personam. *Deus noster,* en secundum, qui assumendo naturam humanam factus est noster, *Benedicat nos Deus,* en tertiam. Et ut sciamus non esse plures Deos, sed unum subdit: *Et metuant eum* (*& non eos* in singulari, nec in plurali) quia est unicus tantum Deus. Hinc Remigius Antisiodorensis: *Benedicat, id est multiplicet nos Deus Pater, benedicat nos Deus Filius, benedicat nos Deus Spiritus Sanctus: & sic multiplicet, ut tandem metuant eum omnes fines terræ, ut tota terra creatorem colat, non creaturam.* Et Cardinalis Bellarminus concludit. *Porrò trina illa repetito nominis Dei, quæ in hoc versiculo habetur, quamvis affectum Propheta significet, tamen insinuat etiam mysterium sanctissimæ Trinitatis.*

Psal. 66.

Remigius Antisi. in psal 66. in Bib. vet. pp tr. 9. par. 2.

Bellar. in psal 66. ve. 6 fol. 383.

Isaias

Iſai.c.6. Rab. Simeon Petr. Galat.

Andreas Cæſarin.in c.10.Apoc

Remig. Antiſſi. in Expoſ celebr.miſſæ.

9. Iſaias Propheta annon Angelos cœli ante thronum Dei ſuaviſſimam componentes muſicam, & triplicatis laudibus ſanitatis, *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, concinentes audivit? teſte Petro Galatino Rabbi Simeon per hæc verba tres divinas perſonas intelligit: *Sanctus hic, eſt Pater, ſanctus hic, eſt Filius; ſanctus hic, eſt Spiritus Sanctus*: Sic Andreas Cretenſis: *Per ſanctitatis nomen tertio repetitum, divinitati, quæ in tribus hypoſtaſibus ex æquo ſubſiſtit, laudem deferunt*. Sed cur muſici cœleſtes ſubdunt *Dominus Deus Sabaoth, & non Domini Dii*? docere voluerunt eſſe tantum unum Deum. Sic Remigius Antiſiodorenſis; *Dicimus ter ſanctus, & ſemel Dominus, ut oſtendamus omnipotentem Dominum in perſonis Trinitatem habere, & unitatem in ſubſtantia*.

Hieron.ca. 4 ad Epheſios.

D.Cyrill. Ieroſol. Catech.16

10. Sed annon auditis, quod ipſemet Chriſtus oraculum veritatis ſuos diſcipulos hoc ſacroſanctum myſterium doceat dicens: *Euntes ergo baptizantes eos in nomine Patris, & filii, & Spiritus Sancti*: dicit *in nomine; non in nominibus*. Quia quantumvis ſint plures perſonæ, ſunt tamen unus Deus. Audite Divum Hieronymum: *unus eſt Dominus, & unus eſt Deus, quia Patris, & filii denominatio una divinitas eſt; Propterea, & una fides dicitur, quia ſimiliter in Patrem, & in Filium, & in Spiritum Sanctum, baptizamur, ter mergimur, ut Trinitatis unum appareat ſacramentum: & non baptizamur in nominibus Patris, Filii, & Spiritus Sancti, ſed in uno nomine, quod intelligitur Deus*. Et Divus Cyrillus Hieroſolymitanus ſubſcribit: *Filius enim Dei unigenitus apertè dixit Apoſtolis, euntes igitur docete: ſpes noſtra eſt in Patre, & Filio; & Spiritu Sancto, non tres Deos annunciamus: obmuteſcant enim Marcioniſtæ*.

Greg. Turon. de gloria martyrum c.81 Baronius t.7. ad annum Domini, 583.

11. Ad majus robur noſtræ fidei, id quod Gregorius Turonenſis, & Cardinalis Baronius ſcriptis conſignarunt de lite inter Catholicum, & Arrianum obortâ, & poſtea prodigio decisâ in memoriam. Auditores revocate. Arrianus negando ſanctiſſimam Trinitatem oppugnabat, Catholicus intrepidus illam defenſabat, & confitebatur. Sed videns Arriani perfidiam non poſſe ſuperari doctrinâ, experientiâ illam debellare attentat. Vas, ait Catholicus apportetur plenum aquâ bulliente, iique annulus injiciatur, & qui noſtrum illæſus ab aquâ annulum extrahet à parte ejus victoria ſtet, & litem viciſſe dicatur. Arriano pactum placuit, & in foro innumerâ ſpectante catervâ ad experiendam rem itum, ſed quia Rex Catholicus, qui rem propoſuit primus eſſe debuit videns aquā bulliendo exilientem nonnihil animum deſpondere videbatur, Hiacinthus Diaconus vas adit, & nudato brachio aquæ immerſit, & annulum illæſus omnibus ſtupentibus extraxit. Verum hoc actu attonitus, & confuſus Arrianus ſibi idem obventurum ſperans audacter manum immiſit, ſed perverſitati ſuæ pœna non defuit; nam *Injecta manu protinus uſque ad ipſa oſſium internodia, omnis caro liquefacta defluxit, & ſic altercatio finem habuit*. Hoc miraculo veritatem tam ſublimis myſterii Deus teſtatam voluit.

Lab.t.3. verbo Trinitas prop. 3.

Petrus Lombard. lib.1.d.2.

DTho.1. p q.30. art.2.

Ambr.lib. de dignit. human. cond.cap.2

P.Aug.lib 3.contra Maximinū cap.10.

12. Huic ſtabiliendo Catalogum Theologorum adducere poſſem, ſed nonnullos primæ tamen claſſis, & ſpecialiter magiſtrum ſententiarum adducere contentus ero: *Hoc certa, & pia fide tenendum eſt, quod Trinitas unus ſit, & ſolus verus Deus; teneamus ergo Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, unum eſſe naturaliter Deum, neque tamen ipſum Patrem eſſe, qui eſt Filius, non Filium ipſum eſſe, qui Pater eſt, nec Spiritum S ipſum eſſe, qui Pater eſt, aut Filius Vna eſt enim Patris, & Filii, & Spiritus Sancti eſſentia, in qua non aliud eſt Pater, aliud Filius, aliud Spiritus S quamvis ſit perſonaliter, alius Pater, alius Filius, alius Spiritus Sanctus*. Divus Thomas *Neceſſe eſt ponere tantum tres perſonas in divinis. Paternitas ſubſiſtens eſt Perſona Patris, filiatio ſubſiſtens eſt perſona filii; Proceſſio convenit perſonæ, quæ dicitur Spiritus Sanctus, & per modum amoris procedit*. Divus Ambroſius. *Deus eſt Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus, non tamen tres Dii ſunt, ſed unus Deus tres habens perſonas*. Sanctus Auguſtinus *In Trinitate, quæ Deus eſt, & Pater Deus eſt, & Filius Deus eſt, & Spiritus Sanctus Deus eſt, & ſimul hi tres unus Deus; nec hujus Trinitatis tertia pars eſt unus, nec major pars duo, quam unus eſt ibi, nec majus aliquid ſunt omnes, quam ſinguli, quia ſpiritalis hæc, non corporalis eſt magnitudo, qui poteſt capere capiat, qui autem non poteſt, credat, & oret, ut*

quod

Hieron c. 4. ad Ep. quod credit intelligat. Divus Hieronymus. *Vnus est Dominus, & unus est Deus, quia Patris, & filii denominatio, una divinitas est. Propterea, & fides una dicitur, quia similiter in Patrem, & in Filium & in Spiritum Sanctum credimus, & baptisma unum. Eodem enim modo, & in Patrem, & Filium, & in Spiritum Sanctum baptizamur, & ter mergimur, ut Trinitatis unum apareat sacramentum, & non baptizamur in nominibus Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, sed in uno nomine quod intelligitur, Deus.*

Greg. Papa in symb. D. Gregorius Magnus. *Credo in unum Deum omnipotentem Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, tres personas, unam substantiam. Patrem ingenitum, Filium genitum, Spiritum Sanctum nec genitum, nec ingenitum, sed à Patre, & Filio procedentem.* Legite concilia, & Lateranense invenietis; *Firmiter credimus, & simpliciter confitemur, quod unus solus est verus Deus, æternus, & immensus omnipotens, incommutabilis, & incomprehensibilis, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, tres quidem personæ, sed una Essentia, substantia seu natura, simplex omnino.* Toletanum quartum. *Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum unius deitatis, atque substantiæ confitemur, in personarum distinctione Trinitatem credentes: in divinitate unitatem prædicantes.* Eandem veritatem in jure canonico reperietis. *Firmiter credimus, & simpliciter confitemur, quod unus solus est verus Deus æternus, immensus, incommutabilis, omnipotens, ineffabilis, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus: Tres quidem personæ, sed una essentia, substantia, seu natura: Pater à nullo, Filius à Patre, & Spiritus Sanctus ab utroque.*

Concilium Lateran. cap. 1.

Concilium Tolet. 4. cap. 1.

Lex canonica in princ. decret.

13. Non obstante hac veritate Theologicâ ex tartareis tumbis cerberi trifauces impii Arriani negantes unitantem essentiæ, & Trinitatem deorum astruentes, prosilierunt. Respondete ô Arriani. Dato, & non concesso secundum vestram falsam doctrinam dari Trinitatem Deorum; vel unus alterum comprehenderet, vel non? si non, ergo Deus qui non comprehendit, *Cum de ratione infiniti sit quod comprehendat omnia*; non erit infinitus. Et si non sit infinitus cum infinita Dei sit proprietas, quomodo possit esse Deus? Itaque tacete, & sacris dogmatibus Catholicæ fidei adhærere. Nonne auditis ipsum Deum asserere quod sit solus? *videte quod ego sim solus, & non sit alius Deus præter me,*

Deut. c. 32

14. Viperæ protervæ, & virulentæ Sabelliani mille sibilis sibilarunt, & pasti non lacte fidei, sed veneno hæresum Trinitatem personarum negando se opposuerunt. Sed nonne igni calorem, nivi candorem, soli splendorem se denegare vident? dicite annon in divinis duæ processiones una *ad intra*, & altera *ad extra*, una per actum intellectus, altera per actum voluntatis, dantur? ergo & duæ personæ productæ erunt, cui si addatur producens, tres personæ erunt. Nec possunt esse plures tribus, quia cum non multiplicentur personæ nisi per relationes oppositas cum hæ sint tantum tres, totidem & personæ tantum erunt, juxta Divi Joannis Theologiam: *Tres sunt qui testimonium dant in cœlo; Pater, verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum sunt.* Ioan. 5.

15. Non solum Deus noster ex misericordia hoc mysterium suis fidelibus dignatus est revelare, sed & infidelibus, fulminibus, ac pœnis illud demonstravit. Scriptores de impio Olympio, qui tempore Anastasii Papæ Constantinopoli sanctissimam Trinitatem publicè negavit Deum fulmine subito eum percussisse, & neci dedisse referunt; *Publice negans mysterium Trinitatis, ante omnium oculos cœlesti fulmine percussus*, vel ut scribit Paulus Diaconus, *tribus ictum jaculis, miserabiliter interiit, corpus ejus in cinerem redactum est, in testimonium quod ejus anima in inferno arderet.*

Thom. de Tragil. in festo SS. Trinitat. Paulus Diac lib. 5 in Anast & Platina in vita ejus.

16. Quidquid hactenus dixi superfluum credo, quia non facio verba ad Sabellianos, Arrianos, vel Hebræos, sed ad Christianos, qui non solum hoc, sed & alia mysteria fidei Catholicæ firmiter credunt, Verum ego dupliciter posse credi, semel speculativè actu intellectus, secundo practicè bonis nempe operationibus replico. Intellectu Patrem æternum esse omnipotentem creditur; & tamen multi continuo eum offendendo, ac si punire non posset impiè eum negant. O quam cautus esset, & timeret offendere principem, qui certo scit offensioni non defuturam pœnam? si ergo credis, quod Deus sit cunctipotens, cur non mittis errores, cur non emendas culpas? annon vides ejus te non posse effugere manus? credis speculativè, & sapientiam filii confiteris, sed ex operibus

bus tuis te hoc negare deduco. Dum tot patres scelera, ad minus implicitè eum esse cæcum, nec videre, eum esse ignorantem, nec videre quid facias, vel quales sint tuæ inordinatæ cogitationes æstimas. Ergo dum ab actionibus Christiano indignis non abstines, eum esse cæcum, ignorantem, qui te non videt, & qui tua scelera non cernit judicas. Credis bonitatem Spiritus Sancti, sed actiones tuæ dum vita tua est dissoluta, voluntas depravata, opera malitiosa, arguunt quod eam inficieris. Videris bonitatem spiritus paraclyti abominari, & malitiæ diabolicæ te imitatorem ostendis. Hinc te de eorum esse numero, de quibus ait Apostolus: *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant cum sint abominati, & incredibiles, & ad omne opus bonum reprobi.* Verificatur.

Ad Titum cap. 1.

17. Sunt, qui subtilitate ingenii plusquam oportet speculari volunt, forsan id quod meus Pater sanctus Augustinus dixit ignorant: *Nihil difficilius quæritur, nullibi periculosius erratur.* Hinc evenit, ut temeritas eorum in quendam scopulum eos pellat. *Nolite,* ait Beatus Valentinorum præsul, *mortales secretum hoc scrutari mysterium, hoc nolite sapere, nolite intelligere, audite audientes, & solum credite; nam hoc vobis proderit ad salutem credere enim pietatis est, velle sapere temeritatis.* Ergo amate Trinitatem voluntate, corde eam veneramini, quod creditis intellectu, opere confiteamini ut illud commodum, quod altera parte mei discursus enarrabo reportare possitis; Interim quiesco.

August. apud B. Tho à Vil con. 2. de Trin.

B. Thom. à Vil conc. 2 de Trin.

ALTERA PARS.

18. DEvotio erga sanctissimam Trinitatem, & insculptam illam cordi gerere, quam sit fidelibus proficuum ex figuris, quibus in scripturâ adumbratur deducere poterimus. Populus Israeliticus in Ægypto manceps erat; Deus Moysen, & Aaronem ad Pharaonem ablegat, ut ei significent, quatenus populum illum libertate donet, quam cum obstinatus Rex negaret, divininam majestatem ordinasse ut ad desertum Deo ibi litaturi se conferant subnectunt; *Deus Hebræorum vocavit nos, ut eamus viam trium dierum in solitudine, & sacrificemus Domino Deo nostro, ne forte accidat nobis pestis, aut gladius.* An morte violentâ pestis, vel ferri occumbent, nisi prius sacrificent, & tres dies itinerando insumant? cur hac pœnâ involvantur nisi per tres dies iter agant? annon se magis promptos exhiberent, si unum, vel duos dies impenderent? annon sic sacrificium Deo gratius foret? audite mysterium. Numerus ternarius horum dierum figura est trium personarum ait sanctus P. Augustinus; docere itaque voluit Spiritus Sanctus quemlibet, qui in itinere hujus vitæ devotus fuerit sanctissimæ Trinitati eum ab omni malo, & adversitate, quæ ei obvenire posset securum fore. *Tres dies non incongruè possumus dicere Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, quia, & Pater dies, & Filius dies est, & Spiritus Sanctus dies est, & hi tres unus dies, quid ergo mirum si hoc sacrificium, nisi trium dierum viâ non perficitur? Patrem enim sine Filio, vel utrumque sine Spiritu Sancto prædicare, gladium, & pestem tanquam suo errori debitas pœnas meretur.* Hic numerus ternarius semper omnem futuræ felicitatis fuit.

Exodi c. 5.

D. Aug. serm. 90. de temp. apud Io de la haye. in Exod. c. 5. v. 3. n. 28.

19. Ab Abrahamo rei veritatem flagitemus. Deus ei ad montem Moria se conferat, ibique filium sibi charissimum Isaac litet præcepit, *Tolle filium tuum, quem diligis Isaac, & offer illum mihi in holocaustum super unum montium quem monstravero tibi.* Sanctus senex absque mora jussus divinæ voluntatis executurus ad montem pergit, & ut ad pedem ejus appulit servos sic afflatur. *Exspectate hic cum asino. Ego autem, & puer illuc usque properantes, postquam adoraverimus reverteremur ad vos.* Quo fundamento motus Abraham paulisper præstolenter servis jubeat, & se quantocius cum Isaaco reversurum ajat scire vellem. Quomodo redeat, si filium propriis manibus sacrificare debebat? quot diebus iter egerit, dum hæc dixit observate. *Die autem tertio elevatis oculis vidit locum procul.* Dum tertium attigit diem; nuntium felix secum tacitus ait, hi tres dies stellæ felicis augurii sunt, necem non minantur, sed vitam spondent. *Omnes* verba sunt Chrysostomi, *dies Dei sunt, & tres serviunt mysterio.* Egregiè hoc Pater Ponferradiensis asserens ubicunque

Gen. c. 22.

D. Chrys. T. S. hom. in illud D. Pauli cum

autem sub jecta fuerint, Didac Pont. t.3. lib.14 c. 13.5.4.

vel umbra sanctissimæ Trinitatis est, ibi omnes actiones esse fortunatas, & felicem habere exitum explanat. *Vbi divinissimi ternarii adumbrat mysterium, jam non casum, non mortem Isaaci cogitat Abraham, sed illum incipit suspicari quasi à morte, & casu liberatum.* Si ergo figura vitæ augurium fuit Abrahamo, quid Christiano non erit figuratum?

20. Et quia modo de numero ternario dierum agimus ego felicem etiam cursum hujus mei discursum augurans tertiam considerationem iisdem diebus addere volo. Magnus filius Dei de sua sacratissima humanitate, quæ templum erat Spiritus Sancti disserens, his Hebræos est allocutus. *Solvite templum hoc, & in triduo excitabo illud.* Et quod non loquatur de templo materiali à Salomone ædificato expressè Evangelium declarat; *Ille autem dicebat de templo corporis sui.* Si Deus tempori non subjiciatur, cur vult tres dies resurrectionem præeant. Si dicatis, quod si subito à morte fuisset resuscitatus, Hebræos potuisse credere eum verè non fuisse extinctum, sed mortuo similem, ego eum post secundum, quartum, vel quintum diem potuisse resurgere oppono. Non: *In triduo excitabo illud.* Tres dies tres personas designabant; ab his ergo Christus omne nostrum bonum, resurrectionem à morte peccati ad vitam gratiæ, emersionem ab afflictionibus ad statum gloriosum dependere ostendere voluit. Conceptus est sancti Ephrem Siri. *Poterant in momento, in ictu oculi, omnia fieri, sed ob mysterium Trinitatis intra triduum hostem gratiæ ligavit, non quod impotens esset citra eos (nimirum tres dies) agere, quæ oportebat, sed ut mysterium ostenderetur divinitatis: propterea, & in tribus mors destructa est, & draco deturbatus est, & peccatum deletum. Intra triduum, cœlum, & terra, & mare constituta sunt ut etiam in eo Trinitatis demonstraretur mysterium, & triduanæ resurrectionis, & propitiationis humanæ fructus, commodum.*

Ioan. c.2.

Ephrem, lib. de pœnitent.

21. Non sunt adeo tenebræ infensæ luci, quantum Dœmon hunc numerum ternarium sanctissimæ Trinitatis symbolum aversatur. Hic animum illi tollit, elationem ejus deprimit, vires debilitat ne offendere possit. In obstinatum Pharaonem, ut populum Israëliticum libertati restitueret Deus per Moysen, & Aaronem varia supplicia derivavit. Horum primum fuit, dum *percussit aquam fluminis, quæ versa est in sanguinem.* Sic ut Ægyptios sitis necaret. *Et non poterant Ægyptii bibere aquam fluminis.* Magi Pharaonis, ut hanc transformationem non fieri virtute divinâ, sed fuisse naturalem ostenderent suis incantationibus, & arte Dœmoniacâ idem præstarunt. *Fecerunt similiter malefici Ægyptiorum incantationibus suis.* Deus è virga Aaronis secundam pœnam prodire voluit. *Et intendit Aaron manum suam super aquas Ægypti, & ascenderunt ranæ,* tam ubertim ut terram operirent. Sed ne Pharao libertatem populo daret magi ut virtute humanâ hæc patrata ostenderent rursus simile fecerunt; *Fecerunt autem, & malefici per incarnationes suas similiter.* Dei jussu Aaron ad tertiam plagam Siniphum pergit, virga pulverem terræ percutit, & illico exercitus comparent, qui sibulantes tubis Ægyptios ad certamen allicere videbantur, & dein hastis unguium acerbè eos lancinabant. Hic Ægypti magis cecidit animus, nec incantationibus suis è terra Cinifes producere iis fuit possibile. *Feceruntque similiter malefici incantationibus suis, ut educerent Sciniphes, & non potuerunt.*

Exod. 4.7.

Exod. c.7.

Hic scire velim, si magi ope diabolicâ, vel potius diabolus, aquam in sanguinem convertit, & applicanda activa passivis ex putri materiâ ranas produxit; cur non potest generare Sciniphes animalia multo majora? Præterea Moyses, & Aaron non prodigia puniendis Ægyptiis patrarunt, utpote generando musas, occidendo animalia, producendo pulverem qui lapsus super carnes hominum eas ulcerabat, tonitrua, grandinem, fulgura, ignes, locustas, tenebras proferendo, nec tamen magos suis incantationibus hæc attentasse legimus. Cur ergo non dicitur, *Fecerunt similiter*? sed potius, *non potuerunt.* Quis vires diabolo ademit? Strabo Sciniphes fuisse tertium prodigium, quod plectendo Pharaoni Aaron

patravit respondet. Hic numerus diabolo potentiam tulit, per hunc incantationes magicæ malignâ suâ virtute destitutæ sunt. *Notandum quia tertio signo victi sunt magi, quia omnis perfidia, & mundana sapientia, vel Philosophia fide Trinitatis vincitur.* Et quis Christianum devotum sanctissimæ Trinitati, eamque suo cordi insculptam gerentem damnare audeat? Incantationes, maleficia, præstigiæ maleficorum ei nocere non poterunt, imò ipsi dœmones robur perdent, & confusi remanebunt. *Omnis perfidia vincitur fide Trinitatis.*

Strabo apud Io. Hage in Exod c 8. v.19.n. 97.

22. Incredibile quid edicam. Hebræi fidei Christianæ hostes, & huic sacrosancto mysterio fidem negantes ad minus bis qualibet die verba illa Deuteronomii: *Deus, Deus noster, Deus unus est* In quibus hoc arcanum divinissimum Trinitatis personarum, & unitatis essentiæ contineri diximus proferunt. Et dum quolibet mane reverentiâ summâ illa proferunt illo die nil sinistri iis obventurum, ab omni malo se fore liberos æstimant. Id relatione Adriani Fini habemus. *Tenetur singulis diebus saltem bis hujusmodi sex dictiones ore quilibet Iudæorum explicare, & proferre in cujus rectâ mentis, vocisque prolatione beatitudinem consistere volunt. Unde singulis diebus, suis quibuscunque matutinis laudibus dicunt. Beati nos, qui quotidie, mane, & vespere bis surgimus dicentes. Deus Deus noster, Deus unus est.* Si ergo Hebræi virtute mysterii ab iis non crediti, sed & irrisi se tutos credunt, quanto magis Christianus se salvum, & liberum qui illud credit, reveretur, & adorat censere potest.

Deut 6. apud Hebreos in l. Barachos C. Mesmessoi.

Hadrianus Fin. in flagel in Iud lib. 8. c.8 fol. 431.col.1

26. Patriarcha Jacob, dum filios iis bene precaturus coram se sisti jussit morti vicinus erat. Josepho benedicturus prius adversitate? & infortunia ab eo tolerata veluti persecutionem à fratribus, venditionem Israëlitis, accusationem ab illa fœmina, carcerem Ægypti ei in memoriam revocavit. *Sedit in forti arcus ejus, & dissoluta sunt vincula brachiorum, & manus illius per manus potentis Iacob* Et quod sanctus senex his verbis calamitates recensitas intelligat Pererius, & Abulensis testantur. Sed hic observandum pro verbo (*potentis*) in Hebræo haberi *Abbir*, quod unum est ex nominibus Dei, in quo tres litteræ concurrunt. *Aleph, Hech, Resch,* quæ litteræ sunt primæ in nominibus sanctissimæ Trinitatis, *Ab, Ben, Ruah,* hoc est Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. Jacob ergo filium suum Joseph liberatum *per manum potentis* hoc est Dei Trini, & unius affirmat. *Sed quâ de causâ cum agitur de libertate sancti innocentis interponitur nomen Trinitatem denotans? quid dicam nescio, nisi quod in tanta æstimatione ut justus oppressus contumeliis, & afflictus, quod sanctissima Trinitas in eo liberando laboret.* Et quomodo Christiani si fuerint ei devoti ab omnibus miseriis, carceribus, per *manus potentis* id est *sanctissima Trinitatis* eripientur.

Gen c. 49. Pererius Prophet. 10 de Ioseph. in Benedic. Patriarch. fol 85 n 160. Abulens. c. 49 in Gen q.5 fol. 746 col. 2 lit. K Io. Hage in cap 39. Gen. n. 298. to. 8.

24. Hinc dixit Christus. *In ore duorum, vel trium stat omne verbum.* Quod sic explicat S. P. Augustinus: si duo contra te testes falsi stent, tunc *In ore trium stat omne verbum* Hoc est in tribus divinis personis defenderis. Hoc castæ, & innocenti Susannæ à duobis falsis testibus accusatæ contigit, *stetit verbum in ore trium*; tres divinæ personæ per Danielem eam defensando officium Advocati egerunt. *Per hoc* ait Divus P. Augustinus, *mysterium Trinitatis commendatum est; vis habere bonam causam? habeto duos, vel tres testes, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum Denique quando Susanna casta fœmina, fidelisque conjux duobus falsis testibus urgebatur, Trinitas illi occultè suffragabatur, illa Trinitas de occulto unum testem Danielem excitavit, & duos convicit.*

Daniel c.13.

S. Aug. [illegible] 36 in Io. cap. 8.

25. Tres illi pueri dum adorationem statuæ negarunt flammis illius fornacis à Rege Babyloniæ injecti sunt; sed ignis pro eo, quod eos ambureret, ventuli suavis eos refrigerantis vices subivit, & iis Angelus se junxit. *Et excussit flammam ignis de fornace, & fecit medium fornacis, quasi ventum roris flantem, & non tetigit eos omnino ignis, neque contristavit, nec quicquam molestiæ attulit.* Divus Zeno causam assignat, quod fuerit tres, & Beatissimam Trinitatem repræsentarint. *Sacramēto Trinitatis, tā potentis elementi subacta natura est; qui putabantur in-*

Dan. c. 3

D. Zeno ser 4. de tribus, Pueris. *condio extingui, emicant beatiores incensi.* Cujusdam Reguli filius invalitudine laborabat, & à medicis desperatus proclamabatur. *Incipiebat mori.* Pater Salvatorem adit, rogans, ut priusquam filius vitâ fungatur ad domum suam se comitetur, filioque sanitatem reddere dignetur. *Io. c. 4.* *Descende priusquam moriatur filius meus.* Christus ejus fidem cernens abeat, jam gratiam concessam, ait, *vade, filius tuus vivit.* Consolatus abit, servis fit obvius qui felix illi nuncium referunt jam filium bene valere. Quærit, *in qua hora melius habuerit;* *Henric apud Alcui. dom. 22. post Pent. fol. 270.* Respondent; *Heri hora septima reliquit eum febris. Non est vacuum à magno mysterio, quod filium Reguli Evangelista narret septima hora ab infirmitate dimissum* ait Henricus. Numerus septenarius ex quaternario, qui significat quatuor elementa, & ternario, qui trium personarum est symbolum conflatur. *Idem inferius.* *Est enim compositus ex ternario, & quaternario; habet namque in ternario significationem sanctæ Trinitatis.* Servator quam proficua devotio, vel invocatio sanctissimæ Trinitatis sit docere voluit. *Idem inferius.* *Bene ergo septima horæ filius Reguli sanatus est, quia tunc perfectam sanitatem totus homo consequitur, cum creatura creatorem suum agnoverit, eique se dignâ humilitate, ac servitute subdiderit.*

27. Ita perhibente Pelbarto quidam se servum sanctissimæ Trinitatis declarans manibus diaboli se surripuit. *Pelbart. ser. 4. de Trin.* *Ego sum servus sanctissimæ Trinitatis, & dœmones fugierunt.* Ac Divus Joannes Damascenus pestem Constantinopolim depopulantem à juvene quondam dum *D. Damasc. lib. 4.* hæc verba ab Angelo edocta tres personas designantia, *Sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus immortalis miserere nobis* illico dispulisse commemorat. Et quia hoc mysterium ineffabile ab intellectu capi non potest, voluntate illud adoremus, corde illud adoremus, & cum benedictione Patris, Filii, & Spiritus Sancti abitote.



DOMI-

DOMINICA INFRA OCTAVAM
CORPORIS CHRISTI.

Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocavit multos. Luc. cap. 14.

ARGUMENTUM.

Ostenditur excellentia Eucharistiæ, eaque beatitudini comparatur, imo suo modo præfertur.

I. ANtiqui, ut investigarent in quonam humana beatitudo sedem suam collocarit quot labores non adhibuerunt? Beatitudo *est proportionata humanæ naturæ, & ad quam homo per sua naturalia pervenire potest.* Unde si multi à proprio genio ducti ad illa objecta ducti sint, quæ nil præter beatitudinis umbram & speciem præ se ferunt, nil miri. Ille sapiens, eum qui à negotiis mundi liber, & eximius curis inquietantibus tranquillitatem mentis, & quietem cordis perturbantibus degit beatum pronunciat.

Ægid. Lusitan. lib. 3 de beatitud. qu. 1. art. 2. Vide apud Arist. in Eth. l. 1. c. 2. fol. 5. col. 1.

Beatus ille, qui procul negotiis
Paterna rura bobus exercet suis.
Solutus omni fœnore;
Neque excitatur classicos miles truci.
Neque horret iratum mare.
Forumque vitat, & superba civium.
Potentiorum limina.

Horatius Ode 2. Epod.

Huic opinioni adhæsisse Simonem Nicæum Laertius affirmat: *Gaudebat hortorum secessibus, & solitudine.* Thaletes in studio Astrologico, & contemplatione siderum se beatum credebat. Divus Thomas Villa Novanus Piramidem beatitudinis super Obeliscum, virtutum erexit *Et si qua vita hujus beatitudo est, non in divitiis, non in deliciis, non in honoribus, sed in virtute, & sanctitate consistit.* Epilogum suarum felicitatum Lia filia Labani fœcunditatem censuit. *Hoc pro beatitudine mea, beatam me quippe, dicent mulieres:* Ecclesiasticus in fideli amico eam sitam asseruit. *Beatus, qui invenit amicum verum.* Salomon in sapientia: *Beatus homo, qui invenit sapientiam.* David in integritate vitæ eam constituit. *Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit;* quæ sic interpretatur Bellarminus: *Qui declinat à malo, & facit bonum illum esse beatum.* Aliis teste Divo Ambrosio beatitudo in flumine, & copia divitiarum consistit: *Hoc malum jam dudum humanis influxit mentibus, ut pecunia honori sit, & animi hominum divitiarum amore capiantur, & beatum quoque faciant vulgi opinione pecuniarum divites.* Sed si hi auditâ invitatione servi Evangelici mysticæ cœnæ animabus fidelium à Christo præparatæ interesse dignati fuissent. *Homo quidam fecit cœnam magnam, & misit servum suum hora cœna dicere invitatis ut venirent.* Quintam essentiam veræ felicitatis, & æternæ beatitudinis, quâ beati cælicolæ fruuntur ibidem reperissent. Hinc si ego à largitore omnium bonorum fuissem vel invitatus ad mensam cælestem in qua Deus beatis communicat gloriam: *Ego dispono vobis regnum, sicut disposuit mihi Pater, ut edatis, & bibatis ad mensam in Regno meo,* vel ad hanc sacrosanctæ Eucharistiæ ubi sub speciebus panis pretiosum corpus Salvatoris dispensatur vocatus: *Accipite, & comedite. Hoc est corpus meum.* Potius pauperibus, debilibus, cæcis,

Laert. Andreas Alciat. emblem. 113. B. Thom. à Vill. de D. Nic.

Pont fol. 546. Eccl. cap. 25. Proverb. cap. 3. Psalm. 1. Ambr. lib. 2. de off. c. 31. D. Luca cap 14. D. Lucas cap. 2. 1 Cor. cap. 11.

cæcis, claudis me jungens hanc adirem. *Pauperes, debiles, cæcos, & claudos introduc huc.* Nam esto forem viator, non minus comprehensoribus me beatum censerem. *Qui manducat carnem Filii hominis, & bibit ejus sanguinem, futuræ felicitatis partem hic fruitionemque accipit*, Olimpiodorus, & diva Catharina Senensis me animat: *Totam divinam essentiam in hoc Venerabili Sacramento recipitis sub albedine panis illius.* Ergo ô mensam cælestem! ô cœnam paradisi! ô æternam beatitudinem. Hoc discursus materia erit.

Olimpiodorus in c. 5. Ecc. 5. Cathar. Senens. Tract. 3. cap. 110.

PARS PRIMA.

Homo quidam fecit cœnam magnam, &c.

2. DIvus Ambrosius postquam essentiam, & quidditatem hujus cœnæ investigasset, tandem eam esse definitionem illius vitæ æternæ, quâ beati paradisi præmiantur concludit. *Hic est cibus, in quo vita definitur æterna.* Sciunt Logici, quod *definitio explicat naturam definiti. Convertitur cum definito, & nihil continetur in definito, quod non contineatur in definitione. Cum Eucharistia, & beatitudo sunt Synonima, & dicuntur ad convertentiam, velut animal rationale, & homo.* Si magno Doctori Ecclesiæ fidem præstemus: *Hæc omnia ad Eucharistiam referri possunt, hæc enim optimè exponit naturam beatitudinis, & convertitur cum ipsa beatitudine.* Qui cibo hujus cœnæ Eucharisticæ fruitur easdem sentit consolationes, quas comprehensores paradisi participant, nec aliquid possident beati, quo non fideles potiantur. Et si in mensa cælesti omnia bona imaginabilia contineantur, quia *beatitudo est status omnium bonorum aggregatione perfectus.* In cœna etiam Eucharistica velut in compendio omnes delicias desiderabiles gustamus. *Parata sunt omnia: non ait, parati sunt cibi convivii parata sunt epula, sed parata sunt omnia, nimirum, quia Deus in hac cœna exhibetur nobis is, qui omnia est; quid autem in hac cœna est, quod non sit exhibitum nobis? habet Deus in se esse infinitum, & essentiam infinitam, tres divinas personas, & attributa divina, habet insuper Christus corpus, & animam, & merita valoris infiniti, quid quæso, horum nobis in hoc sacramento non datur? donatur nobis Deus trinus & unus, & Christus Dominus.*

Ambr. c. 9 de Paradiso Paul. Venetus in Logic. S. Ambr. ubi sup. Ioan. Pineda in Eccl. c. 15. Etho. 423. Boetius Arist. 7. Polit. c. 7.

3. A sponsa cælesti, quæ ad utramque invitari digna fuit veritatem rei eruamus. *Duo ubera tua sicut duo hinnuli gemelli capreæ.* Si falsum illud numen à cæca gentilitate adoratum uberibus plenum erat (quod ideo irridet divus Pater Augustinus) cur noster verus Deus duo tantum ubera habeat? ego à vero me errare non putem si dixero, cum duos tantum gemellos habeat, beatum scilicet in cælo, & viatorem in terra, ei duo ubera sufficere quorum uno lacte gloriæ nutriat beatos, altero in hoc sanctissimo sacramento fideles sustentet Ad minus utrumque lac essentialiter differre, nec hos potius quam illos majori dulcedine potiri censeo. *Duo sunt gemelli alter in requie, alter in labore, uno ubere Deus lactat illos gloria, alterâ istos Eucharistiâ; quocirca eodem ipso lacte, quo cæli cives aluntur in patria, enutriuntur etiam qui vivunt in exilio.* Audite conclusionem. *Neque majus illis exhibetur in cælo, quam istis conferatur in terra.*

Cant. c. 7. & c. 4. Aug. lib. 4. de Civit. Dei. Benedict. Fid. in Ps. 22.

4. Et si aliqua disparitas, aut inæqualitas inter hanc cœnam Evangelicam, & mensam illam cælestem intercedit, illa in hoc, quod mensa Eucharistica in aliqua excellentia gloriari possit, de qua non queat illa, consistit. Doctor Angelicus de utraque loquens ait: *Et futuræ gloriæ nobis pignus datur.* Et Valentinus Archipræsul idem repetens ait: *Hoc sacramentum est pignus æternæ hæreditatis.* Quid propriè significat *Pignus*? Salonius respondet. *Pignus est contractus, in quo res aliqua mobilis creditori obligatur, & traditur in securitatem debiti, ut inde illi satisfiat, nisi aliter fuerit satisfactum.* Noster pius, ac liberalissimus Deus nobis quidem gloriam laborum nostrorum mercedem largiri vellet, sed quamdiu carne mortali cingimur, hoc est impossibile. *Non videbit me homo, & vivet.* Ergo cum hoc fieri nequeat dicit pro gloria pignus Eucharistiæ capite. *Et futuræ gloriæ nobis pignus datur.* Sed quis pignus esse pretiosius re, quæ

D. Thom. B. Thom. à vill. conc. 3 corporis Christi. Michael Solon. de contr. pign. fol. 1971. colon. 1. Exod. c. 33

C. de jure do. impel. §. fin autem.

Ioan. de Cartag. Tom. 1. lib. 9. hom. 5.

quæ oppigneratur ignorat? *Plus semper debet valere pignus, quam debitum. Vnde dicitur quod residuum debet reddere creditor debitori, quanto plus pignore vendidit.* Et ex hoc impossibile Doctor Angelicus pretiosiorem esse Eucharistiam beatitudine cælesti inferre voluit. *Omnibus manifestum est rem, quam pignoramus, majoris esse oportere pretii, quam id pro quo illa pignoratur. Vnde cum hoc sacramentum sit pignus futuræ beatitudinis, necessarium est dicamus, quod Christus nobis dat in hoc cæli cibo plus valere, quam beatificam visionem, in qua formaliter vita beata consistit.* Ergo jure potiori, nos beatis fortunatiores censeri possumus.

5. Illis Deus divitiæ suæ gloriæ, sed limitè, & juxta illorum capacitatem, & mensuram meritorum partitur; sed nobis dispensando sanctissimum Sacramentum velut pretiosiorem thesaurum, quem possidet, non adhibet mensuram, sed absque aliqua limitatione profusissimè illum confert; divus Lucas modum, quo in cælo Deus gloriâ beatos ditat tradens ait: *Præcinget se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis.* Quem locum sic explanat divus Thomas Villanovanus. *Dulcissimos singulis cibos pro merito cujusque manu suâ propinat. Pro merito cujusque?* en correlationem, & mensuram, quot sunt gradus meriti, tot gradus gloriæ dantur. Et qui plura habet merita, ille majori beatitudine, & gloriâ donatur. Et Theophylactus: *Præcinget se in eo, quod non totam ubertatem bonorum largitur, sed hanc cohibet secundum certam mensuram.* Accedit Gregorius Magnus. *Pro meritorum ratione solvet præmia.* Hinc qualiter humana ta sapientia, dum instituit hoc sanctissimum sacramentum observate. *Hic est enim sanguis meus novi testamenti.* Et apud divum Lucam magis ad propositum: *Hic est calix novi testamenti in sanguine meo.* Quid sanctissimo cum testamento? quænam inter illa proportio? primò, divus Anselmus respondet: *Dicitur testamentum in sanguine ejus, quia munit, & defendit nos adversus calumniam hostis antiqui, ne cælestem nobis hæreditatem possit auferre, sicut litteræ illæ, quæ vocantur testamentum, hæreditatem muniunt adversus calumniatorem, ne tollat ei hæreditatem.* Ego nihilosecius intentionem Christi hanc esse putem, quod sicut in testamento omnes opes, & omnia bona testatoris continentur, & omnia nullo dempto testator hæredibus linquit, sic linquendo testamentum Eucharistiæ absque limitatione nos institui hæredes ejus thesaurorum declarare voluit. *Eucharistia, est Christi testamentum, quia nihil aliud habet Deus, quod testamento donet, quam id, quod in Eucharistia continetur. In hoc sacramento sunt omnes Christi divitiæ, hoc ejus crumenam, & facultates exhaurit: non habet si hoc demas, quod testamento donet.* Quod sanctus Pater Augustinus: *Deus cum sit omnipotens, plus dare non potuit: cum sit sapientissimus plus dare nescivit; cum sit ditissimus plus dare non habuit.*

S. Lucas cap. 9.

B. Thom. Valent. conc. 2. de D. Ildephons. fol. 512. co. 1.

Theoph. in cate.

D. Greg.

D. Marc. cap. 14.

D. Luc. cap. 22.

Ansel. in cap. 22.

D. Luc.

Ioan. Pineda in Eccl. Tom. 1. Etho. 446. n. 9.

P. Augin. Tract. 84. in Ioan.

6. Sponsa de beatitudine sub metaphora vini, & de Eucharistia sub figura lactis verba faciens ait: *Meliora sunt ubera tua vino.* Quænam est hæc comparatio lactis, & vino? lacte aluntur infantes, vino potantur adulti: *Lacte reficitur sponsa, vino inflammatur.* Sunt verba Valentinorum Archiepiscopi. Ego beatos in mensa cælesti bibere vinum gloriæ, sed sine merito, nos verò in hac cœna gustare lac Eucharistiæ sed cum merito respondere possem, & ideo: *Meliora sunt ubera tua videre.* Videre Deum, & excitari ad ejus amorem res non est magna, quia omnis ratio boni ibi proponitur; sed sub accidentibus panis eum credere, & non visum amare hoc majus est. Magnus amor Rebeccæ erga Isaacum, qui ejus sponsus futurus erat ex hoc quod non visum dilexerit, & amarit, & is ab Eliezero dum à longe monstraretur: *Ipse est Dominus meus:* illa ne eum videret velario vultum contegerit deducitur. *At illa tollens cito pallium, operuit se:* Perinde, ac diceret: ô mi sponse amorem meum ex hoc collige, quod ad tui necdum visi amorem movear. Idem fideli qui Deum amat, & illi animæ, quæ velut sponsum illum adorat, contin-

Cant. c. 1.

D. Thom. à Vill. in c. 1. Cant.

Gen. cap. 24.

contingit. *Meliora sunt ubera tua vino.* Illum, qui in christallino vitro videt salire, susurrare ac instar Rubini rubescere vinum nil miri ad ejus potationem, & amorem moveri; sed infans esto niveum candorem lactis non videat, tamen ex uberibus, quæ Genitrix amorosa ejus labris porrigit illud sugit. Hoc intendisse sponsam nempe nobis viatoribus esse dulcius lac sanctissimi Sacramenti, quam beatis vinum gloriæ credo? *Fidei divinæ tanquam uberibus adhærentes, & labia figentes, suavitatem corporis, & sanguinis credimus, & sumimus gaudentes,* quis non dicat ergo cum sponsa Christi, Christo: *Meliora sunt ubera tua vino?* & si Christus Servator noster non illos, qui videndo crediderunt, sed qui non visâ ejus sacratissimâ humanitate, & ejus miraculis ab ea patratis fidem adhibuerunt antonomasticè esse beatos dicendos pronuntiavit: *Beati, qui non viderunt, & crediderunt.* Eccur, & de nobis fidelibus hoc non verius etiam, quam de beatis, dum illi amant Deum, quia eum vident, nos verò sine visione credamus, & amemus dici possit? *Feliciores nos sumus, habentes in sacramento Christum, & illum verè manducando, quam alii videndo.*

Franc. Lab. Tom. 2. verbo Euc fol. 335. col. 2
D. Ioan. cap. 1.
Idem ibid. fol 336.
Colon. 1.

7. Imò nostra beatitudo in tantum excedit illam comprehensorum, ut Angeli si possibile foret hanc nobis solummodo inviderent. Divus Lucas filium prodigum postquam miserias, in quas à levitatibus suis conjectus fuerat perspexisset, erratis agnitis ad domum paternam rediisse, & Patri adgenicatum submisissimè, ac dolenter veniam rogasse recenset. Pater ergo clementissimè eum admisit, servis jubet novis vestibus eum amiciant, digitos anulo ornant, & calceos parent: *Citò proferte stolam primam, & inducite illum, date annulum in manu ejus, & calceamenta in pedibus ejus.* Et dein odariis lætitiam testari, & convivium instrui mandat: *Adducite vitulum saginatum, & occidite, & manducemus, & epulemur.* Omnia hæc executioni data sunt. Natu major de foris veniens, ut domum appulit, ac festiva gaudia percepit, hac novitate in stuporem actus servos vocat, & tanti festi causam indagans audit: *Frater tuus venit, & occidit pater tuus vitulum saginatum.* Hic vos attentos causam hujus natu majoris excipere auditores volo. *Indignatus est, & nolebat introire;* & velut explicat Divus Petrus Chrysologus: *Livor non patitur introire.* Tanta invidia cor ejus adfecit, ut gressus retrahens pedem domui patris inferre noluerit. Sed unde hæc invidia orta? Abbas Absolon respondet: *Dum filius ille senior foris stans audit symphoniam, & chorum, id est, spiritalem lætitiam Ecclesiæ in scripturis repromissam, quam non intelligens, intrare contemnit.* Sed ipsemet causam tantæ invidiæ prodens ait: *Nunquam mandatum tuum præterivi, & nunquam dedisti mihi hædum, ut cum amicis meis epularer.*

D. Lucæ cap. 15.
D. Petr. Chrysol. serm. 4.
Absolon Abbas serm. in festiv. Pent.

8. Hic quid servator per hos duos filios, & quid per convivium paratum parabolicè designarit necessariò observandum est. Ab Eusebio Gallicano, Ambrosio, Isidoro Hispalensi, ac aliis, per hos duos filios duas nationes, Hebræam, & Gentilem intelligi non nescio. Sed Divus Pater Augustinus, Chrysostomus à Christo, per natu majorem Angelum, qui semper in gratia mansit. *Numquam mandatum tuum præterivi:* per natu minorem verò hominem, qui peccato substantiam bonorum spiritualium prodegit; *dissipavit substantiam suam vivendo* luxuriosè intelligi autumant. Mensa, cui infertur agnellus mensam Eucharisticam cœnæ Evangelicæ, exhibet. Sic Chrysostomus: *Quem vitulum nominat propter hostiam immaculatam.* Glossa ordinaria: *Adducite vitulum saginatum, id est, Eucharistiæ sacramentum Christum continens immolatum.* Eusebius Emissenus. *Hic vitulus saginatus Christus est, omni virtute, & gratiâ plenus, de Patriarcharum & Prophetarum armento sumptus, qui toties occiditur, & à fidelibus comeditur, quoties in hoc Altaris sacramento immolatur.* Hoc sapientia humanata Angelum, si capax foret invidiæ hanc cœnam nobis invisurum docere voluit; sed si Angeli in gloria cælesti mensa reficiantur quid causæ habent ut homini hanc cœnam invideant? sapiens ignoranti, sanus infirmo, dives inopi non invidet. *Invidia vero fatur circa aquale, vel circa majus bonum.* Ergone ab Angelis cœnam Eucharisticam beatitudini præferri necessariò dicendum est. Hic authentica auctoritas Pontificis requiritur. Audite Urbanum: *Si quid in rebus humanis, quod nobis superni cives, si in eos invidia caderet, invidere possent: id verè est sacro-*

Euseb. Gallic.
Ambr l. 3 In Luc.
Isidor. lib. alleg.
D. Aug.
Chrys.
Hier ad Damas.
Chrysost.
Glossa ordin.
Euseb. Emissen. homil. 19.
D. Luca.
Urban. Pont VIII.

sancta

In Bulla missæ.

sanctæ missæ sacrificium cujus beneficio fit, ut homines quadam anticipatione possideant in terris cælum, dum ante oculos habent, & manibus contrectant ipsum cæli, terræque conditorem.

9. Majori evidentiâ historia sacra hanc veritatem, quam ego parabolarum ope declarare conor ostendit. Angelus sanctum Petrum è carcere liberat, & ut eum in tuto locet per multos passus usque ad plateam eum comitatur. *Processerunt vicum unum*, & ibi Angelus discedens eum deserit. *Et continuo discessit Angelus ab eo.* Sed cur usque ad finem plateæ eum non comitatur? an forsan Angelus est lassus? an forsan in tuto Petrus? N. quia Apostolus est solus, nos eum gressibus meditationis à longe sequamur, & in quâ domo asilum quærat observemus. *Venit ad domum MARIÆ Matris Ioannis, qui cognominatus est Marcus.* Nicephorus, Callistus, divi Ambrosius, & Hieronymus in illa domo Christum cœnasse, & instituisse sacramentum hoc, illudque postea discipulis distribuisse his verbis: *Accipite, & comedite, hoc est corpus meum*, affirmant. Angelus Petrum ad illam domum se conferre subodorabatur. Ergo secum discurrere videbatur est impossibile quod illuc te comiter, illam mensam in qua maxima tibi, & consodalibus tuis gratia præstita, dum te sacratissimo corpore sub speciebus panis pavit, si intravero, & illam mensam videro, forsan sibi illam (posito quod invidiæ capax sim) inviderem. Abeo ergo à te? *Et continuo discessit Angelus ab eo.* Verba Chrysostomi hic repetere possem: *Livor non patitur introire.* Et applicare doctrinam Carthagenæ. *Existentibus novem Angelorum choris, quorum infimus hominum ordine præstantior est. Nemo illorum hujus divini convivii epulis accubat præter hominem. Unde merito dicere potest, & verè tanto convivio admissus beneficium tam singulare recognoscens nullum alium vocavit ad convivium præter me.*

Act. Apost. cap 12

Niceph. Calist. Ambros. Hieron. vide Lorinum in Act Apost cap. 1. v. 13. & c. 11.

S Petrus Chrysol. serm. 4.

10. Angelos se non censere perfectè beatos, nisi aliquo modo hujus cœnæ participes fuissent, si pietas non obstaret dicerem. Quo fundamento, aut quâ ratione sancta Ecclesia huic sanctissimo attribuat illud Eulogium, quod vates Regius dedit mannæ ignoro. *Panem*, inquit, *Angelorum manducavit homo.* Quid Angeli agant cum hoc manna? respondet Cardinalis Bellarminus: *Quia opera, & ministerio Angelorum fiebat.* Et Remigius Antisiodorensis; *Panem Angelorum ideo dicit, quoniam panis ille quem comedebant, significabat panem illum, verbum videlicet patris, unde reficiuntur.* Ego idcirco inter Angelum, & hominem, dum quilibet illud prætenderet sanctam nascituram fore litem crediderim: Hic panis est cælestis arguit Angelus, quomodo ergo tu ô homo, qui es terreus jus tibi in illum vindicas? opus est gratiæ, non naturæ, ergo est cibus noster. Sed quid opponit homo? hic panis est corporeus, tu es spiritualis, est in terra, & non in cælo, institutus est homini, non Angelo; *Quomodo igitur*, ait sanctus Thomas Villanovanus, *verum est, panem Angelorum manducavit homo? nunquid roscidum illum cibum in cælo Angeli manducant, aut hujusmodi Spiritus cælestes indigent alimento.* Ego mihi imaginor Deum ut partes componeret, & Angelo aliqualiter satisfieret nomen solum permisisse, ut illi attribueretur. *Panem Angelorum, & non hominum*, & homo reipsa ejus substantia vesceretur: *Manducavit homo & non Angelus.* Nunc Angele apage, & solo nomine te donatum jactat, quia homo dignus redditus hoc pane sacrosancto vesci multò felicior dici potest. Conceptus hic fundatus est in doctrina Patriarchæ Venetorum Laurentii Justiniani. *Christus Dominus Angelorum, dictus est panis, non quod illum sacramentaliter comedunt, sed spiritualiter: at verò homo, qui per fidem ambulat, toties Angelorum manducat panem, quoties corporis & sanguinis Christi percipit sacramenta.*

Psal. 106.

Thom. à Vill. conc. 1 in die corporis Christi. fol. 240. col. 2.

Laur. Iustin. serm. de Euchar.

11. Deus: *Quantum est de se, & voluntate antecedenti*, neminem cælo excludere vult. *Vult omnes homines salvos fieri, venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* Hinc Jansenius: *Omnes vocat cujuscunque conditionis, aut gentis, significans se sine personarum discrimine paratum quosvis suscipere, sive Iudæos, sive Gentiles. Quod autem veniant, blandâ promissione invitat dicens; & ego reficiam vos.* Et hæc sacra cœna omnibus a Christo instituta est, & cunctos vult ad eam invitari. *Exi cito in pla-*

1 Tim. c. 2. S Matth. cap. 11. Iansenio comm. in concord. Evang. cap. 47. fol. 214. col. 2 lit. B.

in plateas, & vicos civitatis, & pauperes, ac debiles, & cæcos, & claudos &c. ut Christus demonstret ait meus concivis, quod *omnibus se exhibuit ad salutem, & nemini desperationem minatur, qui ejus non renuerit benignitatem.* Quare, quod elegerit panem pro materia hujus sacramenti credis? cur non potius lac, manna, mel, quæ sunt delicatiora pane selegit? id non sine mysterio factum est. Lac cibus tantum est infantium, manna infirmorum, mel omnibus non placet, sed panis cuique placet, ergo non habuit causam cum negligendi. Opinio est divi Thomæ. *Sumunt boni, sumunt mali, sumit unus, sumunt mille, quantum isti, tantum ille; manducat Dominum pauper, servus, & humilis.* Et sicut teste Rodigino in mensa solis *cuilibet licebat ad vescendum accedere.* Et si credimus Alexandro; *Spartanis communia erant convivia. Pauperes cum divitibus eodem vescebantur obsonio.* Filius etiam Dei sub speciebus panis corpus suum in hac cœna dare voluit, ut omnes eo vesci possent. *Inter alios panes, communiter homines utuntur pane triticeo, ideo Christus creditur in hujus panis specie hoc sacramentum instituisse.*

D. Thom. in solemn. corporis Christi.

Cælius Rodigin. lib. 16. cap. 4.

D. Thom. 1. part qu 74. cap. 4.

12. Gente Hebræâ sub jugo Pharaonis gemente Deus Moysi, & Aaroni loquens: decimo die mensis solemnissimo ritu comederent agnum præcepit. *Loquimini ad universum cætum filiorum Israel, & dicite, tollat unusquisque agnum per familias, & domos suas.* Ab hac cæremonia nemo exemptus erat. *Loquimini ad universum cætum, & tollat unusquisque*: Demonstrare voluit à cœna Evangelica neminem excludi. Observatio est sancti Eligii. *Notandum sanè, quod dicitur, tollat unusquisque agnum, dum dicitur unusquisque, neminem vestrum ab hac mystica cœnæ festivitate vult exceptum haberi, sed omnes nos eandem summa cum devotione celebrare, simus ergo nos omnes parati, ut decet ad esum tanti agni.* Et ne quisquam excusationem absentiæ posset prætexere, nec tempus, nec locum, nec personam, nec quantitatem, nec modum limitare voluit. Non tempus, quia omni hora, & tempore prout vult sacerdos, & occasio, illud confici, & administrari potest. Non locum, quia in omni Ecclesia, Altari; non personam; quia sive sit sacerdos bonus, sive malus, sive fidelis, sive infidelis. Nec quantitatem, sive enim sit una hostia, sive plures, sive centum, sive mille, omnes placent. Nec modus, quia potest elevari, deprimi, frangi, comedi, dari alteri, peccatoribus, justis. *Pauperes, debiles, cæcos, & claudos introduc huc.*

Exod. cap. 12.

D. Elig. hom. 14

13. Quod omnes ritus, & actiones missæ sint mysteriosæ res est certissima, & apud plures scriptores, qui eas explanarunt videre est. Unius, vel alterius causam, & præsertim, cur sacerdos hostiam in tres partes frangat? quæro. Plures responsiones adducere possum, quas brevitatis causa omitto. Sufficiat mihi illa Ludolphi Carthusiani, qui animas fidelium, vel torqueri in purgatorio vel esse viatrices in terra, vel esse beatas in cælo asserit. In tres ergo partes hostia dividatur, ut omnem statum ex sanctissimo sacramento reportare commodum demonstretur. *Propter tres partes Ecclesiæ; nam prima pars notat Sanctos in cælis; secunda salvandos, qui sunt in pœnis, tertia vivos, quos adhuc hac vita sustentat in terris.*

Guil. Duran. Remig. Altis. in Bibl. vet. Pat. 2. p. secul. 9. fol. 540. Ludolph. de Sax. Carthus.

14. Animæ culpâ contaminatæ mensæ cælestis incapaces sunt. *Nullum coinquinatum intrabit in regnum cælorum.* Et carentes sanctitate indignæ hâc cœnâ Eucharisticâ censentur. *Nemo pollutus accedat, longè fiat omnis immundus, alioquin æternum sibi paratum noverit incendium. Qui ergo, vel in animo malitiâ superatur, aut in carne concupiscentia sordidatur, futurum se noverit in perpetuam combustionem, & cibum ignis*, ait Thomas Villanovanus. Nil ergo miri, si invitati excusationem prætexerint dicendo. *Villam emi, juga boum emi quinque, uxorem duxi, non possum venire*, quia puritate requisitâ se carere sciebant, ideo indigni declarati sunt. *Dico autem vobis, quod nemo virorum illorum gustabit cœnam meam.*

B. Thom. à Villa Conc. 1. de Nativ. Dom.

15. Divus Joannes Chrysostomus in

Ecclesia primitiva cum fideles communicaturi erant, Diaconum sacerdoti ministrantem ad medium Ecclesiæ perrexisse, & ad populum conversum altâ voce inclamasse; *Sancta sanctis*, commemorat. Omnes, ut animam habitu sanctitatis vestitam, & floribus virtutum ornatam haberent monere voluit. *Primitiva Ecclesia jubebat diaconum in medium prodire, & inclamare sancta sanctis; id est qui sancti estis, ad sanctam Eucharistiam accedite, qui vero sanctus non est; tanquam prophanus repellatur.*

D. Ioan. Chrysost. hom. 3. in cap. 1. ad Eph.

16. Deus Hebræis mense Aprili agnum manducare jussit. *Decima die mensis hujus tollat unusquisque agnum* Sed cur mense Aprili? mensis iste est floridus, & in illo terra cum cælo quoad ornatum certare videtur. Si illud se ornet stellis micantibus, hæc ornat se floribus odoriferis. Hoc præcepto Hebræis dato Christianos admonere voluit, ut dum hanc cœnam accedunt, & divinum agnellum comesturi sunt, animam tot virtutibus ornatam habeant, quot floribus tellus in mense Aprili frondet. Observatio est Ruperti Abbatis. *Sed, & ipsa mensis Hisam id est Aprilis, verna temperies cum tellus reflorescit, totusque per hyemem, quasi post senium juvenescit orbis, nonne sensatum hominem docet, quatenus revocatus spiritu mentis suæ, fide viridis, spe lætus, & charitate floridus, paschalis agni epulis intersit spiritualibus?*

Exod. cap. 17.

Rupert. Abbas lib. 2. in Ex. cap. 5.

17. Historiam filii prodigi rursus, sed novâ speculatione ponderare aggredior. Hic juvenis patri victu, & vestitu egens se sistit; utrunque ejus mendicicitatem prodebat; sed particulariter fames eum ad talem statum reduxerat, ut pro debilitate durare non posset, & panem oculis rogaret. Pater cum jam necessitas rigidissimâ anatomiâ membra sine ferro excarnificasset eum ossium catastrophen censuit, & oculis paternis fame incomparabiliter magis, quam nuditate confectus exhibebatur. Hæc non tanti eum torquebat, verum illa assiduo eum mortis jurisdictioni destinabat, nuditati ferendæ par erat, sed fames intolerabilis erat; absque vestitu, sed non sine cibo vivere poterat, *Fame pereo.* Hinc Chrysostomus in hunc locum ait: *Inter tanta vulnera, non meminit dolores, non plagas, sed famem.* Et ratio est: *Etenim fames super omnia mala mentem, & animum, & corpus cruciat.* Nihilominus pater ei prius vestitum dat. *Citò proferte stolam primam, & induite illum,* & postea à servis instrui mensam vult. *Adducite vitulum saginatum & occidite, & manducemus, & epulemur.* Lex necessitatis prius majori, postea minori necessitati succurri jubet. Chyrurgus, qui curationem vulneris levis majori, & mortali anteponeret parum expertus judicaretur. Ergo prius cibus, postea vestes, ipsi dandus erat. Hoc successu noster servator modum, quo cœnam Eucharisticam accedere debemus, nempe ut prius vestiamur candidis tegumentis sanctitatis docere voluit. *Nota*, ait Glossa, *quod post datam stolam, annulum, & calceamenta, vitulus immolatur, quia nisi quis primam immortalitatem induerit, nisi annulo fidei opera præmunierit, nisi fidem confitendo prædicaverit, cælestibus non potest interesse sacramentis.*

D. Luc. cap. 15.

D. Chrys. & Ioan. Pinna in Eccles. cap. 15. Etholog. 456. nu. 10.

Glossa Ordin. in cap. 15. D. Luc.

18. Sacer Evangelista Joannes idæam, & ornatus pomposos Jerusalem triumphantis describit: *Vidi civitatem sanctam Ierusalem novam descendentem de cælo à Deo, paratam sicut sponsam ornatam viro suo:* lapides ex imo ad summum usque pretiosi erant, ostia unionibus, viæ, ac plateæ christallinæ, & ex auro purissimo. Si ergo aula, quam Deus incolit adeò gemmis, & unionibus est dives, anima nostra, quâ eum recipimus sub speciebus panis sit vilis, incomposita, & lutea? audite Divum Hieronymum. *Civitas sancta, tota aurea est, muros habet aureos, aureas habet plateas. In hac civitate Christus regnat; Christus non habitat in luto; siste ergo gradum, si auro fulges, accede confidenter, digna es sedes Domini.* Antequam Deum sacramentatum recipias, num tua conscientia sit aurea, vel lutea consideres. Si lutea scias, quod *Christus non habitat in luto.* Si aurea; *Accede confidenter, digna es sedes Domini.* Et Cardinalis Seripandus, hac civitate figurari animam nostram, quæ in sacramento receptura suum Dominum pompose velut sponsa ornata esse debet; sic ut nil profani, nil triti, aut

Apoc. cap. 21.

Hieron. in Psal. 135.

aut terreni in ea deprehendi possit, sed sit tota cælestis, divina, & nova affirmat. *Civitas est illa sancta Ierusalem nova de cælo descendens à Deo parata sicut sponsa ornata viro suo, in qua scilicet nihil profanum, nihil vetus, nihil terrenum, nihil non divinum, nihil denique, quod maximam sponsa adversus virum suum charitatem non testetur.*

Hieron. Seripandus in Epist. ad Galat. qu. 67. fol. 813.

19. Hac cœna deditus voluptatibus carnalibus indignus est; hic potius se accuset, ac dicat: *Vxorem duxi, non possum venire.* Carnes agnelli manducatores dator omnium bonorum renes cingerent jussit. *Renes vestros accingetis.* Quisnam fuit hic ritus extravagans? Chaldæus legit: *Lumbi vestri sint accincti.* Et cur cingendi lumbi? *Quorsum lumbos accinctos esse oportet, cum convivio indulgendum?* Divus Gregorius id dicet: *Lumbos præcingimus, cum carnis luxuriam per continentiam coarctamus.* Ut digni simus sanctissimo sacramento recipiendo castitatem servare, & ab omni immunditia sensuali alieni esse debemus. Beatus Laurentius Justinianus id etiam est exhortatus: *Carnis lumbos castitatis funiculo accingat, seque devotionis affectu componat, virtutum se ornet gemmis, quisque ad sanctum accedit altare divina suscepturus mysteria.* Et divus Algerius, *ut castitate præcincti agnum comedamus.*

Exod c. 12. Chaldæus Ioan Hagein Ex Tom. 1 fol 400. nu. 185. S. Gregor hom. 13. in Evang. B. Laur Iustin. cap. 24. de cã... connub. S. Alger. lib. de sacra alt. cap. 12.

20. Infelix ille, qui indispositus hanc cœnam accedit. Non solum non recipit effectum sacramenti, qui est gratia, sed maximum peccatum, quod excogitari potest patrat. Quodlibet aliud peccatum est coram Deo excusabile, ac meretur veniam, sed non hoc. Tres parabolas mysteriosas sacri Evangelistæ proponunt. Unam sanctus Lucas, nempe illam de villico, qui à Domino suo administrationis rationem redditurus est citatus recenset. *Redde rationem villicationis tuæ.* Nil quo se excusaret reperire posse videbatur. *Quid faciam, quia Dominus meus auferet à me villicationem?* anxius hæret, nec ad quod se resolvat scit. Demum se determinat dicens: *Scio quid faciam, ut cum amotus fuero à villicatione, recipiant me in domos suas:* salubre consilium reperit ad finem, qui malè dispensavit villicationem, *scilicet ut daret pauca, recepturus plura; & reciperetur in domos aliorum, cui propria deficiebant.* Et Eusebius Emissenus ait: *Sciens, quia jam ulterius villicare non posset, fecit sibi amicos, ad quorum auxilium post villicationem confugeret.* Demum hoc medium invenit. Alteram parabolam divus Matthæus de illo servo, qui debitum decem millium talentorum contraxerat narrat. Ad solvendum fuit vocatus: *Redde, quod debes,* sed ille, qui ob paupertatem se impotentem agnoscebat, se submisit, & humeros contrahens ei adgeniculatur, rogans patientiam habeat, & tempus concedat: *Patientiam,* ait, *Alcuinus, habe in me, & omnia reddam tibi. Hoc est per singula peccata, quibus iram merui conscientiam meam emendare studebo:* Et propositum ei utile fuit. *Misertus est Dominus servi illius, & omne debitum dimisit ei.* Et hunc modum reperiit.

Luc. 16. Alcuin. Dom X. post Pent. fol. 219. col. 4. Euseb. Emissen. in Luc. cap. 16. D. Matth. Alcuin in Dom. 18. post Pent. fol. 224. cap. 1.

21. Nuptiis, quas Rex filio suo parat, quidam lacer, ac veste nuptiali carens se ingesserat; & dum Rex quomodo adeo audax esset interrogaret: *Quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem?* hic infelix obmutuit, nec quid allegaret habuit. *Ille autem obmutuit,* & culpæ meritam pœnam luit: *Ligatis manibus, & pedibus projicite eum in tenebras exteriores.* Cuilibet noxæ est sua excusatio. Aliqualiter es culpabilis, & fragilis, dæmon te tentat, & Deus facilis est ad ignoscendum. Sed quod absque veste puritatis ad Altare accedas, Deo interroganti quid allegare poteris: *Quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem? hoc enim illis specialiter videtur dicere, qui ad Christi corporis, & sanguinis sacramentum indignè accedunt:* ait Eusebius. Et noxæ conformis pœna erit: *Ligatis manibus, & pedibus mittite eum in tenebras exteriores.* Hinc divus Gregorius: *Certè tunc ligat pœna, quos modo à bonis operibus ligavit culpa. Qui ergo nunc sponte ligantur in vitio, tunc in supplicio ligabuntur inviti.* Et Origenes: *Sanè hic imparatus ad Eucharisticam cœnam ingressus fuerat, quod crimen tantum est, ut nullo possit prætextu celari, aut imminui:*

D. Matth. cap. 22. Euseb. Emissen. in Dom. 22. post Pent. fol. 168. D. Greg. in cap. 22. S. Matth. Origen. Tract. 10. in 8. Mat.

minui: Reliqua crimina quantumcunque gravia sint, possunt tamen aliquali excusatione contegi. Ast qui ad Eucharistiam imparatus accedit, nescio qua ratione possit crimen depellere. Et pro eo, quod fruiturus sis beatitudine, æternæ damnationis reus pronuntiaberis. Tuo malo id experieris, si non credas. Quiescamus.

ALTERA PARS.

Exi citò in plateas, & vicos civitatis, & pauperes, ac debiles, cæcos, & claudos introduc huc.

21. Quatuor genera egenorum, & defectuosorum scilicet pauperum, debilium, cæcorum, & claudorum ad hanc cœnam invitata sunt. In illis nuptiis inops homo ob laceras vestes fuit reprehensus, ac punitus. Ad hanc cœnam pauperes, malè vestiti, & quælibet personæ defectuosæ sunt invitatæ. Beda hanc affert causam: *Cæci, & claudi vocantur quod veniant: quia infirmi quique, atque in hoc mundo despecti plerumque tanto celerius vocem Dei audiunt, quanto, & in hoc mundo non habent ubi delectentur.* Et Divus Ambrosius: *Invitat pauperes debiles, & cæcos, quo ostenditur nobis, quod nullum debilitas corporis excludit à regno, rariusque delinquat, cui desit illecebra peccandi.* Idem Doctor aliam difficultatem, quomodo si sint cæci, debiles, claudi, ad hanc cœnam ire possint? movet, & respondet. *Qui vocantur ad cœnam, prius vocando sanantur, si claudus fuerit, gradiendi facultatem, ut veniret accepit, si lumine oculorum privatus, domum utique Domini, nisi refusâ luce intrare non poterit.*

Beda. D. Ambr. Amb lib. 6. in Luc. ad cap. 9.

22. Eusebius Emissenus, & Gallicanus illis pauperibus, debilibus, cæcis, claudis gentiles figurari volunt. *Pauperes enim, debiles, cæci, & claudi, erant gentiles, quia nec legis divitias, nec virtutum fortitudinem, nec scientiæ lumen habebant, nec in via mandatorum Dei rectis pedibus incedebant.* Sed ut invitati sunt pauperes fuerunt ditati, debiles roborati, cæci illustrati, claudi sanati. *Invitati tamen ad convivium Christi, divites, & fortes facti sunt, & interius illuminati, jam in via non erant, sed recto tramite gradiuntur.* Scio vos doctrinâ horum Patrum acquieturos, sed ut mihi satisfiat probationes auscultare ne vos pigeat. Vates Regius civitatem Solimæum ad laudes, & grates Deo pendendas invitat. *Lauda Ierusalem Dominum, lauda Deum tuum Sion.* Et causa fuit, quia frumento ab eo satiata, ac repleta fuit: *Et adipe frumenti satiat te.* Ergo quod à Deo frugibus sit ditata, auri, argenti, aut aliorum victualium ad sustentationem urbis requisitorum penuriam pati non potest? ergone omnes ejus opes sint in frugibus? Ita: si hos habeat omni bono abundabit. *Non solum hæc civitas abundat copia bonorum, sed habet bona optima, & exquisitissima, atque adeò ipsam medullam bonorum.* Verba sunt Cardinalis Bellarmini. ô felicissima Jerusalem portis tuis pedem nunquam paupertas inferre audeat. Sed attendite ait Paschasius Deus non loquitur de pane usuali, sed de mystico. *Hoc frumentum corpus videlicet Christi adipem habet, & non solum adipem, sed & omnes delitias, ita, & potus sanguinis.*

Euseb. Gallic. c. 14. D. Luc. & Dom. 2 post Pent. Ibidem Euseb. Emiss apud Alcuinum f. 815. col. 2.

Ps. 147. Bell. in Psal 147. n 3. f. 892. cap. 1. D. Pasch. lib de corp. & sang. Dom. c. 9.

23. Divus Lucas Iosephum ab Arimathia, qui intrepidus Pilatum adiit, & corpus crucifixi petiit, ut illud terræ mandaret laudans titulo justi eum afficit. *Et ecce vir nomine Ioseph, nobilis decurio, vir bonus, & justus.* Sed a Divo Matthæo ut homo opulentus honoratur: *Venit quidam homo dives ab Arimathia, nomine Ioseph*; meo sensu Divus Matthæus dum tantum eum divitem proclamat ejus nobilitati, bonitati, & justitiæ injurius est. *Mores* ait lex *boni potius, & prius attendi debent quàm divitiæ*: Opes sunt bona fortunæ per parentelam hæreditata, & consequenter non tanti, ac virtus, quæ propria industria virtuosi acquiritur facienda. *Magis quis est laudandus in eo, quod acquirit ex sua virtute, & industria, quam in eo quod naturaliter & ex successione sibi pervenit, in quo non oportet nos laudari, neque vituperari.* Sed sicut pauperibus non decernit vilipensionem, sic nec divitibus laudem determinat. Cur ergo dicit: *Venit quidam homo dives ab Arimathia nomine Ioseph?* Divus Matthæus non loquitur de divitiis fortunæ, sed ejus opes in hoc, quod à Pilato donatus fuerit corpore salvatoris consistere dixit. *Tunc Pilatus jussit reddi corpus, & accepto corpore Ioseph involuit illud in syndone munda* &c. Et ponderatio D. Ambrosii. *Hunc Ioseph justum dixit Lucas.*

D. Luc. c. 23. D. Matth. c. 27. L. Scire 5. cum reliquis ff. de tuto. Gloss non est in L. expreß. ff. de capti. S. Mat. c. 27. D. Ambr.

Matthæus divitem, & meritò dives hoc loco dicitur ubi corpus suscepit Christi, suscipiendo enim divitem, nescit fidei paupertatem. Et sanctus Epiphanius: *Verè dives; utramque enim substantiam Christi à Pilato dono acceperat. Verè dives siquidem Margaritam illam, quæ omnem pretii æstimationem excedit secum asportare promeruerat. Verè dives; sacculum namque plenū gestabat, nempè ipsummet divinitatis thesaurum.* Ad lucem fugantur tenebræ, & ad receptionem corporis, vivi, & veri redemptoris exulat egestas. *Exi citò in plateas, & pauperes introduc huc.*

D. Epiph. ora. de Christ. sepult.

24. Secundo in hac cœna debiles, qui robore destituti sunt comparent. *Et debiles introduc huc,* ut vires pristinas virtute sacrosancti cibi dignè comesti recipiant. Divus Hieronymus verba Davidis: *Panem Angelorum manducavit homo,* quæ Hebræus ob effectum, quem producit roborando debiles sic transfert. *Panem fortium manducavit homo,* ponderat. *Quia scilicet fortes eos reddit, qui eum sumunt; sicut enim cibus corporalis, corpus ipsum firmat, & confirmat, juxta illud; Et panis cor hominis confirmat, sic etiam Eucharistia corroborat animas nostras, imò, & amplius multum Deus enim in ea continetur, qui est fortitudo animæ nostræ.* Unde martyribus priscæ Ecclesiæ tanta constantia, qua adeò se intrepidos exhibebant, nec ad minas, nec ad objectum fornacum accensarum, aut gladiorum acutorum flectebantur? Annon virgines illæ tenellæ ad carceres, tormenta, & mortem ipsam quæsituræ ibant, ac si ad convivium essent invitatæ? respondet sanctus Lucas: *Erant perseverantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis.* Ubi citatus scriptor sic concludit, *Hinc maxima eorum fortitudo.*

Psal. 77. Franc Lab t. 2. Euch. prop. 22. f. 440. col. 1. Psal. 103.

Lab t. 2. Euchar. fol. 440. prop 22. col. 1.

25. Filia cujusdam, quam Divus Marcus Archisinagogum compellat satis concesserat; Christum solando patri, qui amantissimæ sibi filiæ mortem acerbis prosequebatur lacrymis conferret se ad domum ejus, mortuam vitæ restiturus rogarunt. *Noli timere, crede tantum, & salva erit.* Ad domum puellæ extinctæ tendunt, servator manibus eam arripit, & ad vitam redeat, & surgat jubet: *Puella surge.* Et omnium astantium stupore sic evenit. Dein ad parentes se vertens subito illi cibos administrent monet: *Et jussit illi dari manducare.* Prodigium fuit grande; sed dum illud cunctipotentiæ divinæ esse effectum perpendo stupor remittitur. Hoc speculandi ansam præbet, quod membris puellæ resuscitatæ diutino morbo exhaustis, ita ut pedes ea non ferrent consolidandis, cibum sine mora dari velit. Ille, qui vitam restituit, annon, & vires amissas reddere valuit? absque dubio; sed Beda Deum humanatum hoc facto panis Eucharistici esse proprietatem robur debile restaurare docere voluisse asserit. *Surrexit, & ambulavit, quia anima à peccato resuscitata non solum à sordibus scelerum exurgere, sed & bonis operibus perficere debet, & mox necesse est, ut cœlesti pane satietur, divini scilicet verbi, & altari particeps effecta.*

S Marc. cap. 5.

D. Luc. cap. 8.

Beda ibi apud D. Thom. in Catena.

Constantius Imperator nunquam ivit in hostes, nisi ipse, ac totus exercitus hac escâ munitus esset. Carolus Magnus antequam cum hoste dimicaret prius devotè recitare solebat: *O salutaris Hostia, quæ cœli pandis ostium, bella premunt hostilia, da robur fer auxilium.* A sanctissimo vires, & robur pugilibus obvenire persuasum sibi certò habebat. Hoc non trahatur in dubium, cum idcirco debiles ad hanc cœnam invitati sint: *Debiles introduc huc.*

S. Tho. in hymno.

26. Cæcos etiam adesse, ad hoc ut illustrentur specialiter vitâ spirituali, quæ pertinet ad intellectum, vult. Hinc legimus in Ecclesiastico: *Cibabit illum pane vitæ, & intellectus* Diabolus transgressionem Evæ persuasurus ait: *Aperientur oculi vestri,* sed quomodo aperientur, si non erant cæci, nec eos obfirmatos habebant? Rupertus respondet: *In agnitionem vestræ confusionis.* Et Pererius dicit, quod *Dæmon sophisticè locutus est.* Et jure; cum enim mendacii sit auctor, & veracitatis hostis, & in hoc etiam impostor fuerit ejus verba in contrarium sensum, quem præ se ferunt interpretanda sunt. Dicendum ergo: *Claudentur oculi vestri,* En hominis intellectum per peccatum excæcatum. Hinc est quod duo discipuli in Emaus iter agentes Dominum sibi præsentem non agnoscerent, sed eum hominem plebeum putarent: *Tu solus peregrinus es in Ierusalem?*

Ecclesc 15

Genes c 2. Rup. c 7. & 8 l. 3. de Trinit.

Perer. l 6. Genes fol. 629. l. d.

nunc

nunc audite, quid sanctus Lucas dicat: *Oculi eorum tenebantur, ne eum agnoscerent.* En eos cæcos, sed quando lumen receperunt? mensæ assident, & dum panis secaretur caligo fugit, intellectus illustratur, & magistrum rursus noscunt. *Et aperti sunt oculi eorum, & cognoverunt eum, in fractione panis.* Hoc pane sanctissimum sacramentum figurari, sancti Hieronymus, Augustinus, Chrysostomus, Theophylactus, Beda, & alii inter quos Maldonatus, Labata affirmant. Horum ultimus expresse sic scripsit: *Tunc igitur in fractione panis hujus aperti sunt oculi eorum, non quidem solum corporis, sed animæ, ut non solum Christum viderent, sed agnoscerent: Quo nobis significaret Dominus, quomodo in sumptione sanctissimæ Eucharistiæ aperiatur intelligentia nostra ad divina rectius intelligenda.* Sancti P. Augustini doctrina præ omnibus mihi serviat. *Non autem incongruè accipimus hoc impedimentum in oculis eorum à Sathana factum fuisse, ne agnosceretur Iesus, sed tantum à Christo est facta permissio usque ad Sacramentum panis, ut unitate corporis ejus participata removeri intelligatur impedimentum inimici, ut Christus possit agnosci.*

D Luc. c.24. Hier. in Epitaph. Paulæ Aug l.3. de consensu Evang. c. 25 Chrys. hom. 9 in variis locis, Matth Maldonatus in Luc. c.24. Labat tom 3 Euchar. prop 32. Aug. t. 4. ubi supra.

26. Ultimo claudi vocati sunt. *Claudos introduc huc.* Et hi sunt illi; *Qui non valent incedere, nisi quasdam reverentias faciendo; quo significatum à Deo est magna cum reverentia ad hoc divinum Sacramentum nos accedere oportere. Humilitas magna dispositio est ad sacram Synaxim.* In Levitico hæc Dei fuit jussio: *Omnis oblatio, quæ offertur Domino, absque fermento fiat. Propter tumiditatem, quam efficit,* verba sunt Philonis, *æquè figurato præcepto ne quis elatus ad altare accedat, tumidus fastu, atque arrogantia, caveat insidiatricem superbiam. Edent pauperes, & saturabuntur.* Qui sunt hi pauperes? humiles respondet Hugo: *Qui sunt isti pauperes, nisi humiles?* tales sitis vos, & digni eritis hac cœnâ, in quâ aliquid cœlestis beatitudinis libabitis, divitiis corporalibus, ac spiritualibus affluetis, intellectus vester illustrabitur, Deum in hac cognoscetis, & illo in futuro fruemini.

Franc. Lab. t. 3. Euch prop 24. Levit. c. 2. Philo de victimis offer.





DOMI-

DOMINICA TERTIA

POST PENTECOSTEN.

Quis ex vobis homo qui habet centum oves, & si perdiderit unam ex illis, nonne dimittit nonaginta novem in deserto, & vadit, &c. Luc. cap. 15.

ARGVMENTVM.

Perseverantia in bonis operibus commendatur, nam sine perseverantia nulla sunt, & quotidie in virtutibus proficiendum est, quantumvis aliquis diu vixerit.

1. X serenitate auroræ sæpius qualis futurus sit dies augurari possumus. Prout vernans Aprilis florescentes arbores exhibet, talis copia in autumno futura cognoscitur. Ex primis annis vitæ vitalis progressus bonitas judicatur. A Principii qualitate, conditio finis deducitur. *Principium in unaquaque re maximum est*, ait Plato, & rationem dat Aristoteles; *Quia plurimum valet ad id, quod ex eo sequitur.* Et lex, *Initium est spectandum.* Hinc latinis in vetus verbum abiit: *Dimidium facti, qui bene cœpit habet.* Sed quid benè rem aggredi, si benè, cœpta non perficiatur proderit? *Omnino* Spiritus Sanctus calamo Divi Gregorii Pontificis dictavit, *necesse est, ut unusquisque nostrum in eo, quod incipit perseveret, atque usque ad finem operis, in ea qua inchoavit intentione permaneat.* Ac Divus Cyprianus, *Docet graves viros, semel super Petram robustam solida stabilitate fundatos, non dico aura levi, sed nec vento, nec turbine commoveri.* Et sanctus Chrysostomus. *Semper stare, & nunquam cecidisse divinum est atque mirabile* Et Archiepiscopus Valentinus, *Nulla vos asperitas instituti deterreat ab incepto; perseverate instanter, alacriter inceptis insistite, labor improbus omnia vincit.*

Plato. Aristot. L. Pomp. leg. sinum ff de neg. gest. S. Greg. S. Cypr lib 4 ep. 2. S. Ioan. Chrysost. hom 77 in Matth. B Thom. à Villa. conc. 2. de vis vir. f. 367

Quid Agricolæ inculto molestiis duræ hyemis, ac laboribus temporis rigidissimi subjici prosit, si postea terram aureis spicis, dum generosi aurigæ, lucidissimæ planetæ aureum currum per aridos campos ferocissimi Leonis vehunt fulgere non cernat? vel: quid eum juvet, si æstare calidissimâ, & molestissimâ omnes labores in vili habeat, difficultates devoret, ac proprio sudore aridam terram irrigare delectetur, dum curvus aduncâ falce exercitus campestres maturarum spicarum demetit, si postea in horreo eos non videt in acervum collatos? *Non potest*, dixit Beatus Laurentius Justinianus, *recipere agricola frumenti grana nisi in agro laborem messis, in area ardorem solis pro separatione palearum à grano perseveranter pertulerit, sic neque nos ad mercedis retributionem pertingimus nisi in perseverantia operis fortiter perstiterimus.* Pugit generosus quantumcunque ad metam velocem cursum pellat, si in medio stadii sistat præmium non meretur. *In cassum quidem bonum agitur, si ante vitæ terminum deseratur, quia frustra velociter currit, qui priusquam ad metam venerit deficit.* Nostræ operationes tunc patiuntur naufragium, quando (dixit ille sapiens) *totum consistit in inceptione, prosecutione, & desitione. Todo se les va en comienco, en tomar, y dexar* Nec operibus infensior est hostis quam incipere, sed non perficere. *Solum non perseverasse, est amisisse coronam.*

B. Laur. Iust. c. 4. de persev. Idem ubi supra. B. Laur. Iust ubi sup.

2. Servator noster, ut nos ad perseverantiam animet in hodierno Evangelio duas

duas parabolas, unam de pastore perditam ovem quærente, alteram de fœmina, quæ domum invertit, ut gemmam amissam inveniat proponit. Non cessant ambo, sed perseverant, *donec inveniant*, ac intentum assequantur. Per hoc Filius Dei persuadere, & ego demonstrare similiter in bonis, ac sanctis operibus non satis esse incipere, prosequi, sed & perseverantiam usque in finem vitæ donec inveniat volo. Et quia N. video à vestra comitate initium silentio mihi favendi jam jactum, illud attentione usque in finem producite Et ordior.

PARS PRIMA.

Quis ex vobis homo, qui habet centum oves, &c.

3. DUm amorosus, ac sedulus Pastor pecora è pascuis ad ovile ducens, unam abesse vidit circumquaque campos tenebræ involvebant. Nonaginta ergo novem relictis, nec noctem ingruentem, viæ incommoda, montium asperitates, sylvestres feras curans, summo eam inveniendi desiderio ardens, spinis se ingerit, sepibus se intromittit, nec ullam omittit diligentiam eam quærendi *donec inveniat*. Mulier Evangelica gemmam deesse videt, lumine accenso invertit domum non cessat, nec quiescit: *Donec inveniat* O sancta perseverantia, quam es necessaria in omnibus nostris operibus? sine te illa languescunt ait Bernardus *Tolle perseverantiam, nec obsequium mercedem habebit, nec beneficium gratia, nec laudem fortitudo.* Tu illorum, quæ cœlum sperant dux es *Solum non perseverasse, & amisisse coronam.* Inopia nostrorum meritorum multis bonis à Deo obtinendis destitueretur, si tu tuo favore non succurreres. *Magna virtus perseverantia, quæ etiam ubi merita desunt locum obtinet impetrandi* Sunt verba Divi Thomæ Villanovani: tu filia es dilectissima magni Dei, cunctæ virtutes tibi debitum homagium præstant; qui te caret in pugnis spiritualibus palmam victoriæ, & coronam præmii amittit. *Perseverantia est unica filia regis æterni, quam & peperit vera discretio, est, inquam, omnium ferè virtutum finis, earumque consumatio, totiusque boni repositorium, & virtus, sine qua nemo videbit Deum, quia absque perseverantia nec qui pugnat victoriam, nec palmam victor consequitur.* Ex hoc Petrus Damianus hanc exhortationem dare est motus. *Vitæ modum, quem semel arripueris, perseveranter tene, constanter exequere, ne scenica (quod absit) à temetipso videaris vertigine discrepare.*

B. Laur. Iust. c. 4. de persev.

S. Bernard epis 120.

B Laur. Iust. c. 4 de persev.

Idem ubi supra.

B Thom. à Villa. conc. 1 Dom. 2. Quadr. fol. 129.

B. Laur. Iust ubi sup.

S. Petr. Damian. opusc. 15. cap. 27.

4. Contemplativus Bernardus gressus sistit, & exactissimè motum, & passus illis Angelorum observat, qui dormientem Jacobum favoribus prosecuturi è cœlo in terram, & è terra in cœlum scandebant. *Vidit Iacob in somnis scalam stantem super terram Angelos quoque ascendentes, & descendentes per eam.* Nemo in gradibus, vel terra quiescebat, sed omnes in continuo motu erant. Forsan Jacobum edocere, quod omnia opera bona debeant continuo produci, & perseverantiâ associata esse voluerunt. Audite Bernardum: *Vidit scalam Iacob, & in scala Angelos, ubi nullus residens, nullus subsistens apparuit, sed vel ascendere, vel descendere videbantur universi.*

Gen. c. 28.

S. Bern. epis. 235.

5. Domine ajebat David, quia es misericors, benignus, ac præcibus meis lubens annuis te semper dilexi, ac diligam. *Dilexi quoniam exaudivit Dominus vocem orationis meæ.* Quæ sic explanat Bellarminus; *Dilexi Dominum quoniam benignus, & misericors est, & ex naturali sua benignitate exaudiet vocem orationis meæ.* Ac dein Psaltes subdit: *Quia inclinavit aurem suam mihi, & in diebus meis invocabo* Sed si dum aures precibus tuis acclinat signum sit te exauditum, cur totâ tuâ vitâ eum invocare incessanter pergas? respondit Divus P. Augustinus. *Per dies meos intelligit dies hujus mortalitatis, qui nostri dies dicuntur, quia nos ipsi peccando nobis illos fecimus.* Idem roborat Remigius Antisiodorensis: *In diebus mortalitatis, & passibilitatis, quos dies meos fecit in primo homine privata audacia à Deo recedendo.* D. Chrysostomus omne tempus, ac dies suæ vitæ intelligit: ac si dixisset: Domine: esto illico quod peto obtineam, non tamen à precando desistam, sed dum spiro diu noctuque incessanter preces producam *Quid est* interrogat Chrysostomus *in diebus meis? Non quoniam inquit, exauditus sum resiliam, & evadam negligentior, sed omnibus diebus vitæ meæ hoc munus obibo.*

Ps. 114.

Bellarm. ibid. fol. 719. c. [illegible] v. 1.

D. Aug. ap. Bell. ibid.

Remig. Antisi. in Psal. 114. in Bib. vet. PP. to. 9. par. 2.

Io. Chrys. in ps. 114.

6. Ut servi Dei opus virtuosum aggrediantur sufficit, ut Deus unico verbo id insinuet; sed ut ab oper bus cœptis desistant, aliud quam verba requiritur. Deus Abrahamum accersit, & mentem suam ei explicat. *Tentavit Deus Abraham, & dixit ad eum: tolle filium tuum, quem diligis Isaac,* &c. Excitatur Patriarcha, & sine replica somnum oculis excutit, surgit, & cum filio ad montem pergit, ligna cædit, humeris filii illa imponit, verticem scandit, aram construit, ligna parat, Isaaco ea imponit, & eum sacrificaturus gladium exerit, & dum divinæ voluntatis executioni se jam accingit, Angelus adest, & auribus Abrahami altâ voce ingeminando sistat, nec pergat, mandat. Desiste, desiste Abraham. *Et ecce Angelus Domini de cœlo clamavit dicens, Abraham, Abraham, ne extendas manum tuam super puerum.* Ut Abraham filium immolet sufficit unica vocula. *Dixit ad eum.* Sed ut ab opere avellatur, ac cesset Angelus clamando ingeminare voces debuit: *Et ecce Angelus de cœlo clamavit dicens, Abraham &c. Cur ibi simplex tantum vox profertur, hic autem clamor emittitur; nisi ut ostendatur quanto majores vires applicet Deus, necessum est si velit virum sanctum revocare ab incepto opere virtutis.*

Gen.c.22.

Didacus Cetada to. 1. de Christo figu. lib. 3. §. 4.

7. Sponsa cœlestis anxiè conspectum sui dilecti ambiens per omnes vicos civitatis eum quæsivit. *Surgam, & circuibo civitatem per vicos & plateas, quæram quem diligit anima mea.* Edic ô sponsa, an eum invenisti? omni sedulitate in id incubui, nec reperire potui. *Quæsivi illum, & non inveni.* Ergo meo consilio acquiesce, dies declinat, sponsam vagando discurrere dedecet, domum te confer, tempus eum quærendi non deerit. Honestas fœminæ in vase venustatis publico exposita latrunculis concupiscentiarum exponitur. Color pudicitiæ adeo est tener, ut aëre tandem contaminetur. Beatus Thomas Villanovanus amoribus hujus sponsæ compatitur, & voce flebili sic eam respondentem introducit. *Heu misera, jam quo ibo? quæsivi in creaturis, quæsivi in sanctis nusquam apparet.* Nihilominus perseverans eum quærit. *Neque tamen à quærendo desistam, donec inveniam.* Sed (more fœminarum) aliâ vice quantum à seipsa differre videtur, quando obvia sponso eum rogat, ut discedat. *Fuge, fuge dilecte mi, & assimilare capreæ, hinnuloque cervorum super montes aromatum.* Sed si antea tota anxia semitis ignotis insistit, quomodo nunc indignabunda eum adjurat, ut in velocem cervum mutatus fugæ velocissimæ se dedat? Ah sponsa non vituperio, sed laude digna est. Hæ demonstrationes non signa indignationis, sed effectus perseverantiæ sunt; ac dixisset: si cursum sistas, ego gressus figam, sed si currere pergas, ego insequar. Audite Rupertum. *Fuge, fuge cautus nobis, ac providus, ne unquam dum vivimus, nos comprehendisse arbitremur, sequentes, ut comprehendamus.* Ac si à meta adhuc longe distaremus semper currerẽ deberemus.

Cant. c. 3.

B. Thom. à Villa. conc in cant. c. 3 fol. 299. col. 1.

Cant. c.

B. Rup. in c. 8. Cant.

8. Plura documenta servator decursu suæ vitæ nobis dedit, sed inter alia illud magis proficuum, ac necessarium consequendæ saluti æstimo, quod in aspero ligno crucis moriens quasi vice ultimi hortamenti reliquit. Fato admotus erat, juri mortis jam erat consignandus, dum scribæ ac summi sacerdotes apertè si manus, & pedes dissolvendo, ac è cruce descendẽdo unicum prodigium patrare dignaretur se in eum ut verum Messiam crediturum, spondent. *Christus Rex Israel descendat nunc de cruce, ut videamus, & credamus.* Felix nuntium tibi domine affero, illud tuis pœnis acerbis solatium fore credo. Hebræi converti volunt, ideo è cruce descende. Sed crucifixus eorum votis annuere non vult. *Dominus sciens eorum insidias permanet in patibulo.* Ait Remigius. Magna res, quod antea convertendis Hebræis tot miracula patrarit, nec tamen ob eorum obstinationem effectum habuerunt, ac modo dum votis potiri potest, nec unum patrare vult. Ne miremini ut hominem morte suâ in cruce redimeret, in mundum venerat. Statim à Nativitate hoc opus aggressus est, prædicatione, ac miris toto decursu vitæ illud est prosecutus. Nunc cum illud perfecturus, ac completurus erat, *consumatum est,* ab opere eum desistere, & imperfectum linqui volebant Ne id vobis imaginemini. Hoc prodigium honori meo adversaturi ad ultimum usque periodum vitæ me non perseverasse dicere poteritis. Speculatio est Divi Bernardi: *Ideo quia Christus non descendam*

Marc. 15

Paschas. Ratbert. in Bibl. vet. Patrum in Matth l. 12. ad ultim.

Ioan. c. 19

Bernard. serm 1. in Pasch.

cendam de cruce, ut homines doceam in fine debere esse firmiores, & constantes in sublimi perfectionis quo ascenderunt permanere, & in cruce, quam in toto vitæ decursu susceperunt perseverare. Et roborat Paschasius Ratbertus. *Idcirco cavendæ sunt semper insidiæ pessimi insidiatoris, ne à bono proposito revocemur fraudibus, antequam palma victoriæ vincentibus nobis detur in manibus.* Sed non auditis, quod duobus verbis pastore scilicet ovem perditam, ac fœminâ gemmam amissam quærente id Redemptor hoc mane doceat? *Et quærunt diligenter donec inveniant.*

Paschas. Ratbert ubi supra

9. Non qui incipit, sed qui opus ad finem producit coronam meretur juxta illud; *Finis coronat opus.* Vestis priscorum sacerdotũ variis ornatibus pretiosis dilata erat; sed in oris, ac extremitatibus multa malo granata pendebant. Sed cur hæc & non alii fructus, & cur in ora vestimenti? ô insigne mysterium! Inter fructus solum malogranatum coronam habet; ergo ex ora vestimenti pendet, ut fini coronam deberi denotetur. *In fine ponitur fructus coronatus, quia illa virtus est fructus coronatus, quæ finem sanctæ vitæ imponit, hæc autem est perseverantia, nam si hæc defuerit, non invenitur fructus ultimato coronatus, coronatur ergo vita sancta perseverans usque ad mortem.* Idcirco ajebat David: *Benedices coronæ anni benignitatis tuæ.* Sed cur non omni mensi, hebdomadæ, diei, sed soli coronæ anni benedictionem impertiturus est? Ah annus benedictionem non meretur, quousque cursum itineris compleverit. Audite Divum Gregorium: *Quasi corona anni benedicitur, cum finito laboris tempore, virtutum remuneratio confertur, dies vero hujus anni sunt singulæ quæque virtutes.*

Franc. Labata tom. 3. Per. prop. 6.

Psalm. 64.

Greg. 4. mor. 8.

Legistæ, quod in omnibus nostris actionibus: *Finis actus est attendendus,* sciunt. David formam vultus, ac ornatus, quibus vestes Reginæ micabant celebrans, nec puncto ab hac lege abivit: *Omnis gloria ejus filiæ Regis ab intus in fimbriis aureis circumamicta varietate.* Specialiter, quod oræ sint aureæ eum valde deprædicare observo. Hæ sunt partes abjectiores vestis, ergo prius aureas, comas, crinium crispitudinem, venustatem vultus, vivacitatem oculorum laudare debebat. Fimbriæ, cum sint extrema pars vestis, finem designant; aurum est figura perfectionis, unde finem completum laude, ac encomiis celebrari signum deducendum. Mirabundus ait Remigius Antisiodorensis: *In fimbriis aureis, id est in fine bono, ut sit in fimbriis finalitatem accipiamus, & in aureis bonitatem: nam qui perseveraverit usque in finem hic salvus erit:* Accinit huic opinioni Petrus Blesensis. *Fimbriæ sunt vestimenti extremitates: Est ergo gloria sanctimonialis in fimbriis, nihil enim prodest gloria bonæ conversationis in principio, nisi sit gloriosus, & finis.* Ac tertio loco subscribit Hugo à S. Charo *Licet amicta sit varietatibus virtutum & donorum non tamen in his gloriatur, sed in fimbriis aureis, id est in operibus finaliter bonis.*

Gloss in c. sciens de cens. c. ad Solleyan l. cum Sylleyanum, Psal 44. Psal. 44.

Remig. Antis. in Ps. 44.

Petrus Blesen. Epis. 36

Hugo de sancto Charo in Ps. 44.

10. Aurum potius in oris quam in comis requiritur. Perfectio potius in fine, quam in principio desideratur. Quis nescit, qualia fuerint exordia Sauli? Infidelis, persecutor Christianorum, ac Christi erat. Sed quia in fine fuit optimus, fuit salvatus; vas electionis, & Doctor gentium est factus. Principia Judæ fuerunt satis laudanda sufficit eum Apostolum filii Dei fuisse selectum; sed quia finis fuit pessimus, ac detestandus, magistrum prodidit, desperandus se in crucem egit, ac impœnitens obiit, & damnatus est *Suspensus crepuit medius, & diffusa sunt omnia viscera ejus.* Deus non caput initii, sed oram finis spectat ait D. Hieronymus *Non quæruntur in Christianis initia sed finis. Paulus malè cœpit, & benè finivit, Iudæ laudantur exordia, sed exitus proditione damnatur.*

Act. Apost c. 1.

Hieron. Epis. [illegible] ad Furiam.

Hic illud adagium verificatur; *per un punto Martin perse la cappa:* Hoc est per oram Martinus pallium perdidit Per unicum momentum, quo ab opere bono cessamus animam, & gloriam paradysi ludimus. Hominem in hoc mundo centum degere annis, ac toto hoc tempore vitam agere sanctam, & vivere instar S. Nicolai Tolentinatis, D. Francisci, S. Joannis Baptistæ nonaginta novem annis supponamus; si annus ad complementum centum annorum desit, suppono quod hoc anno sanctè transigat undecim menses, si mensis deest, dicamus quod transmittat bene viginti novem dies, superest, dies, hoc die eum sanctè agere viginti tribus horis imaginemini; superest hora, hac sit Angelus tribus quadrantibus, manet quadrans, conservetur in gratia à Deo quatuordecim minutis, ad complendum centum annos adhuc

minutus requiritur. Nunc si in isto cesset benè operari, ac Deum lethaliter offendat, si impœnitens obeat, animam & gloriam perdit, & damnatur. Et tamen verum est, quod nonaginta novem annos, undecim menses, viginti novem dies, viginti tres horas, tres quadrantes, quatuordecim minuta transmiserit sanctè, & ultimo minuto omnia perdat, & in momento ad orcum descendat. Ex hoc quam necessaria sit perseverantia deducere poteritis: *Donec inveniat.* Hinc Patriarcha Venetus Beatus Laurentius Justinianus dicere solebat? *Sicut oculis corporalibus necessaria est lux, ut suo perfruantur fine, ita, & omnibus prædestinatis, & vocatis ad Regnum cœlorum hæc virtus perseverantiæ; & sicut absque luce frustra aperitur oculus eodem modo inaniter currit, qui usque ad finem vitæ non perseverat.*

B. Laur. Iust de persev. c. 2.

11. Quantum Deus delectatur, si anima peccatrix vitam emendare, & virtutibus se dare resolvat, & in hoc bono proposito ad finem vitæ usque perseverat? *Tunc enim placet Deo nostra conversatio, quando bonum quod cœpimus, usque in finem non relinquamus.* In valle Terebinthi, qui campus Martialis est factus Goliath immensus Gigas, & David generosus Pastor duellum inituri comparuerunt. Ille hastæ, & animo fidit, hic auxilio cœlesti, ac fundæ innititur, à procul se contuentur, jocantur, & recreantur. Philistæus Israelitam truculentis oculis consternere credebat, David hostem ictu lapidis prosternere, & valore suæ dextræ illum montem carnium, ac ossium dejicere sperabat. Gigas conviciis Davidis se ictum sentiens in iras assurgit, in ejus pectore fornax indignationum accenditur, ex oculis flammæ scintillant, ac fumus furoris è naribus evaporat. Interim providus Israelita fundam armat, & fronti in qua superbia vexillum temeritatis, & audaciæ explicabat lapidem infigit. *Et cecidit in faciem suam super terram;* accurrit, & ipso pugione Philistæi verticem avellit. *Cumque gladium non haberet in manu David, cucurrit, & stetit super Philisthæum, & tulit gladium ejus: præciditque caput ejus.* In hujus rei memoriam, & gratiarum actionem gladius in templo asservatus fuit, qui postea à sacerdote Abimelech datus fuit Davidi quando à Rege Saul in Nobe missus fuit:

S. Isidorus Hispal.

1. Reg. c. 17.

Ecce hic gladius Goliath Philisthæi, quem percussisti in valle Terebinthi. Hic cur potius asservatus fuerit gladius, quã lapis? interrogo. Hic inimici fronti infixus vivum adhuc prostravit, gladius hoste jam accumbente pugnæ se accinxit. Honor ergo debitus petræ, quæ ictum tam celebrem fecit in gladium non derivetur. Ego aliam non assignaverim causam, nisi quod lapis Deo non adeo gratus futurus erat, ac gladius. Ille certamen est orsus, sed primo ictu facto destitit, & in exordio conflictus adfuit. Sed culter, quia ultimo dimicavit, & Philisthæo verticem detruncando palmam reportavit certum erat, quod à Deo acceptandus erat. *Cur in templo non fuit asservatus lapis ille, quo David Gigantem interfecit sicut gladius? Ratio est, quia gladius pugnæ finem imposuit non lapis à lapide quidem initium, à gladio finem victoriæ sumpsit. Sic quia perseverantia est, quæ finem optatum consequitur, ideo illa est, quæ pretio habetur, illa quæ in domo Dei sic servatur.*

1. Reg. c. 21.

Franc. Labata. to. 1. Ap. conc. verb persev. prop.

12. Duo illi Angeli, qui urbibus peccatricibus vindictam minitaturi pergebant, à Lotho instantissimis precibus, ut apud se divertere, utpote humanissimè excipiendi dignarentur, pulsati fuerunt. Sed renuerunt; *Minimè, sed in platea manebimus.* Quilibet replicasset, si gratiam hanc acceptare nolitis, vestro damno id fiat, sufficit mihi officio charitatis non defuisse. Sed bonus servus Dei novas instantias addit, invitationes repetit, nec domum offerre cessat, quinimo eos ad acceptationem cogit. *Compulit illos oppido, ut diverterent ad eum.* Demum perseverantiâ precum allecti, præsentiâ honorare domum ejus placuit, & lubenter intrarunt. *Quomodo ita eximium beneficium accepit Loth ab Angelis, ut ab eis honoraretur domus sua, cum antea omnino precibus suis renuissent? Ne mireris tantam gratiam accepisse, perseveravit enim in petitione suâ, sola autem perseverantia coronatur.* Et nos ad unicam orationem, ad simplices preces nos à Deo exaudiendos imaginemur? perseverantia molestari debet: *Donec inveniat.*

Gen. c. 19.

Io de La Hage in Arb. vitæ to. 5 in Gen. c. 19. v. 5. n. 66.

13. Quantum Angelis perseverantia Loth, tantum Magdalenæ perseverantia Christo placuit. Hæc fœmina amorosa à Simone Christum convivio exceptum intellexit. Illico habitum lacerum pœnitentiæ

tiæ induit, vas alabastrinum pretioso unguento plenum sumit, crines dissolvit, excalceata domo exit, & oculis lacrymantibus, labris suspirantibus passus ad locum in quo agebat objectum suorum castorum desideriorum accelerat. Palatium intrat, ad conclave appellit, & Salvatori ad geniculata plantas ejus lacrymis doloris abluit, capillis illas tergit, unguento inungit, ac labris mundatis devo[illegible] oscula figit. *Et stans retro secus pedes D[illegible] lacrymis cœpit rigare pedes ejus, & capillis ca[illegible] tergebat, & osculabatur pedes ejus.* H[illegible] ctio esto à tribus Evangelistis Matthæo, Marco, Joanne diversimodè recenseri videatur, ut tamen affirmat Divus P. Augustinus recensus est idem. *Quod fecit in Bethania pariter narratur à tribus, Ioanne, Matthæo, & Marco Hic non solum caput, sed & pedes Domini accipiamus perfudisse mulierem.* Christo ejus actio visa tantum placuit, ut velut omni bonitati eam præcellentem celebraret: *Bonum opus operata est in me.* Et dein ex conviva in oratorem transit, & eulogium hoc applausu promit *Amen dico vobis, ubicunque prædicatum fuerit hoc Evangelium dicetur, quod hæc fecit in memoriam ejus* Hic quænam ex omnibus actionibus Magdalenæ tantam laudem promerita fuerit rescire vellem. An lacrymæ? ego id non assero, quamvis Deo non parum gratæ sint. Petrus etiam amarè flevit: *Exivit foras, & flevit amarè;* nec tamen hoc encomium tulit. Forsan unguenta pretiosa? Christus talium vanitatum amicus non fuit. Forsan comæ aureæ, aut oscula affectuosa? hoc credens errat. Officiis his pietosis sese impendens caput suum pedibus Salvatoris jungebat, & quasi uniebat. Hac de causa tantam laudem promeruit. Et cur propter hoc? caput est principium hominis, pedes finis. Ergo Magdalenam in actibus pœnitentiæ ab exordio conversionis usque ad finem vitæ perseverasse perspexit. O quam est hæc actio virtuosa? *Bonum opus operata est in me.* O actum dignum laude, & præmio? *Amen dico vobis. &c.* Huc alludere divum Brunonem voluisse credo. *Tota vita nostra, sic bonis operibus continuetur, ut, & principio* (en caput) *finis concordet,* en pedes, *& bonum quod capimus, usque in finem non relinquamus.* Hoc modo mulier Evangelica gemmam, & pastor

D. Matth. cap. 26. D. Marc. cap 14. D. Ioan. cap. 12. August. de Cons. Evangel. cap. 79.

D. Matth. cap 26. D. Marc. cap. 14.

Matth. cap. 26.

Bruno Carthus.

ovem quærit; *Donec inveniant.*

14. Deus in Exodo, & Levitico Hebræis, si victimam acceptam à se vellent haberi extrema animalium offerri jussit: *Et offerent de pacificorum hostia sacrificium Domino adipem, & caudam totam.* Ac in Exodo: *Tolles adipem de ariete & caudam.* Sed an non hic est Deus, qui gustu adeo pollet tenero, & contentari adeo potest difficulter, ut illis solis victimis quietari se ostendat, quæ circumstantias debitas in superlativo gradu perfectionis habent? cur ergo in sacrificiis partem extremam adeo vilem petit? si animalia immunda offerri vetabantur, an pars erat immundior istâ? præterea eum sibi animalium primogenita offerri sanciisse, quæ teste Abulensi: *Sunt pinguiora, & meliora aliis,* non nescio. Decimum grani; *Quia denarius numerus perfectus est:* ait divus P. Ambrosius, postulabat. Primos fructus magis appetibiles sibi dari voluit. Et quod majus est agnellum sacrificandum diligenter inspici num esset masculus præcepit: *Erit Agnus absque macula, masculus, anniculus, &c.* causam dat Lyranus: *Masculus, quia fœmella immolari non poterat in hoc sacrificio, sed requirebatur adhoc, sexus masculinus, qui est perfectus, quia ea quæ sunt perfecta, Deo debent immolari, à quo emanat omnis humana perfectio.* Si ergo ultima extremitas est deformis, vilis, imperfecta, & immunda, cur Deus eam à sacrificiis non proscribit? divus Gregorius hac parte denotari finem, respondet. Hanc ego sacrificari sibi voluit, ut quam accepta sibi esset perfectio, & sanctitas finis demonstraret. *In cauda quippè finis est corporis, & ille benè immolat, qui sacrificium boni operis usque ad finem debitæ perducit actionis* Idem in suis moralibus rursum confirmat. *Caudam hostiæ in altari offerre præcipimur, ut videlicet omne bonum, quod incipimus, perseveranti fine complectamur.*

Lev. cap. 3

Exod. 29.

Deut. cap. 12. Lev. cap. 29. Ambros.

Exod. cap. 12. Nicol. Lyran in cap. 12. Exod.

D. Gregor. Mag. hom. 25. in Matth. Idem 1. moral. 40

15. Sed si verum sit, quod *idem operatur oppositum in opposito, quod propositum in proposito,* quantum Deo placet perseverantia tam exosum oppositum habet. Nec aliquid eum magis affligere potest, quam si opera cœpta ad finem non producatur. Præcepta à Deo creatore populo Hebræo data, aliquando non minus paradoxa, quàm mysteriosa fuisse negari nequit. In pluribus locis Exodi à sacrificiis animalia immunda

Exod. cap 13
Exod. cap. 34.

da jussione arcuit. *Quidquid habueris masculini sexus consecrabis Domino, primogenitum asini mutabis ove.* Et alibi: *Omne quod aperit vulvam generis masculini mecum erit; de cunctis animantibus tam de bobus, quam de ovibus meum erit. Primogenitum asini redimes ove.* Cur Deus adeo hoc animal abhorret, cum sit patientiæ, & humilitatis symbolum?

Georgius Nicola lib. 1 Epigr. 11 fol 9.

Est humilis, timidus, mitis, patiensq; laborum.
Hac asinum par est nos ratione sequi.

Cornel à Lapid.
Hieron. Oleaster.
Aristot Moral. nicomach. 10.
Ambr. Calep.
Daniel Heins. in laus asini. fol. 48. & 49.

Respondet Cornelius à Lapide: *Noluit Deus à Matre avelli, ne Matrem affligeret, nullum enim animal ita amat prolem ut asinus, & simia.* Oleaster etiam hoc dubium movet: *Quid hoc est Domine, quod sic asinum rejicis? nonne creasti illum quemadmodum omnia alia? ita quidem, sed vult nos docere, ut quæ vitia reputamus, non offeramus illi.* Vel hoc jumento de quo ait Philosophus. *Asinus stramenta mavult quàm aurum*, eos qui thesauris cælestibus hæc vitia præponunt designari responderi potest. Vel potius quia juxta quorundam adagium est stoliditatis symbolum. *Asinus inter simias.* Vel forsan, quia apud antiquos, & gentiles superstitiosos augurium felix prosperitatis humanæ erat. Hinc ille Eruditus scripsit. *Inter bona omina occursum olim asini fuisse, etiam in somniis conspectum, boni ominis fuisse. Augusto, Mario, & Alexandro, eventus optimos, ac optatissimos in rebus maximis denuntiavit.* Mille alias rationes quibus brevitatis causâ supersedeo adducere possem, & unam, quæ meo proposito deseruit tantum adduco Fuit, qui de hoc jumento diceret, *Egregium principium, citò destitutum.* Benè incipit, malè definit. Ac ideo à sacrificiis fuit abactus; quia illorum, qui in virtutibus non perseverant est symbolum. Hinc Poëta: *Proponere, & non perficere, est ludere gratis.*

S. Luc. cap. 17.
Gen. cap. 19.

16 Inter alia documenta Christi illud, quod sanctus Lucas annotavit maximè considerandum censeo. Pœnas diluvii, & ignis tempore Noë, & Loth recensent ait: *Memores estote uxoris Loth.* An hæc uxor Loth non est illa, quæ jussa Angelorum violans. *Noli respicere post tergum*, retrospexit, & à Deo conversione in statuam salis est punita? sed si adeò sit misericors, ut nec umbram flagellorum, qui effectus sunt divinæ justitiæ vindicativæ, & punitivæ ab hominibus videri vellet, quomodo hoc factum multorum memoriâ forsan obliteratum, rursus in mentem revocat? hæc fæmina iter aggredi, ac illud interpolatè usque ad montem Segor producere debuit, sed illa gressus stitit, ac iter interrupit; hinc in pœnam perseverantiæ violatæ, quando *conversa est retrorsum, versa est in statuam salis* Opinio est Abulensis. *Quare autem in statuam salis magis, quam in aliquid aliud mutata fuerit? causa est, quia sal condit, & saporem dat cibis, ideo sapientiam designat, & est sensus quod uxor Loth in salis statuam versa, per suam pœnam nos docet à bono incepto nunquam desistere, ne pejor exitus non sequatur.* Et quid aliud Salvator verbis allatis: *Memores estote uxoris Loth?* nisi quod non perseverantibus severæ pœnæ maneant docere voluit.

Abulen. in cap. 19. Gen. fol. 505. col. 1.

17. Hinc Ecclesiasticus. *Væ his qui perdiderunt sustinentiam, & qui dereliquerunt vias rectas & diverterunt in vias pravas.* O mille infelices, qui Deo in fervore, & charitate famulari incipiunt, ac paulatim depescunt! viam perfectionis aggrediuntur, sed ex improviso gressus per vias curvas vitiorum retrahunt. *Sustinentiam quidem perdunt, qui bona inchoant, non consumunt: quibus nimirum væ esse dicitur, quia non solum incepti laboris mercedem perdunt, sed etiam apostatus sui pœnâ feriuntur.* Illa navis velis extensis undas supervolare, ut ad portum appellat videtur, sed illicò à pisciculo remorâ dicto sistitur, ac tenetur. Mira res videre homines in virtutibus radicatos, spiritui deditos portum perfectionis aspirare, ac dein ab exigua remora bonorum terrenorum detineri. De his ille doctus loquens canebat.

Eccl. cap. 2
Greg. in cap. 2. Eccl.

Sic quosquã ingenio, & virtute ad sidera vectos.
Detinet in medio tramite causa levis.

Plin. histo. nat. l. 18. cap. 1.
Andreas Alciat. Emb 83.
Ad Galat. 5.

Hos ego jure cum divo Paulo interrogem: *Currebatis benè, quis vos impedivit?* quis ex auro in ferrnm vos transformavit? antea exacti, nunc inertes in observantia divinorum, & sanctorum præceptorum. *Currebatis* antea in servitio Dei, sed nunc præcipites per vias æternæ perditionis vos currere video *Quis vos impedivit?* O Deus! unicus affectus terrenus, unica facies larvata,

vata,

vata, aurifrustum, quod nil aliud est, quam terra fulvore à sole superinducta. Ah quantum à vobis ipsis differtis, & ab illa perfectione, cui ferventer incubuistis dum vos servitio Dei consecrastis abscessistis? *Persuasio*, ait Sedulius, *hæc, quam nunc sequimini non est ex eo, qui in principio vos vocavit, sed ex his, qui postea vos conturbavit.* Agedum ergo ad illum statum sanctitatis è quo hucusque aberrastis redite. Quid? forsan in animæ virtutibus vos satis profecisse putatis? *Cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite servi inutiles sumus.* Ne ergo à productione virtutum usque ad finem cessetis, *donec inveniatis.* Recordemini, quod *virtus boni operis perseverantia est & voce veritatis dicitur: qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Quiescamus.

Sedulius in epist. ad Eph. cap. 5 in Bibl. veter PP. Tom. 5.
D. Luc. cap. 17.
Greg hom. 2c. in Evang.

ALTERA PARS.

18. Perseverantia est bonum, sed non sufficit ambulanti per viam perfectionis, sed *de virtute in virtutem* quotidie procedendum est. Non lucrari est amittere. Et divus Bernardus: *Nolle perficere nonnisi deficere est.* Unde sanctus Pater Anselmus semper novos gradus addamus hortatur. *Nullum gradum bonæ vitæ, quem jam conscendit, custodire sufficit, qui semper ad altiorem perficere non appetit; semper igitur necesse est, ut nitatur ad profectum, qui semper vult vitare defectum.* Et Divus Fulgentius: *Sicut qui ad patriam tendit, donec perveniat semper habet ubi ambulet, sic etiam nos quamdiu in hoc mortali corpore constituti peregrinamur à Domino, præsens vita nobis est via, in qua semper habemus, ubi possumus proficere.*

Bernard. epist. 253.
S. Ansel. lib. 2. epist. 37.
Fulgent. de Orat. cap. 3.

19. Deus Adamo, ejusque propagini hoc mandatum dedit: *Crescite, & multiplicamini, & replete terram.* Hic difficultas mihi suboritur. Actiones liberæ, & non necessariæ, & naturales, quarum una est crescere materia tantum præceptionum sunt. Divus Basilius non intelligi hic accretionem corporis, sed animæ putat. *Anima crescit, dum quotidiana propagatione se ad perfectionem promovet, nobis dictum est, crescite, ratione mirâ interioris hominis.*

Gen. cap 1
S Basil. hom 12 in Hexamer.

20. Chronologus Moyses cujuslibet diei opera creationis recensens finem diei semper sic terminat; *Et factum est vespere, & mane dies unus.* Idem de omnibus aliis repetit. Hic dubium mihi oritur, si noctem aurora præcedat, potius dicere debuit. *Et factum est mane, & vespere dies unus.* Hugo, ac magister doctè respondent. *Primum diem non habuisse auroram, & mane, quod est terminus præcedentis noctis, sed fuisse statim claram lucem, ideoque illius diei prius fuisse vespere, posterius fuisse mane.* Pererius Hebræis tres fuisse dies opinatur. Legalem. *A vesperis ad vesperam.* Naturalem, *ab ortu solis ad ortum.* Usualem, *A media nocte ad mediam noctem.* Et Moysen de legali locutum asserit. Divus verò Hieronymus diem à nocte incepisse, ac in altera nocte terminatum vult. *Noctem verò non ad præcedentem, sed ad subsequentem diem pertinuisse, & diem naturalem integrum à vespero ad proximè consequentem vesperam censeri solitum.* Sic legimus in Levitico. *A vespera usque ad vesperam celebrabitis sabbatha vestra.* Ego verò doctrinæ Stephani Cantuariensis adhæreo, qui hoc factum ponderans ait: *Benè post vesperum sequitur mane, quia vespere significat perfectionem operis, mane autem inchoationem.* Demonstrare voluit eum qui in operibus salutis, & gratiæ ad vesperam perfectionis pertigit ad mane redire debere, hoc est ac si nil profecisset, aggressio virtutum illi repetenda est. Hic stylus semper est observandus ut de die in diem novis gradibus sanctitatis coram Deo ditescamus. *Colligo*, ait quidam modernus, *quod qui attigerit perfectionem, ad mane redeat, nempe ad inchoationem virtutis, quasi nihil operatus fuisset, ut sic maximam assequatur perfectionem.* Et divus Leo in genere loquens: *Quantumlibet quisque justificatus sit, habet tamen dum in hac vita est, quo probatior, & perfectior esse possit.*

Gen cap. 1.
Gen. cap. 1.
Hugo l. 1. de sacrament. p. p. cap. 9.
Magist. sent. distin. 13.
Perer. in c. 1. Gen. versu 5. fol. 86.
S Hieron. in cap. 2. Iona.
Levit cap. 13.
Stephan. Cantuar. in alleg. Tilm. apud Goti.
Ioan. Hage. in Gen. ver. 5 qu. 52.
S. Leo Pontifex serm. de jejunio.

21. Filius Dei charissimos sibi Apostolos erudire volens, quomodo regnum cælorum obtinerent, pusione exili advocato sic ad eos mysteriosè est fatus. *Nisi efficiamini sicut parvuli non intrabitis in regnum cælorum.* Revera obstupeo. Si cælum arx sit inexpugnabilis, intrepidè est pugnandum. *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Quomodo infantes inermes, ac inexperti dimicent? potius illos debere esse fortes dicere debuit. *Nisi efficiamini sicut viriles, senes, fortes, constantes &c.* Varia responsa adducere possem. Paschasius Ratber-

Matth. 18

Ratbertus pro humilitate illa explanat. *Non ut ætatem habeant puerilem, sed humilitatem, atque innocentiam, quam illi per ætatem annorum possident, isti per industriam, & virtutem, habeant puritatis.* Eusebius Emissenus subdit. *Merito parvulum Dominus vocat, ut ejus exemplo instruantur, qui majores videri volunt.* Et sanctus Maximus: *Ad imperium cælorum non pervenitur superbiâ, divitiis præfecturâ, sed humilitate, paupertate, lenitate. Arcta enim, & angusta via est, quæ ducit ad Regnum; quisquis ergo honoribus inflatus fuerit, & auri thesauris dilatatus, tanquam onustum, & impeditum animal per angustum regni iter transire non poterit.* Verum nullus Tertulliano magis è re nostra loquitur. Homines, qui ad ætatem provectam virilem scilicet, & senilem attigerunt haud amplius crescunt. Sed infantes, ac pueri continuo augmentantur. Christus ergo Discipulos imbuere voluit, nempe eum, qui veluti infantes crescunt corpore, sic in via spirituali quotidie novos gradus perfectionis acquirendo non crescit gloria cælesti indignum esse. *Ecce Christus diligit parvulos, tales docens esse debere, qui semper majores esse velint.*

S. Maxim. hom. in ca. 18. S. Matth.

Tertull. lib. 4. in Marcion.

22. In famulatu Dei, quo plura præstantur, eo plura præstanda manent. Et sapientiam humanatam id docuisse, dum dixit. *Estote perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est.* Credo: quomodo unquam homo perfectionem Dei æquet? hinc Paschasius: *Quomodo mortalis nostrum quispiam tam perfectus poterit esse, sicut Deus Pater perfectus est?* si perfectio Dei sit infinita, & nostræ operationes sint finitæ, quomodo sit possibile ad illam pervenire? infiniti hanc esse proprietatem Aristoteles ait, *Infinitum est illud cujus partes accipientibus semper restant aliæ, & aliæ accipiendæ.* Christus ergo dicens: *Estote perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est.* Nobis semper esse in perfectione crescendum, quia quo majorem perfectionem acquirimus, eo majorem acquirendam superesse insinuare voluit. Id voluisse inferre Guarricum Abbatem in illa verba divi Lucæ: *Parate viam Domini* credo. *Via Domini fratres, quam parare jubemur, ambulando paratur, parando ambulatur, & licet multum profeceritis in ea, semper tamen vobis restat paranda, ut de his, in qua pervenistis, tendatis, & extendatis vos in ulteriora.*

Paschas. Ratbert. lib. 3 in cap 5. S. Matth.

Arist 3. Phys Tom 34.

Ægid. in 1 dist 24. q 2. & 7. metaph. quæst. 14.

Luc. c. 3.

Guarric. Abb serm. 5. de Adventu.

23. Verùm quot sunt, qui ad columnas Herculeas se pervenisse imaginantur, & dicunt. *Non plus ultra,* vel qui per gradus meritorum se ad apicem vitæ inemendabilis conscendisse credunt, replicant cum divo Petro: *Bonum est nos hic esse.* Sed responsum merentur. *Nesciebat quid diceret.* Audite Theophylactum *Non est dicendum cum Petro, bonum est nos hic esse, oportet semper proficere, & non permanere in uno gradu virtutis, sed ad majora transire.* Non pauci sunt, qui dum se lassos in bonis operibus, ac servitio Dei censent dicere solent. Dum eram juvenis etiam jejunabam, Ecclesias frequentabam, genuum flexione horam transmittebam, in exercitiis spiritualibus frequens eram, sed modo decrepitus, ulterius non possum, complexio est debilis, ætas his ferendis non est par. De his scribit Chrysostomus: *In juventute quidem mea studium habui, in juventute jejunavi, nunc autem senui.* Et quid? ergo senes à bonis operibus eximantur? *Ne mihi veteres virtutes annumeres, nunc etiam juvenis, nunc etiam floridus, & vegetus esto.* David docet quod *justus ut palma florebit.* Quid justo cum palma? forsan, quod sicut *inclinata resurgit,* sic servus Dei ab hominibus conculcatus à divina majestate debeat evehi, ita ut hoc ei possit tribui eulogium;

S. Matth. cap. 17.

Theoph.

S. Ioan. Chrysost. hom. 7. in Epist. ad Hebr.

Psalm. 91.

Nititur in pondus palma, & consurgit in arcum,
Quo magis, & premitur, hoc mage tollit onus.

Alciat. Embl 36.

Remigius Antisiodorensis ait; *Notatur in palma, quod inferius circa radicem sit hispida, & superius floribus adornanda* Sanctus Geminianus hanc palmæ proprietatem esse docet, quod *quo annosior, eo fructuosior sit;* talis debet esse servus Dei, ætatis accretio, eum ad progressum in bonis operationibus stimulare debet. Est conceptus Hugonis Victorini: *Iusti conversatio tanquam palma, plus finiendo peragit, quam inchoando proponit.*

Remig. Antisiod. in Psalm. 91.

S. Gemin. Serm. 35.

24. Omnes illi servi, qui nummis à Domino sibi datis lucrum acquisierunt præmiis post reditum ejus sunt affecti. Sed ille, qui eos sudario involvit, & humo recondit non solum non præmium, sed & verborum acrium verberationem retulit: *Serve male, & piger.* Et quia nil lucratus est, severè est castigatus. *Inutilem servum ejicite in tene-*

D. Matth. c. 25.

Luc c. 19. *in tenebras exteriores, illic erit fletus, & stridor dentium. In sudario namque talentum reponit, qui gratiam sibi datam in hac carne laboribus, & fatigationibus tradita torpescere sinit.* Sunt verba Eusebii Emisseni. Sed quid de iis dicemus, qui *de bono in malum, & de malo in pejus, deficiunt, & non proficiunt,* tendunt, ac pro eo quod lucrentur plus amittunt & de malo in pejus declinant?

Euseb. Gallic. hom. 1. in Nat. unius Confess.

25. Mira, & mysteriosa fuit illa statua à Rege Nabuchodonosor visa non solum quoad diversitatem naturarum ex quibus fuit composita, sed etiam quoad dispositionem metallorum. *Hujus statuæ caput ex auro optimo erat, pectus, & brachia de argento, venter, & fæmora ex ære, tibiæ ferreæ, pedum quædam pars erat ferrea, quædam autem fictilis.* N. Metalla hæc valdè differre observate. Caput est aureum, humeri, ac brachia argentea, corpus & fœmora ærea, genua ferrea, & tandem infimæ partes terreæ: *Pedum quædam pars erat fictilis.* Hoc modo multi mundum fallacem deficere interpretantur. *In hac imagine sic se habet ratio mundi, cujus principia omnia erant aurea, hinc Poetæ auream illam ætatem descripserunt, post omnia in deteriora sunt prolapsa, siquidem nihil sit stabile sub cælo, sed omnia fluxa sunt, & caduca.*

Daniel cap. 2.

Iacobus Veld. in c. 2. Dan. v. 31 fol. 68.

26. Sed ego nec puncto à vero me aberrare putem, si eam eorum esse symbolum, qui ferventissimè Deo servire incipiunt dixerim. Initium ob perfectionem caput est aureum, Deum nec venialiter offendere verentur, aliquoties in hebdomada fonte, & cerere jejunant, in oratione mentali se exercent, quotidie communicant, exemplo bono omnibus præeunt, loca sacra qualibet die frequentant, ciliciis se macerant, sensuales concupiscentias flagris domant, verbo: est caput aureum; sed paulò pòst quantum argentum est vilius auro, tantum deficiunt in sanctitate, ac in spiritu tepescunt. In Ecclesiis, & oratoriis non sunt adeò frequentes, jejunia aliquo die relaxant, offensas leves tantâ curâ non vitant, illa divina non orbare gratia dicunt, communionem frequentem esse nimis se insinuare familiaritati Dei, dicunt, & pauco tempore ad æs, ferrum migrant, & demum cum non remaneat in iis vestigium Christiani terra fiunt, & omne scelus licitum faciunt, & pejus bestiis vivunt. Hoc sic deploravit Richardus: *Opus detestabile, & dignum confusione quod inchoatur ex auro, & consumatur in testea, & ferreo; sic namque describitur pedum pars ferrea, & quædam testea; ô confusibiles operarios, qui in initio conversionis suæ opus suum inchoant ex auro, & tandem consumunt in luto.* Ergo: *Durate, id est, perseverate, & vosmet rebus servate secundis.* Et ite in pace.

Richard. lib. 1. de erudit. interior hominis cap. 23.





O DOMI-

DOMINICA QVARTA
POST PENTECOSTEN.

Concluserunt piscium multitudinem copiosam, rumpebatur autem rete eorum, & impleverunt ambas naviculas, ita ut penè mergerentur.
Luc. cap. 5.

ARGVMENTVM.

Excessus in quolibet genere ostenduntur esse nocivi, hinc suadetur ut necessariis, ac mediocritate contenti simus.

1. DUo genera malorum in orbe, quorum unum in defectu, alterum in excessu consistit reperiuntur. Si ego interrogarer, quodnam horum homini nocivius sit, periculis scyllæ, ac charybdis me objectum viderem. Magna sanè miseria est necessitate premi, & cum necessitate semper dimicasse. Victus penuria, opum defectus, magnes sunt desperationis, præcipitia suadent, & velut stellæ fatales hominem in illa proposita, quæ vultui honoris larvam pudoris subtrahunt, pelliciunt. *Ad multa cogit nos necessitas mala*, ait Meandrus. Qui necessitati mancipatus est, hoc habet refrigerii, quod spes è miseriis evadendi omnis succollata sit, & quod clavo adamantino scamno miseriarum sit confixus. Et quod pejus est, si Sapienti credimus: *Oderunt eum insuper, & amici procul recesserunt ab eo*: quod mortem eam minus malum esse putantes sibi accinuerunt?

Meander. *Plinius lib 48.* *Proverb. cap. 19.*

2. Sed si postea oculos in damna, quæ à copia, abundantia, ubertate, in quocunque genere proveniunt reflectamus, nec hilo illa minora allatis credo. Cibus nimius officit sanitati. *Si immodicus, aut nimius fuerit cibus coctionem non admittit, sed corrumpitur.* Hic catalogum exemplorum tam sacrorum, quam profanorum adducere possem; sed præ aliis illud adsit, quod sacer Evangelista in stagno Genesareth contigisse recenset, ubi Apostolorum piscatio copiosa, excessiva, & abundans fuit. *Concluserunt piscium multitudinem copiosam.* En ubertatem. Sed satis nociva piscatoribus fuit, quia *rumpebatur rete eorum* Jubilo perfusi piscibus utramque scapham onerarunt: *Impleverunt ambas naviculas*; en excessum. *Ita ut penè mergerentur.* En incommodum. Sanctus Pater Ambrosius ex hac copiosa piscatione Apostolis quid sinistri est auguratus: *Sed mihi cumulus iste suspectus est, ne plenitudine sui naves penè mergantur.* Et divus Pater Augustinus dìsertè pronuntiat; *Melius est minus agere, quam plus habere.* Priscis certissimum adagium fuit, *Che il soperchio rompe il coperchio*; Hoc est excessu operculum frangi; & ne quis in excessu defectuosus esset, hoc documentum instillarunt: *Ne quid nimis.* Hinc dictum fuit;

Paschas. Iustus Abea lib. 2. fol. 194. *D. Luc. cap. 5.* *Ambros. in cap. 5. S. Luca.* *S. August. in Regula.*

Ne nimium cupias,
Ne nimium doleas.
Omne nocet nimium:
Mel quoque fel nimium est.

Terent. Act. 1. Sc. 1. vers. 34. Nicol. Reusner. Class 3. Symb. 14. fol. 99.

Idem hodie persuadere conabor, & quia de excessu, ac defectu est sermo, dum vos excessu vestræ attentionis mihi faveatis,

tis, ego excessu prolixitatis non ero molestus. Ordiamur.

PARS PRIMA.

Concluserunt piscium multitudinem copiosam, rumpebatur autem rete eorum.

3. Tam bona fortunæ, quam virtutum si ordinem, ac mensuram excedant nociva sunt. De bonis fortunæ experientia id clarè demonstrat. Spicæ nimiæ facilius decidunt, ac pereunt. Rami nimis pomis onerati levi negotio rumpuntur, & quia poma sunt nimis multa maturescere non possunt. Vela superflua in nave explicare, est eam in submersionis periculum conjicere. *Quanto plura fuerint vela, tanto vehementiorem tempestatem accedere necesse est.* Si vili merces multæ veneant, eas suspectas habe. Victus moderatus vitam fovet, nimius sanitatem lædit. Hinc Theodulphus:

Dionys.

Theodulph. in parem. ad Iudices part. 24.

Ergo caveto cibos nimios carchesia Bacchi
Somnos hæc mentem singula sæpe premunt.
Hæc ut parva fovent stomachum, sic plura gravabunt:
Multaque far necat, cum mediocris alat.

Nonnemo, ut refert Athæneus mensæ, cui nimis multi missus inferebantur accumbens finito convivio dixit: *Si semper ita comedissem, modo non manducassem.* Cibi nimium vitâ eum privassent. Non aurium, sed auri copia Torpejæ injecta eam neci tradidit. Ipsa pharmaca nimia, & excessiva sic docte quodam advertente Philosopho lædere possunt. *A valde, & assidue refrigerantibus cavendum.* Infirmo cuidam medicus vitrum Tamarisci præscripserat, ille nimis temerè crebrioribus haustibus virtute illius ligni robur sibi accreturum dum adagium: *Ne quid nimis* violat animam frequentioribus potationibus illius vitri abegit. Hispano cuidam valetudo sat firma erat, sed dum sanitati augendæ pharmaco corpus purgare voluit, humores alterati sunt, & gravem invaletudinem contraxit, quæ post paucos dies eum tumulo intulit. Hinc monumento hoc Epitaphium incidi voluit, *Io estava bien, y por estar mejor estoi à qui*, bene habebam, sed dum melius habere volui, hic jaceo.

Athæneus. *Zoroaster de monte Ilcino in consil. med. cons. 7 fol. 81.* *Stephan. Guatz l. 4 fol. 506*

Sanitas dum est optima si fidem damus Hippocrati periculum morbi minatur. *Habitus exercitatorum, qui ad summum bonitatis attingunt periculosi, si in extremo constiterint, neque enim possunt in eodem permanere, neque quiescere. Cùm verò non quiescant, neque possunt proficere in melius reliquum est igitur ut decidant in deterius.* Rursus ut testantur medici: *Somnus, atque vigilia utrumque si modum excesserit, malum;* Fames, ac satietas si terminos naturæ excedunt Hippocrates infausta omina infirmi judicat. Iterum: *Non pura, id est infirma, corpora quanto plus nutries, tanto magis lædes.* Reipsa: natura humana excessus in omni genere abhorret. Audite si Hippocrates magis è re nostra loqui poterit. *Plurimum, atque repente evacuare, vel replere, vel calefacere, vel refrigerare, sive quovis alio modo corpus movere periculosum, omne enim nimium naturæ inimicum.* Hunc Philosophum experientiâ forsan edoctum, quam nocivi sint corpori excessus non tantum speculativè, sed & practicè locutum credo. Hinc Euripides: *Morbos parit, nimium, quod est mortalibus.*

Hipp. l. 1. Apho. 3. *Idem lib. Apho. lib. 2. Apho. 4* *Idem lib. 2. Aph. 10.* *lib. 2. Aphor. 51. & 2. de rat. vic. in morb. acut. 34.* *lib. de ra. hom. Cels. lib. 1. cap. 2.* *Euripi.*

4 Sed ubi manet moralis Seneca? *Magni animi est, magna contemnere, ad mediocria malle, quam nimia. Illa enim utilia sunt, at hæc eo quod superfluunt nocent, sic segetem nimia sternit ubertas, sic rami onere franguntur, sic ad maturitatem non pervenit nimia fœcunditas.* Sanguis, quo nil nobis est charius, vel ob excessum quantitatis, vel qualitatum subindè minuendus est. En Petrum Blesensem. *Minuendi sanguis duplex est ratio, qualitas scilicet, & quantitas, nec minus perniciosa est superfluitas, quam corruptela. Quid autem amicabilius est humanæ naturæ quàm sanguis? quid jucundius homini, quam virtus? virtus ergo, quandoque minuenda est.* Veritas in remotissimis oris Æthiopiæ nigræ cognita. Geraldinus in templo quodam Regionis Aanneæ lapidem cum hac inscriptione: *Nihil supra modum agas, nihil quod medium excedat sequere, & omnia secura, omnia plana current.* reperiri asserit.

Seneca Epist. 39. *Petrus Blesens. serm. 16.* *Gerald l. 7 itin ad regiones sub equinoctio plaga constit. fol. 108.*

5. Servator noster discipulis suis hominem opulentum, omnibus bonis abundantem, & extremè divitem in parabola proponit; *Hominis cujusdam divitis uberes fructus*

D. Luc. cap. 11.

fructus ager attulit. Hic mente turbabatur, suspectus, & anxius hærebat, & volvebat, quid tot frugibus, quos à pluribus annis sibi terra produxit ageret hærebat; *Quid faciam, quia non habeo quo congregem fructus meos?* O infelicem! multitudo, & copia nimia frugum eum torquet, ac sibi ipsi molestum reddit. Quot acervos frugum continet granarium, tot dolores, & curas cordi nutrit. Numerosæ collectiones in campo, ei destructionem ædificiorum suadent. *Destruam horrea mea. Quis,* exclamat sanctus Basilius, *non misereatur hominis tantopere obsessi, implicatique, & ipsa agri felicitate infelicis, præsentibus bonis miseri, futuris miserioris. Quid terra illi segetes germinat? non, sed gemitus. Annona ne illi uberem messem congregari? nequaquam; nam curas, dolores, miserias, angustias coacervat. Non autem, quam egeni solent lamentatur. Annon hanc vocem emittit, qui paupertate premitur? quid faciam, unde victum, unde vestitum conquiram? Non enim gaudet quod domi omnia repleantur, sed pungitur animo ex affluxu divitiarum.*

S. Basil. apud Iansen. conc. in conc. Evang. cap. 85. in cap. 12. Luc.

5. Unio incredibilis inter Apostolos Christi vigebat, nulla ibi erat dissensio, unum cor, unum velle omnibus erat. *Multitudinis credentium erat cor unum, & anima una.* Præterea ut omnis fomes discordiæ sopiretur, in communi vivebant, meum, & tuum nemo allegare poterat, & cuilibet de communi velut de proprio disponere fas erat. *Nec quisquam eorum, quæ possidebat aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia.* Nihilominus in tanta concordia fidelium lis quædam oritur. *Factum est murmur Græcorum adversus Hebræos.* Sed unde hoc inconveniens scaturierit scire vellem. An forsan inter eos quidam malus erat, qui seminando zizania diaboli vices agebat? non; quia omnes boni erant, & susurro palam auditur. Ne miremini Auditores, numerus credentium augetur, multitudo fidelium crescit. Hoc mihi suspicionem ingerit. *Crescente numero discipulorum,* omnes erant boni, & multitudo eos pervertere poterat. Et illud, quod est ex natura sua bonum ab excessiva multitudine bonitate exui potest. Est observatio doctissimi Carthusiani. *Sed cum superius dictum sit, quod multitudinis credentium erat cor unum, & anima una, & singulis ministrabatur sicut indiguerunt, quomodo in tam sancto collegio inventa est dissensio? respondendum, quod numero Discipulorum crescente orta est murmuratio.*

Act. Apost. cap. 4.

Dionys. Carthus. in cap. 6. Actor. Apost.

6. Saul ille truculentus Christianorum persecutor, & lupus voracissimus insidias ovibus fidelibus perniciosas struebat, & apertè flammas ardentes odii inveterati in unda purpurea sanguinis hostilis se velle extinguere jactavit. *Accepit epistolas in Damascum, ut si quos invenisset hujus viæ viros, ac mulieres, vinctos perduceret in Ierusalem.* Et dum fidelium vestigia insequens Damascum appelleret, Deus è sublimitate cæli ei apparet, & aciem splendorum radiantium explicans lumine eum involvit. *Et subito circumfulsit eum lux de cælo.* Equus consternatur, ac sessori recalcitrat, puncturas laterum non curat, frenum vilipendit, vel diffringit, si verbis excitetur, spumat, hinnit, fugit, se exagitat, discurrit, hinc inde se versat, in gyrum se agat, saltat, sicut Saul nescio num ob furorem equi, vel fulgorem luminis equum comprimere non potens, è sella in solum fit excussus, oculis à radiis fit privatus. Socii in pedes eum erexerunt, & cæcum ad manus duxerunt. *Surrexit autem Saulus de terra, apertisque oculis nihil videbat, ad manus autem illum trahentes introduxerunt Damascum. Et erat ibi tribus diebus non videns.* Hic difficultas mihi oritur. Si lumen visus sit causa, quomodo in Saulo cæcitatem producat? si lux ex natura sua resplendeat, quomodo obfuscare, ac obnubilare oculos Sauli potuit? successus rarus. Non lux, sed nimius excessus lucis hunc effectum produxit. Splendores immoderati & oculis improportionati oculos excæcarunt, *Non,* ait Chrysostomus, *ille obscuritate tenebrarum, sed luminis nimietate excæcatus est.*

Actor. Apost. cap. 9.

Chrysost. hom. 4. de sancto Paulo.

7. Sanctus vates Daniel omnes funestos, ac infelices successus Regis Balthasaris recenset. Ipsâ nocte, quâ optimatibus Regni convivium instruxerat, ac inter gaudia, & delitias cum sibi charissimis tripudiabat, manus visibiliter sese

Daniel.c.5 sese ei objecit, & in pariete obvio nonnullos characteres efformans omnem hilaritatem turbavit, vultui pallorem induxit, linguæ usum ademit, terrorem omnium membrorum indidit; & pavefactum totam parum abfuit, quin peremerit. Eadem nocte Darius Medorum Rex in eum exercitum copiosum movet, hostili furore regiam urbem aggreditur, excubitores locis suis pellit, Aulam Balthasaris invadit, ac nemine obstante, & Balthasarum defensante tute Balthasarum vitâ, & Regno exuit. Hic tempus hujus tragici successus est observandum. Si de manu, quæ sententiam decretoriam ruinarum scripsit sit sermo, ait vates Daniel: *In eadem hora* Si de morte, & amissione regni. *Eadem nocte.* O horam infœlicem! ô noctem fatalem! si adeo fuit impius, ac sceleratus, cur Deus ad illam usque noctem tantâ tolerantiâ supplicium compressit? si crimina perversorum tam patienter toleret, cur pœnam ulterius non cohibet, vel in aliud tempus differt? non semel ante hac convivia etiam instruxit, & Idolis litavit. Forsan id factum ob profanationem vasorum sacrorum, quando *bibebant vinum, & laudabant Deos suos aureos, & argenteos.* Sed cur in ejus patrem, qui ea sacro templo Solimæo sustulit non desæviit? cur eâdem pœnâ non involuit simul optimates, Reginas, ac ipsos plebeos, & gentem vilem, qui ex ipsis bibebant? *Bibebant in eis Rex, & optimates ejus, & uxores, & concubinæ illius.* Cur solum Balthasarum castigat? ergo alia causa calamitatum ejus illa nocte, & horâ successarum assignanda est. Omnia Tragica necessario illi convivio velut causæ, quod non fuit usitatum, ac commune, sed quod omnia alia missium, ac dapium, convivarum, musicorum numero, qualitate antevertit attribuenda sunt. In hoc Balthasar excessit, sufficit quod Daniel antonomasticè dicat. *Balthasar fecit grande convivium.*

Iacobus Veld. in c. 5 Dan. fol. 171. Hic potentiam suam ostendit: *Nihil deerat pascendis oculis, ventri* plusquam necessaria abundabant. Et Divus Hieronymus id roborat. *In tantum venit oblivionem sui Balthasar, ut celeberrimum iniret convivium, & obsessus vacaret epulis, unde eadem nocte est captus, atque jugulatus, dum omnes occupati sunt festivitate, & ebrietate convivii.* Nil ergo miri

Hieron. in c.5.Dan.

si captura extraordinaria, & copia piscium Apostolorum retia diffregerit, & scapham pene merserit *Rumpebatur rete, & navicula penè mergebantur.* Verbo:

> *Fertilitas lædit ramos uberrima, sic sunt*
> *Fata secunda nimis, fata secunda minus.*

Georgius Nicola l.1. Epigr f. 16 epigram. 74.

8. Ab orbe condito incolis urbium Pentapoli nulla gens scelestior, vel nequior fuit. Sacer Textus illos pessimos vocans id declarat. Nullum vitium est, quod inter illos non regnabat. Adeo ut vitiis extirpandis cœlo ignes plui debuerint & fœtore sulphuris tot fœtores scelerum, quæ mundus, ac cœlum amplius ferre non potuit pellendi essent. Sed in quo hæ urbes terminos scelerum excedebant ut pessimæ, & peccatores appellentur? *Erant enim pessimi, & peccatores?* Philonem Hebræum interrogate, & ille luxus nimios, hilaritates excessivas, opes copiosas fuisse operum nefandorum causam, & radicem, cur cinere, & flammis haustæ sint respondebit. Equi qui nimiâ avenâ ingurgitantur petulantes fiunt. Si pater filio nimis ablandiatur statim fit insolens. Si illis urbibus opes tantum fuissent sufficientes, ac necessariæ, bonæ, & sanctæ fuissent, sed excessus, ac copia omnium bonorum fortunæ, immobilium causa eorum ruinæ fuit. *Immodicus civium luxus è superflua rerum copia habuerat originem; accedente nempe ad bonitatem agri aquarum commoditate. omnis generis fructuum quotannis proventus erat maximus, est autem ingens malorum initium bonarum rerum copia, quarum satietatem quidam non ferentes, tanquam jumenta lasciviunt à cervice excussis naturæ legibus, versi ad potationes cibos opiparos, & nefarios concubitus.*

Gen.c.13.

Philo Hebr. de Abr.

9 Populus Israëliticus ex Ægypto postquam discessit, ac mare rubrum peragravit post longum iter confectum ad campum planum sin inter montem Sinai, ac Elim situm appulit. Victus penuriâ laborabat, tellus erat aridum, fontana deerat dulcis, fructus vitæ sustentandæ nulli habebantur. In Moysen, & Aaronem insurrexit, & nemo non suas murmurationes evomit. *Et murmuravit universa multitudo filiorum Israel contra Moysen, & Aaron in solitudine.* Deus populo pluitione mannæ è

Exod.c.16

cœlo succurrere decrevit, circa quod Moyses hanc jussionem populo dedit. *Colligat unusquisque ex eo quantum sufficit ad vescendum. Quantum sufficit?* cur additur hæc limitatio, nec permittitur cuique colligere quantum libet? An forsan caritas erat? nequaquam. Moyses, quam sit semper nociva abundantia sciebat. *Quod nimium est, miserum est.* Nihilominus hæc gens manna fastidiens querulabatur dicens: *Nauseat anima nostra super cibo isto levissimo.* Vel ut legit Oleaster *Anima nostra angustiis affecit se propter panem levissimum.* Deus immortalis, & quam lamentandi ansam habuit? cibus erat delicatus stomacho congruens, acquisitu facilis, nullo labore acquiribilis, ergo gratus esse debuit. Videamus, si Salomon nonnihil lucis affundere possit. Ille sub figura panis de hoc manna loquens ait; *Paratum panem de cœlo præstitisti illis, omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suavitatem.* Quia omne delectamentum excogitabile habebat, fastidium ingerebat, quod nimii esset saporis nauseam provocabat, quod nimis esset gratus eum insipidum reddebat. Hanc causam Appollinaris antiquus scriptor in catena Francisci Zefiri citatus affert. *Vnum denique multiplex erat, neque dissimilis cibus ei, quo noster animus pascitur, qui cum unus sit, multis viribus præstat.*

Phocyll.

Hieron. Oleaster.

Sap. c. 16.

Appollinaris in catena Francisci Zefiri.

10. Regina Esther vestibus pretiosioribus, ac ditioribus ornata Aulam regiam catervâ Domicellarum stipata intrat; Regi Assuero in solio sedenti se sistit, qui modestâ ejus formâ captus signo eam ad se accersiit, quæ gradibus solii ad geniculata supremitatem sceptri, quod gestabat Assuerus osculo notavit. Rex porro subdidit: *Quæ est petitio tua, etiam si dimidiam partem Regni petieris, dabitur tibi.* Illa omnem aliam gratiam excutit; hancque solum à Rege postulat, ut convivium à se paratum suâ præsentiâ honorare dignetur, Amanque à Rege conducatus postulat *si Regi placet veniat, & Aman tecum ad convivium quod paravi.* Hic vos N. attentos desidero. Aman homo plebæus mensæ regiæ cum Rege, ac Reginâ assideat? favor hic adeo est excellens, ut à Regina medietati regni anteponatur. Nimia ei gratia fit, conditionem in amore habiti excedit. Deus tibi faveat Aman, honor qui in te confertur, quia excedit suspectum eum esse tibi juro, ac cum Divo Ambrosio dico: *favor iste suspectus est.* Non erro, quia Regina eum infensissimum sibi hostem declarat. *Hostis, & inimicus noster pessimus iste est Aman.* Et in crucem, quam Mardochæo paraverat eum agi jubet: *Suspensus est itaque Aman in patibulo.* Et si ubertas piscium scapham fermè mersit, favor magnus Amanum patibulo affixit. Audiatur Divus Ambrosius. *Quem secundum à se, ac præcipuum inter omnes amicos haberet, cruci tradidit.* Sic Rupertus Abbas: *Veniat Rex, & Aman ad convivium, quod paravi, ne prius audiat famam, quam subeat pœnam, ne prius videat foveam, quam incidat in eam, prudens, ac sciens commodius esse feram comprehensam intus opprimi, quam exterritam, & per saltus fugientem eum canibus dubio eventu insequi.*

Esth. c. 5.

Esth. c. 7.

S. Ambr. lib. 3. off. c. 15.

Rupert. Abb lib. 8. de vict. verbi Dei.

11. Hujus veritatis certiorem cognitionem quoad bona fortunæ nobis nemo melius, quam Divus Lucas ubi pœnæ Petri causam assignat instillare potuit. *Concluserunt*, inquit, *piscium multitudinem copiosam, rumpebatur rete eorum. Impleverunt ambas naviculas, ita ut penè mergerentur.* Quis unquam bona virtutum ejusdem esse conditionis crederet? hanc instructionem Divus Paulus Apostolis reliquit. *Non plus sapere, quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem.* Quæ verba Sedulius sic explanat. *Apertè ostendit hoc nos debere sapere, quod justitiæ terminos non egrediatur, sed sapere inquit ad sobrietatem: sapere ergo ad temperantiam hoc est in omnibus, vel quæ agimus, vel loquimur, vel sentimus temperantiam teneamus.* Hinc Martialis: *Quisque plus nimio non sapit, ille sapit.*

Ad Rom. c. 12.

Sedulius Hyber ibi. in Bibli. vet Patr. t. 5. f. 473 col. 1.

Thaletes Milesius è celebrioribus Philosophis, quos ævo illo Græcia protulit mirè Astrologiæ deditus erat, & illi maximam partem studiorum impendit. Quadam nocte dum cœlum serenum esset, ac pallium suum venustum stellis distinctum explicaret; fronte erectâ oculis fixis, mente composita è platea summo desiderio stellarum motum, planetarum cursum cognoscendi flagrans cœlum observabat. Et adeo fixè his objectis infigebatur, ut pedem movens in foveam inadvertenter prolaberetur. Ancilla igitur hac instructione eum perstrinxit, sic plura scire volenti

lenti contingit, cognitione terrestrium non quietaris, sed & cœlestia penetrare vis? nimium scire, vel scire velle crebro obest. *Non plus* idcirco dicebat Apostolus, *sapere, quam oportet sapere.* Virtutum mediocritatem transilire, & ad apicem summum velle pertingere periculo etiam non caret. Hinc Laërtius: *Stateram non transiliendam, hoc est, æquum, & justum non transgrediendum.*

Diogen. Laër in vita Pytagora lib. 8. f. 487.

12. Inter omnia documenta, quæ sapiens Salomon reliquit, illud quod justitiam concernit maximi momenti esse judico. *Noli esse justus multum, neque plus sapias, quam necesse est. Quid?* sanctitas eximia prohibetur. Ergo non vis homines magnâ justitiâ pollere? ego priusquam jussionem replices, jam primæ tuæ præceptioni satisfactum iri ab hominibus securum te esse velim. Salomon excessum scientiæ, ac justitiæ esse velut sal quod sine mensurâ ferculis injectum pro condimento amarorem iis dat sciebat. Hinc Gregorius Nazianzenus: *Ne magnopere justus sis, ne supra modum sapias: nemo igitur sapientior sit, quàm convenit, nec lege exactior, nec luce splendidior, nec præcepto divino sublimior.* Quis ignorat quod *summum jus, summa injuria, summa crux, summa malitia est.*

Eccl c. 7.

Gregor. Nazian. orat. quod est cujusvis, &c.

13. Divus Matthæus scribam quendam Christum adiisse, & ab eo instanter in discipulorum ejus numerum coaptari rogitasse, pollicendo omni fidelitate, & exactissimâ curâ se ei obsequuturum, & ad quæcunque loca quantumvis ardua, & remota ejus sequelæ inhæsurum commemorat. *Accedens unus scriba ait illi, Magister sequar te quocunque ieris.* Christus non solum ejus obsequia non acceptat, sed eum ut vulpem malitiosam tractat: *Vulpes foveas habent, &c.* Sed si illi nulla major delectatio, quam homines ad sui sequelam trahere, cur modo sese ultro offerentem non admittit? difficultas mihi augetur, quod eodem tempore quidam discipulus patrem suum devixisse audiens veniam ad parentandum patri, quod opus misericordiæ est postularit, nec tamen impetrarit, & ne abeat à Christo sit vetitus, haud dubio non defuturum in domo patris sui, qui illud officium præstet. *Domine permitte me primum ire, & sepelire patrem meum. IESVS autem ait illi: sequere me, & dimitte mortuos sepelire mortuos suos.* Quænam est hæc partialitas nostri redemptoris? hic vult abire, nec ei annuitur, ille vult ejus sequelæ se tradere, nec admittitur. Paschasius Abbas utramque difficultatem diluit. Scriba: *Accessit non fide, sed tantum labiis dicendo magister sequar te.* Et paulò infra subdit: *Vult se qui non ut imitetur, sed ut de miraculis, & virtutibus lucrum, aut vanam quærat gloriam.* Sed discipulo ob hanc causam ait idem Paschasius veniam discedendi non præstat. *Quod autem dicit. Permitte primum ire, fallitur licet non de studio, dum ad opus pietatis ire festinat. Hoc enim ei non primum esse debuerat, sed secundum. Quia prius est in prima legis tabula Deum diligere, in secunda vero patrem honorare.* Alia responsa adferre possem, quibus brevitatis causâ supersedeo. Solum scribam à Christo suæ sequelæ ineptum judicatum dicam, quia promissis nimium dives fuit, & excessit: *Sequar te quocunque ieris.* Perinde, ac diceret: si tu ô magister ad pœnas sustinendas vadas, & ego tecum sustinere volo; si sanguinem spargas, & ego eum spargam; si in jus ad tribunalia voceris, & ego ibi me sistam, si ad Calvariæ rupem te conferas, ego non emanebo, si in crucem actus inter duos latrones neci tradaris, ego idem præstabo. Verbo Christum perfectione æquare voluit. Hoc profecto est nimium, terminos transilis, excedis, mihi inutilis es, alium quære magistrum, ego te nolo. Conceptus est Paschasii: *Nec dum sciebat quinam, vel quantus esset, quem sequi se promittebat quocunque iret, alicquin quomodo promitteret, quod nemo mortalium in hac vita potest, licet post finem vitæ dicatur de sanctis, qui empti sunt de terra ex hominibus primitiæ Deo, & agno, quod sequantur eum quocunque ierit. Sed iste nec suam perpendit mensuram, nec Christi considerat celsitudinem, ignorans quid, vel quantum inter se, & illum esset.* Et en doctrinam Divi Petri Chrysologi, quæ id confirmat. *Decipit non accedit, qui promittit Dominum incautè sequi, sed ad omnia, dixisset cautius, sequar te, quocunque ieris, sic dicit qui inter se, & Dominum quid intersit ignorat.*

S Matth. cap. 8.

S. Matth. cap. 8.

Paschasius Ratber. lib 5. in Evãg.

S. Matth. c. 8 in Bib. vet pat. p. 2. sec. 9. f. 10. 15 col. 2 & 10. 16. col. 1.

Paschasius Ratber. ibidem.

D Petr. Chrysolog. serm. 19.

14. Salvator postquam cum discipulis cœnam absolvit, ut amorem suum erga eos demonstraret plantis eorum abluendis se succinxit: *Mittit aquam in pelvim, &*

cœpit

cœpit lavare pedes discipulorum. Et dum adgeniculatur Petro, hic stupore defigitur.

S. Io. c. 13.

Domine tu mihi lavas pedes? nec possum, nec debeo hoc officium admittere, Deum ad actionem tam vilem sese deprimere dedecet, quis unquam servi pedes à Domino perlui vidit? *Non lavabis mihi pedes in æternum.* Sed sanctus Senex, ut Christum instantem audivit; *si non lavero tibi pedes, non habebis partem mecum.* Ne ad aliquem scopulum allideret non solum ejus votis annuit præbendo pedes, sed & caput, ac manus porrexit. *Non solum pedes, sed manus, & caput.* Subintrat hic Rupertus Abbas, & quærens num hæc actio Petri laude, vel vituperio digna sit, tandem subdit:

Item Glossa.

Erravit Petrus. Certè ego, quem errorem Petrus commiserit ignoro, si antea illud officium non admisit, humilitatis, ac comitatis is fuit actus, si postea pedes, manus, caput obtulit id magistro contentando, ac delectando fecit; & hinc Divus Ambrosius utramque actionem laudat:

D. Ambr. lib 3. de sacr c. 1. fol. 270.

Vide fidem, quod ante excusavit humilitatis fuit, quod postea se obtulit, devotionis fidei. Albertus Patatinus nodum difficultatis tangit; pedes porrigere sufficisset, sed ad extrema declinavit, & excessit, dum manus, & caput etiam perlui vult. Verè Petrus excedendo in hoc deliquit. *Excessum Petri Christus temperat,* concludit Albertus. Ad hoc propositum credo, quod ita determinent legistæ. *Melius est pauca cautè agere, quàm multis interesse periculosè.*

Alb Patan. ser. 5. fer 5 majoris heb in Ord. 252. fol. 377. col 2 In aut. de tabel. circa me cap. 4

15 Ipsemet Deus in exordio mundi quadam vice excessus, quam sit perniciosus ipsis etiam creaturis irrationalibus, ac insensibilibus ostendere voluit. Chronista Moyses Deum sex diebus creationis nunquam pluvias manasse refert.

Gen. c. 2.

Non enim pluerat Dominus super terram. Herbæ, plantæ, quæ pluviâ fœcundantur, tertia die fuerunt productæ, & forsan irrigationem aquarum cœlestium sitiebant. Hinc Abulensis:

Tost Abul q 5 in c 2. Gen. f 21. col. 2. l. c.

In quatuor diebus, qui fluxerunt à die, quo herbæ, & arbores creatæ sunt, usque ad diem, quâ homo positus fuit in paradyso, non pluit. Expositores hujus loci plures causas assignant, & specialiter Divus P. Augustinus in hanc ivit sententiam, ut Deus scilicet demonstraret, se in productione, vel conservatione herbarum, plantarum, vel aliarum rerum non indigere adjutorio pluviæ, vel alterius alicujus rei.

P. Aug. lib 5. in Gen. ad liter. c. 6

Adjutorium necessarium est, ut cuncta nascantur, tunc autem defuit, ideo fecit Deus hæc potentia verbi sui sine pluvia, & sine opere humano; nam etiam nunc facit, sed jam per pluviam, & hominum manus, quamvis neque qui plantat sit aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus. Revereor doctrinam mei sancti Patris Augustini; si ad nunc opinioni Eucherii, qui causam è verbis, quæ sacer textus subjungit deducit, adhæreo. *Sed fons ascendebat de terra irrigans universam superficiem terræ.* Id est; *Non dum pluvia erat, sed fontes per universam terram suis opibus, quæ locis erumpentes, regiones proprias irrigabant.* Sed cur hoc? quantumvis fontes irrigarent terram, annon & utile fuisset si aquis cœlestibus fæcundarentur? revera terra sufficienter aquis fontium humefacta erat, unde si herbas, plantas, ac fructus cœlum etiam suis aquis irrigasset, nimia aqua non illis proficua, sed perniciosa fuisset. *Non pluerat Dominus super terram.* Hoc etiam mihi catena Græca docere videtur.

Catena Græca in c. 2 Gen.

Præterea terra sine hominis culturâ, sine imbriferis nubibus germinavit ad opificis voluntatem ut quæ à recenti aquarum separatione, satis adhuc humoris, & uliginis in se contineret.

16. Idcirco servi Dei, qui quantum copia & excessus sit damnosus, & noxius sciunt necessario victu contentantur. Jacob iter in Mesopotamiam aggressurus, ut iter tutum redderet, ac Deus illud prosperaret, hoc ei fecit votum.

Genes. cap. 28.

Si fuerit Deus mecum, & custodierit me in via, per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad vescendum, & vestimentum ad induendum, reversusque fuero prospere ad domum patris mei. Erit mihi Dominus in Deum. Modum, quo sanctus Patriarcha panem, & vestitum à Deo flagitat, absque ponderatione non est negligendus. *Panem ad vescendum, & vestimentum ad induendum.* Panis nonnisi ad esum, ac vestis ad indumentum servit. Ergo superfluè dixit: *Ad vescendum, & induendum,* dicere sufficiebat; *si dederit mihi panem, & vestimentum.* Melius dicere non potuit, ut se à Deo nec nimium, nec nimis multum, sed tantum panis, quantum fami solandæ sufficeret, & tantum vestium, quantum tegendo corpori valeret postulare demonstraret.

Non

D Ioan. Chrysost. *Non divitias* ait os aureum, *non abundantiam quandam petivit, sed panem, & vestem, hanc ad contegendum corpus, illum vero ut necessarium alimentum.*

17. Hinc filius Dei nonnisi panem quotidialem à Patre æterno postulare docet. D.Luc. c.11. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Si Alexander injuriæ loco reputavit tam exile quid à se postulari, qui pater æternus cum sit Dominus omnium non ægrè feret, si tantum panem ab ipso emendicemus? cum pane etiam ferculi delicata, & vina pretiosa rogare deberemus. Aliud hic dubium mihi oritur. Eccur panis huic diei necessarius nobis tantum sit flagitandus? ergone magna res esset panem pro hebdomada, pro mense, pro anno rogare? Primam difficultatem Chromatius Aquileiensium præsul solvit. Chromatius Episc. Aquileæ in c.6 Matth. *Non jubemur divitias petere, aut effluentiam sæcularium rerum, sed panem quotidianum, quod Christianis fide viventibus ad præsentem vitam solummodo necessarius est, usus autem hominis panis, aqua, & vestimentum, his quidem natura sobria contenta est, licet humana cupiditatis expleri nequeat vorago.* Alteram Divus Cyprianus elucidat: Cyprianus apud Iordannm de Sax. in Expl or. Dom. 294. *Panem quotidianum petere instruimur, ut tantum quis manducet, quantum ratio naturalis exigit, non quantum lascivia carnis impellit. Si enim in uno convivio tantum expendas, quantum tibi sufficere potest centum diebus, jam non quotidianum cibum manducas, sed multorum dierum.* Utraque petitio excessiva foret, ac magis noxia, quam utilis. A.Gell. lib. 4. *In omnibus adhibendus est modus necessarius, nam gratia nimia est, & immodica, nec laudabilis, nec utilis.*

18. Si copia piscium quos tamen ope divina ceperunt fermè scapham Petri aquis hauserat, quomodo opum ubertas vobis periculum æternæ damnationis non minitabitur? annon recreationes, delectationes quibus cum damno animæ, cum læsione honoris; cum offensione Dei dediti estis nimiæ sunt? & si terminos transire virtutum sit cautum, quanto magis excessus vitiorum erit vetitus? & tamen numerus horum magis quam piscium Petri accumulatur. Et merito dici potest: D. Matth. cap. 24. *Abundat iniquitas, & refrigescit charitas.* Nullum est vitium, quod in corde humano non sit multiplicatum. Oseas c. 4. *Maledictum, & mendacium, homicidium, & furtum, & adulterium,* Et omne aliud vitium *mundaverunt*, ait Oseas. Ps. 49. Isai. c. 1. *Os tuum abundavit malitiâ, & lingua tua concinabat dolos. Manus vestræ* proximi *sanguine plenæ sunt.* Verbo; mundus plura vitia, quam scapha Evangelica pisces numerat. Si sermo sit de peccatis exceditur in numero, ac multitudine. Sed ego nimiâ prolixitate vobis nimium molestus esse volo.

ALTERA PARS.

19. Si multum sit causa malorum, pauco quod bonum producit contenti esse debemus. Apud Philos. *Oppositorum namque est eadem ratio.* Ps. 65. Illa verba Davidis; *In flumine pertransibunt pede, ibi lætabimur in illo*; consideratu digna sunt. *Quid est flumen?* inquirit Divus P. Augustinus; S.P. Aug. in Ps 65. l. F. *Flumen est omnis mortalitas sæculi. vide flumen, alia veniunt, & transeunt, alia transitura succedunt, nonne sic fit in aquâ fluminis, quæ de terra nascitur, & manat* Et Remigius à Davide per hoc flumen totum mundum intelligi censet. Remig. Antisiodor in Ps. 65. *Flumen est mundus totus, quia dum hoc decedit, illud succedit.* Et demum Cardinalis Bellarminus si mundus sit flumen, aquas in illo contentus debere esse opes humanas concludit. Cardin. Bellar. in Ps. 65. n. 5. fol. 379. col. 1. *Facit per gratiam suam Deus, ut multi jam transeant per hoc mare quasi per aridam, & flumen pertranseant pede, idest facillimè temporalia omnia sive bona, sive mala despicientes.* Tota mea difficultas in hoc, quod flumen hujus mundi, aquæ terrenarum opum pede unico sulcandæ sint consistit: *Pertransibunt pede, & non pedibus* Quomodo unico incedere pede sit possibile? Rupertus Abbas hanc esse instructionem pro prælatis responderet. Rupert. Abb. apud Lyran. *Uno pede terræ innitens, alterum à terra suspendens, id est activam vitam pro cura subditorum non omnino relinquens, & contemplativæ, pro cujus dulcedine totis viribus inhærens.* Nullus hunc textum è re mea melius quam Hugo Cardinalis ponderat. Duo pedes necessitas, ac delitiæ sunt. Utroque pede per bona mundana ambulare, nimium est, & valde periculosum, rete levi negotio frangitur. *Flumen vocantur delitiæ, quæ fluunt, & efficiunt, duo pedes necessitas, & voluptas Dicit pedes in singulari, quia unum tantum pedem debemus mergere, in aquis hujus fluminis, ut sumamus de rebus transitoriis, tantum ad necessitatem, non ad voluptatem. Hoc flumen pertran-*

ſeunt multi duobus pedibus, quia accipiunt bona tranſitoria & ad neceſſitatem, & ad voluptatem. Sed qui neceſſariis contentus unico ambulabit pede non eſt quod timeat, ſed bona majora ſperare poteſt. *Ibi* concludit Bellarminus, *lætabimur in ipſo, id eſt in Deo, ipſum videntes facie ad faciem, non ſpe gaudentes, ſed ipſo in æternum fruentes.*

Bellarmin. ubi ſupra.

20. Hanc politiam filius prodigus ad patrem redeuns obſervavit. Hic Adoleſcens profundo miſeriarum immerſus, fame exhauſtus, errorem agnovit, & ad domum paternam hanc ſperans eſſe prudentiſſimam reſolutionem reverti propoſuit, *Vadam ad patrem meum, & dicam ei: Pater peccavi in cœlum, & coram te, jam non ſum dignus vocari filius tuus, fac me ſicut unum mercenariis tuis.* Quanta delitiis in domo patris fruendi occaſio eſt, ſervis omnia ad votum ſunt, degunt in Appolline. His quercubus valedicere, hunc gregem deſerere volo, qui vult, eorum curam habeat. Ad patrem redibo, illi ut numero ſervorum me admittere dignetur ſupplex fiam, omnium viliſſimus eſſe contentor. *Vnam ſpem*, ait Ianſenius, *habens in paterna ejus clementia, ob quam petere audeam non quidem, ut in priſtinum locum me recipiat, nam eo me plenè indignum feci, ſed ut ſaltem inter ſuos mercenarios habeat.* Annon vides, quod tuæ conditioni præjudicas? An tibi id decens videtur, quod filius Domini ſervis ad numeretur, ac ſervitia abjectiſſima domus præſtet? ut te in filium recipiat, & priſtino gradui reddat roga. Ut filiationem obtineret, ſervis aſſcriberetur rogare debebat, ut priſtinæ dignitati reſtitueretur humilis ſors famulorum ipſi poſtulanda erat; multum ergo obtinendo nullum eſſe efficacius medium, quam parum rogare judicavit. *Fac me ſicut unum ex mercenariis tuis.* Eſt ponderatio ſancti Ephrem Siri. *Qui nudus advenerat, prima ſtola indutus eſt, quique pro mercenario recipi optaverat, in Dei ordinem reſtitutus eſt.*

Luc. c. 15.

Ianſenius comment. in concor. Evang. c. 94. f. 323. col. 1. lit. D

S. Ephrem. 2. de lamēt. ad animam neg.

21. Qui pauco non contentatur, ſed multum appetit utrumque perdit. De quodam legum doctore Angelo Raus Neapolitano, qui plurium clientium cauſas defenſabat, aliquid ad propoſitum legi. Hic cujuſdam non benè nummati litem propugnabat; qui, quia advocatos ſupplicibus libellis aureis characteribus exaratos alloquendos eſſe ſciebat, nummos quæſivit, & nonnullis monetis cupreis ejus manum illinivit. Advocatus eas admiſit, & quia nec qualitate, nec quantitate ſua vota æquari vidit, eas reddidit alleg ans injuriam ſibi tam exiguo donario irrogari, ſequentique die rediret donarium auro auctum referret: dixit miſer homo aliam non habens monetam ad Advocatum non rediit, qui ſe, & exiguo, & multo orbatum videns tantâ eſt pœnitudine affectus, ut à ſerva ne deinceps ſimilem errorem committeret, egregiè delumbari ſe fecerit. Et ſic, ſi multum non poſſet habere paucum admittere reſolvit.

22. His idem quod piſcatoribus ſuccedit. In nonnullis locis marinis hic piſcandi modus viget. Retia in loco ubi multi ſunt Delphini explicant; hi ingenti catervâ piſcium ſtipati rete intrant. Piſcator ergo, ut ſufficientem capturam ſe habere putat, vocis ſigno Delphinis egreſſum ſignificat, & illi abeunt, & alii piſces præda piſcatorum fiunt. Sed ſi illis non contentus Delphinos etiam velit; hi magnitudine ſua retia rumpunt, & tam hos, quam illos amittit.

Auctor rerum mirabilium claſſe de piſcin. c. 7. fol. 476.

23. Scripturæ ſacræ non deſunt. Petrus Romam pervenit, ubi velut in theatro pomposè donum patrandi prodigia ſibi à Chriſto collatum oſtentabat, & impoſitione manuum iis, qui ſe fidelium numero jungebant communicabat. Quidam certus Simon Magus, ut famam hominum ſibi conciliaret ope diaboli mira præſtabat, & plures falſitates perſuadebat. Solus Petrus ei obſiſtebat, & eum impoſtorem, ac peſſimum proclamabat. Temerè patratione miraculorũ cum Apoſtolo certamen inire præſumpſit. Quadam die itaque omni plebe congregatâ filium ſe eſſe verum Dei deprædicabat, & ut huic rei fidem conciliaret, volatu in cœlum id probaturum ſeſe jactabat. Dum ergo ope diaboli in aërem levatus volaret, Petrus adgeniculatus ſolo temeritatem illam magi caſtigari rogavit, & antequam ille volatu ad aſtra pertingeret, jam preces Petri aſtra ſcanderant, & petitio Petri præſumptionem impii antevertit. Ex ea ſublimitate, ad quam ope dœmonum emerſerat præcipitatur, ad petram alliditur, ita ut membra,

bra, & ossa conquaterentur. Divus Maximus hunc locum hoc conceptu illustrat dicens, Simonem nimis temerarium fuisse, dum non contentus fuit velût homo per terram gradiri, sed instar avis versus cœlũ volare voluit, ideoque justè, & usu pedum, & alis privatum præcipitatum fuisse. *Tunc igitur* scribit dictus sanctus, *Petrus velut vinctum illum de sublimi verè deposuit, & quodam præcipitio in saxo elidens ejus cura confregit, & hoc in opprobrium facti illius, ut qui paulo ante volare tentaverat, subito ambulare non posset, & qui pennas assumpserat, plantas amitteret.*

D. Maxim hom. 5 de SS. Apost. Petr & Paul.

24. Ab impio mago ad tres sacros magos orientis pergamus. Audite. Postquam fama natum regem ad eos detulisset, eum visitare, ac debitum præstare homagium resolverunt, sed quia in qua provincia, vel regione mundi natus esset, ignorabant, quo iter dirigerent nesciebant; nihilo secius itineri se committunt, & dum anxii periculosos movent gressus, in aëre stellam comparere vident, quæ nutibus radiorum ducem viæ, & ad natum Regem eos velle conducere, se se offerre videbatur. Toto itinere ejus ductum sequuntur, Hierosolymam veniunt, in Aula Herodis humanissimè admittuntur, & habentur. Ibidem solertissimè aliquem, qui eos informet, ac dux viæ sit, inquirunt. *Vbi est, qui natus est Rex Iudæorum?* sed quid succedit? meum beatum Thomam Valentinorum Antistitem interrogate: hic ait; *Dum ab hominibus nati Regis ortum inquirunt, ejusdem Regis fulgidum ducem amittunt.* Stellam, quæ eos è regnis eorum præcesserat, eam tantum Hierosolymis perdunt. Nec hoc evenit sine mysterio ait idem beatus, si sidus cœleste ducem habebant, quid duce indigebant terrestri? nimios duces volebant, uno contenti esse debebant; hinc uno sunt privati, & alterum non invenerunt, *Humanum enim flagitantes consilium, divinum amisere ducatum, & conversos ad terrenum documentum, cœleste deseruit signum.* Idem Jordanus à Saxonia corroborat: *Stella deduxit eos ab Oriente usque propè Ierusalem & tunc abscondita est ab eis, quia justè divino auxilio deseruntur, qui quærunt humanum.* Iisdem verbis idem glossa ordinaria scripsit.

Auctor rerum mirabilium classe de piscin. c. 7. fol. 476.

Matth. c. 2

B. Tho de Vill. conc. 1 de Epiph. f. 82 col. 2.

Idem ibid.

Iordan. de Saxon serm. 40. de Epiph.


25. Suo malo Dæmon id fateri poterit; quod quia illo, quod natura, & gratia sibi concesserunt non acquiescebat, sed amplius prætendebat omni bono possesso exutus sit, & quod optabat, non obtinuerit. Hic superbus nebulo locum suæ dignitati convenientem sibi à Deo largitum despiciens, nec venustate Angelicâ, quæ vultum exornabat contentus, locum mutare, ac solium suum throno Dei superferre volebat. *Super solium Dei exaltabo solium meum,* & decorem infinitum soli Deo proprium appetivit. *Similis ero altissimo.* Nunc quale lucrum retulerit ab ore aureo postulate. *Dum Diabolus voluit appetere, quod non erat, perdidit quod erat:* cœlum lusit, & orco destinatus fuit, pro venustate, & excellentiâ Dei donis gratiæ exutus fuit, ac in ipsam deformitatem in abstracto est mutatus. Non quiescens æternitate gloriæ, æternitati pœnarum fuit addictus.

Isa. c. 14.

Io. Chrys.

26. Hoc illis helluonibus obvenit, qui nonnisi multo contentantur, & aureos possidere puteos volunt, thesaurumque multo uberiorem, quam ceperint Apostoli pisces, habere appetunt. Multo latriam exhibent, & cordi eorum hæc inscriptio est insculpta. *Nunquam sufficit.* Quod Dionysius Siracusanus pallium Jovi, Barbam auream Æsculapio eripuerit velut portentum recensetur. Verum hi retia cupiditatum extendunt, ut scaphas insatiabilis aviditatis impleant. Tandem cum Divo Petro exclamare cogentur. *Per totam noctem laborantes nihil cepimus.* Cum opum conditio sit manibus velut nubes ad solem, cera ad ignem, nebulæ ad vẽtum diffluunt elabi. *Et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis.* Rationem dat Divus Gregorius: *Quia aut nos illa moriendo deserimus, aut illæ nos vivendo deserunt pereundo.* Et Ludolphus Carthusianus, *Deficiunt, & pereunt.* Illæ pereant, nos salvemur, ac ite in pace.

Greg. in Iob. Ludolph. Carthus.



DOMINICA QVINTA

POST PENTECOSTEN.

Si offers munus tuum ad Altare, & recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversus te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo. S. Matth. cap. 5.

ARGVMENTVM.

Concordia Deo est gratissima, & nobis utilis.

1. Eus ne sit acceptor personarum ex suâ rectâ justitiâ, & infinitâ bonitate nullius personam respicit. Et qui aliud crederet veritati Evangelicæ Divi Matthæi refragaretur. (Matth. c.22.) *Non enim respicis personam hominum, & non est tibi cura de aliquo.* Nihilominus, dum quando sacratæ Genesis quandam historiam considero, ab experientia me in alteram opinionem transferri sentio. Cain, & Abel Deo libabant, hic è grege pecus, ille fructus terræ altari imposuit. Deus victimam Abelis habet acceptam, Caini vero hostiam recusat. (Gen. c. 4.) *Respexit Dominus ad munera Abel, ad munera Cain non respexit.* Hujus partialitatis hic causam inquiro. Responderet Eucherius Abelem velut justum, & innocentem magis participasse quid cœlestis, quam terrestris, Cainum vero velut peccatorem, ac scelestum magis terrestris, quam cœlestis naturam habuisse. (Eucher. in Bibl. vet. PP. to. 5. f. 789. c. 2.) *Sicut Cain sacrificium ex terra fructibus reprobatur, Abel autem sacrificium ex ovibus, & earum adipe suscipitur; ita novi testamenti fides ex innocentia grata Deum laudans, veteris testamenti terrenis operibus antefertur.* Abulensis causam dat, quod Abel maximam ovem è grege obtulerit. (Abulen. in c. 4 Gen. f. 48. col. 1. G. H.) *Obtulit de primogenitis gregis sui, quia primogenita sunt pinguiora, & meliora aliis.* Sed Cain: *Obtulit de fructibus terræ, scilicet, de frugibus, sed de pejoribus, & corrosis, vel putrefactis.* Tres alias causas adducere possem, sed ne prolixus sum eas omitto, ac solum illam, quæ ad propositum tam meum, quam hodierni Evangelii facit adfero. Inter Labanum, & Jacobum ob nonnullas dissensiones lis orta fuit, nihilominus Jacob sacrificaturus primo litem componere cum socero voluit, ac fœdere inito prius immolavit. *Immolavitque victimas in monte, vocavit fratres suos, ut ederent panem.* (Gen. c. 31.) Sed quid causæ fuit, cur Jacob antequam litaret adversario reconciliari voluerit? *Cur prius cum Labam fœdus init, quam Deo sacrificet?* respondet quidam modernus: *Quia sciebat sacrificium conjunctum cum reconciliatione proximi, maximè Deo placere, & alias displicere.* (Io. Haye tr. 5. in Gen. c 31. vers. 51. fol 665 num. 273.) Si Cain cum Abele, cui succensus erat idem fecisset, Deus ejus oblationem gratam habuisset, sed quia sic dicente Paschasio; *Indignationem in animo contra fratrem gerebat*, ideo; *Non respexit Dominus ad munera Cain.* (Pasch. l 4. in mat.) Nil ergo miri, quod hodie salvator, ei qui adversus proximum odium corde fovet, priusquam immolet de pace tractet persuadeat. *Si offers munus tuum ad altare, & recordatus fueris, &c. Vade prius reconciliari fratri tuo. Quia si contra proximum quippiam mali in animo gerimus,* (ait Paschasius Ratbertus.) *Munus Deo, quod placeat offerre non possumus.* (Pasch. Rat l. 3. in Mat. ibi in Bibl. vet. PP. to. 9 pag. 2.) Quam ergo concordia Deo sit grata & utilis nobis, hic tractare poterimus. Et quia sermo est de concordia, ne lis oriatur,

tiatur, primo ut ego sim brevis, vos attenti, conveniamus; ordiamur.

PARS PRIMA.

Vade prius reconciliari fratri tuo.

2. CONcordia: *Est unio appetituum diversorum appetentium.* Vel: *Diversorum cordium voluntates simul in unum consensum convenientes.* Et hæc unio, concordia ab Ethimologia plurium cordium moraliter unitorum vocatur. Hinc Romani ut eam exprimerent, liram cujus fides digiti experti phonasci pererrabant ita ut nulla esset dissonantia depingebant. Alii eam in caduceo Mercurii, ut in antiquis monetis videre est concordiam designarunt, quia illo duos serpentes dimicantes pacavit, qui & ideo in illo sunt depicti. Huc voluisse alludere Isidorum credo: *Concordia est convenientium in rectitudine animorum, indirupta quadam, & unita complexio.* Divus Pater Augustinus hanc doctrinam tradidit; *Concordare cum adversario tuo, nescio, quando via finiatur, cum via finita fuerit, judex restat, & ministeri & carcer. At si servaveris adversario tuo bonam voluntatem, & cum eo consenseris, pro judice invenies patrem, pro ministro sævo, Angelum tollentem in sinu Abrahæ, pro carcere paradysum.* Et divus Isidorus ad concordiam exhortatur dicens: *Si contristaveris in aliquo fratrem tuum, satisfac illi, perge velociter ad reconciliationem proximi tui, & non acquiescas nisi reconciliatus fueris fratri.* Et nos certos reddit ut dicit Divus Gregorius quod *nihil est pretiosius Deo virtute dilectionis.*

Pier. Valer. l. 47. fol. 457.

S. Isid. l. Ethymo.

Aug. de verbo Domin. cap. 1

Isid soliloq. lib. 2. cap. 22.

Greg. in past.

3. Et verè Deus, quam ipsi sit grata concordia demonstravit. In principio mundi ob paucitatem personarum matrimonium inter fratres, & sorores licitum fuit, ideo de Caino sic legimus. *Cain cognovit uxorem suam* Sed quænam fuit hæc conjux? fuit una ex sororibus ejus, ut Abulensis, Josephus, Methodius Martyr testantur. Hic cur Deus hæc matrimonia vetuerit scire velim. Si certum sit eum velle, quod vir, & uxor sint duo *in carne una* id facilius ad effectum reduci posset, si fratres sororibus nuberent, cum enim ex eodem sanguine descendant, ac ejusdem sint animi hoc modo inter conjugatos unio affectuum indissolubilis haberetur. Hanc causam cur Deus in mundi exordio hujuscemodi connubia permiserit Theodoretus assignat. *Ut in concordiam coirent tanquam ex una radice florentes: hanc igitur ob causam, Deus ab initio permisit fratrum commixtionem.* Sed quia multiplicato genere humano inter homines discordiæ sunt exortæ, ut illæ totaliter extirparentur, & concordia per matrimonia firmaretur, Deus non inter fratres, & sorores, sed inter sanguine, & affectibus dissitos conjugia initi sancivit. Sic Procopius: *Cum hominum genus jam esset auctum, & incredibilia sumpsisset incrementa, hujusmodi connubia interdixit, nempe fratris cum sorore, volens eos, qui quoad genus inter sese distarent, iterum per connubia ad concordiam pertrahere.*

Abul. Ioseph. Hebræus, & Metho. Mart.

Theod. qu. 41. in Gen.

Procop. in cap. 4. Genes. v. 17.

4. Multa, grandia, & mysteriosa sunt beneficia, quæ populus ingratus à manu liberali nostri Dei recepit. Et specialiter unum, quod Spiritus Sanctus in Exodo scriptis consignavit vobis ponderandum propono. Postquam populum Israëliticum jugo Pharaonis subduxerat, & per mare rubrum sine discrimine duxit, hostili exercitu, qui eum insequebatur undis merso, ad locum Elim, ubi duodecim fontes, qui aquam limpidam, dulcem, christallinam scaturierunt iis pandit eos deduxit: *Venerunt autem in Elim filii Israel, ubi erant duodecim fontes aquarum.* Esto in hac regione penuria aquæ esset, & teste Abulensi Hebræi multa passi essent; *Hebræi ambulantes per solitudinem frequenter patiebantur defectum aquarum.* Nihilominus in hoc loco duodecim fontes invenire vult. *Et castramentati sunt juxta aquas, ut sine labore eas haurirent manentes apud eas.* Lyranus eccur Deus, qui adeo superfluitatem execratur tot fontes, ut ad numerum duodecimum pertingant iis aperiat interrogat. Annon siti totius populi esto adhuc numerosior fuisset, cum aqua esset indeficiens unus vel alter non suffecisset? Lyranus cum essent duodecim tribus cuique tribui suum esse debere fontem, respondet: nam si omnes tribus ad unum, vel duos fontes accessissent, forsan quod facile fieri potuisset, cum quælibet primas appetiisset aliqua discordia, quæ concordiam, quæ in exercitu

Exod. cap. 25.

Abulens. ibid.

Idem ibid.

citu dominabatur inter eos suscitari poterat. Non; non ait Deus, ut pax inviolabiliter servetur, & nulla lis oriatur, cuilibet tribui suum fontem assignare volo. *Dantur duodecim fontes secundum numerum duodecim tribuum, & sic qualibet tribus habuit fontem suum per se, ne ex communi haustu dissentio inter tribus oriretur.*

Lyranus in cap. 15. Gen. v. 27

5. Sanctus Senex, & Patriarcha Jacob in Ægyptum ut filii sui charissimi Josephi Proregis illarum regionum visitandi causa proficisci decrevit; iter aggreditur, & ad puteum quendam puteum juramenti vocatum pertingens; *Venit ad puteum juramenti*, ibidemque magno Deo sacrificans plures victimas obtulit. Hinc discimus ait Chrysostomus, ut dum aggredimur aliquod opus arduum, si illius velimus felicem successum, & adjutorium cæleste, ad gratiam Dei nobis esse recurrendum: *Hæc audientes dicamus quando quid facturi, vel negotium aliquod incepturi, vel peregrinationem suscepturi sumus, ut offeramus Domino sacrificium precum, & ejus adjutorium invocemus, & sic institutum aggrediamur, imitantes illorum justorum pietatem.* Idem confirmat Abulensis: *In magnis rebus invocatum est divinum auxilium, & consilium ejus; ideo Iacob cum tenderet in Mesopotamiam quasi aliquid magni aggressurus, scilicet peregrinari incipiens, Deum invocavit in Bethlehem. Nunc majus aliquid instabat, scilicet mutatio sedium cum tota posteritate ad habitandum terram alienorum, magis ergo Deum invocare debebat.* Hoc per transennam sit dictum. Juxta hunc puteum divina majestas Jacobo maxima benevolentiæ signa exhibuit, grandissima ei promisit, dixit ei, pergeret in Ægyptum, se eum patrem plurium generationum constitutum, se ei tam in aditu, quam in reditu semper adhæsurum, charissimi filii Joseph eum præsentiâ positurum, in ejusq; complexibus eum satis concessurum. *Ego sum fortissimus Deus patris tui, noli timere, descende in Ægyptum, quia in gentem magnam faciam te ibi. Ego descendam tecum illuc, & ego inde adducam te revertentem; Ioseph quoque ponet manus suas super oculos tuos.* Hic cur in hoc loco Deus illi tot gratias præstet inquiro. Cur hæ illi non conceduntur domi ante iter, vel itinere confecto in Ægypto, maximè cum post prolixum iter lassitudinis maximum levamen esse possent? pro intellectu hujus passus, illud quod Moyses de Isaaco Patriarcha, & Abimelech Palæstinorum rege narrat observandum est. Inter hos duos nonnullæ discordiæ erant, sed dum sibi juxta hunc puteum occurrerent pacem inierunt, eamque juramento stabilierunt. *Sit juramentum inter nos, & ineamus fœdus, & juraverunt ibi mutuo.* Deus ergo, ut ostenderent quam sibi accepta esset concordia ab illis duobus juxta puteum inita Jacobo ibidem favores cælestes, ac divina promissa largiri voluit. Sic Glossa Interlinearis: *Merito in loco concordiæ videtur Deus, & ibi mandavit Deus benedictionem.* Et quidam modernus id clarius explanat. *Ibi æternam sibi concordiam jurarunt duo potentissimi Principes Abimelech, & Isaac. Vbi ergo tanta concordiæ signa inter duos potentissimos homines darent, merito se Deus alterius filio latronem offert, milleque benedictionibus illum replet.*

Gen c. 46 — *D. Ioan. Chrysost. ibid.* — *Abulens.* — *Gen c. 46.* — *Gen. c. 26.* — *Gloss Interlinea.* — *Didac. Ponfer. Tom. 2. in Evang li. 12. cap. 8. §. 12.*

6. Nec hæ primæ sunt vices, quibus Deus ob concordiam in Jacobum favores cælestes contulit. Hic sanctus Patriarcha cum pluribus annis patriâ extorris vagatus fuisset, iram Esau declinaturus, quam ob benedictionem ablatam in se concitarat, ad domum paternam reverti decrevit. Hoc Esau subodoratus ut eum lethaliter feriret armatâ manu ei obvius processit; sed Deus chorum Angelorum, qui exercitum exhibebant ad eum misit. *Fuerunt ei obviam Angeli Dei, quos cum vidisset, ait, castra Dei sunt hæc.* Quid agant isti Angeli? respondet Jonas Aurelianus: *Vbique vobis frequenter Angeli Dei auxilia præstant.* Procopius Jacobo submissos Angelos, quia viam Dei incessit affirmat: *Is, qui per suam incedit viam videlicet per viam, qui dixit, ego sum via, obvios habet Angelos Dei.* Sed meo sensu hæc responsa causam non attingunt; cur enim nunc potius, quam aliàs habuit sibi obvios Angelos? sanctus Pater Ambrosius clarius præ omnibus aliis hunc nodum diluere videtur. Dum Angeli ejus oculis objiciuntur, quomodo fratrem pacare posset deliberabat; hinc secum conclusit. *Placabo eum muneribus.* Internuntios ad eum ablegavit, qui concordiam tractarent, ac munera ei misit. Ita ait Deus: Jacob tu impensè concordiam mihi gratissimam

Gen. c 32. — *Iona Aurel. lib. 2. de cultu imag. Procop.*

ſimam diligis, & phalanges Angelicas, quæ te comitentur, & ſerviant, & ſi opus fuerit ab inſultibus Eſau defenſent mereris. *Perfectis enim, & fidelibus divina ſolent eſſe præſidia; perfectus autem, qui cogitabat de reconciliatione fraterna, ita ut humilitate etiam invitaret, officiis acquireret, muneribus quoque emendam putaverit cum tam plures injurias ſuſcepiſſet à fratre, & modo alias majores ſuſpicaretur, nil aliud parat, quam ſigna manſuetudinis, nil aliud cogitat, quam obſequiis obſtringere injurientem*: hinc ſubjunxit divus Hieronymus: *Pulchrè ad fratrem iturus inimicum, Angelorum ſe comitantium excipitur choris.*

S. Ambroſ. lib. 2. de Iacob c. 6.

S. Hieron. in quæſt. Hebra.

7. Ex duobus factis, quæ divus Lucas commemorat, quanto deſiderio Chriſtus concordiam in cordibus humanis regnare velit, colligere poſſumus. Primo ergo narrat, nonneminem, cui noſtri Redemptoris æquitas ſatis cognita ad eum acceſſiſſe, & favorem, quem maximè optabat rogitaſſe, nempe ut ſuum fratrem accerſiri juberet, eique nomine ſuo indicaret, ſe paternam hæreditatem dividi velle, & ne aliqualis ſuboriretur, velut æquus hujuſce rei arbiter eſſe dignaretur. *Magiſter dic fratri meo, ut dividat mecum hæreditatem.* Ille non ſolum votis ejus non annuit, ſed indignabundus perſtringit, ac duris verbis abigit. *Quis me conſtituit judicem, & diviſorem inter vos?* vel cito abi, vel alia loquere. Domine in negotiis majoris momenti cuilibet promptè gratiam præſtare ſoles, & huic gratiam licitam, & honeſtam negas? duas reſponſiones ad hanc difficultatem Janſenius affert. Prima eſt ad Chriſtum arbitrium de terrenis non pertinuiſſe, ideoque ſe huic negotio ingerere noluiſſe *Quibus verbis ſignificat, illum, & ſi rem per ſe juſtè peteret, malè tamen à ſe eam petere, ut qui nec à Deo, nec ab homine conſtitutus eſſet ad adminiſtrationem ejus, quod petebatur negotii Mundum habere ſuos judices, qui lites tam humiles dirimere, & poſſint, & debeant. Iudicem ſe non negat conſtitutum, neque diviſorem, ſed ſuper vos, inquit diſſidentes, ſcilicet de terrena.* Altera aſſerit eum à Chriſto objurgatum, quod cum deſcendiſſet in mundum tractaturus negotia cæleſtia, & ſpiritualia, ille eum rogaret ut ſe intromitteret mundanis. *Dominus veluti indignans, quod à negotio cæleſti, ad quod ſolum à patre miſſus fuerat, interpellaretur, ad carnales, ac ſordidas curas; ſimulque docere ſuos volens, non oportere implicari negotiis profanis; eum qui gerit munus Apoſtolicum.* Et ſanctus Pater Auguſtinus: *Petebat ille dimidiam in terra hæreditatem, in cælo Dominus offerebat totam.*

S. Luc. cap. 12.

Ianſen commem. in concor. Evang. c. 86. fol. 255. cap. 1 lit. A.

Idem, ibid.

Aug ſerm. 196. de Temp.

8. Ex ſecundo facto, quod idem ſacer Evangeliſta annotavit aliam reſolutionem non ſolum non minus ingenioſam, ſed magis facientem ad propoſitum noſtrum credo nos habituros. Pilatus Chriſtum ad Herodem duci jubet. *Remiſit ad Herodem, qui & ipſe Ieroſolymis erat illis diebus.* Eccur mandatur ad Herodem, ad quem nil pertinet cauſa Chriſti? Abſolutio, examen, ſententia ad Pilatum, & non ad Herodem ſpectabat. Ergo huic miſſioni Pilatus ſuperſedere poterat, quia ſuperflua eſt, & hoc multò ampliùs, cum in puncto juriſdictionis cautiſſimè ſit agendum. Ego Pilato hanc reſolutionem non à ſe, ſed à Chriſto inſpiratam, qui antequam moriretur Herodem viſitare voluit credo. Nec id aliam ob cauſam, niſi quia filius Dei diſcordiam, quæ inter illos duos verſabatur ſopiendam, & concordiam ſtabiliendam uti reipsâ contigit prævidebat. *Et facti ſunt amici Herodes, & Pilatus, nam antea inimici erant ad invicem.* En ergo cauſam, cur petenti diviſionem Hæreditatis annuere noluerit, quia affectuum, & cordium diſſonantiam ex illa naſcituram, & concordiam fraternam tollendam videbat. Inter duos ergo fratres noluit præbere anſam diſcordiæ, ſed inter Pilatum, ac Herodem ſe arbitrum interpoſuit. Id meus beatus Simeon à Caſſia notavit *Non venit dividere, ſed unire.* Et Joannes Antonius Abulenſis: *Equidem, qui diviſionis faciendæ noluit Iudex fieri, unionis, & charitatis advocatus eſſe voluit, eaque de cauſa à Pilato ad Herodem, & ab Herode ad Pilatum reverti, hinc facti ſunt amici Herodes & Pilatus in illa die, nam antea inimici erant ad invicem.* Et hoc facto Chriſtus præceptum hodierni Evangelii executioni mandaſſe, *ſi offers munus tuum ad Altare; vade priùs reconciliari fratri tuo*; mihi videtur. Antequam enim ſeipſum in holocauſtum Patri æterno in ara crucis offerret, Pilatum, & Herodem reconciliare voluit: *Et facti ſunt amici Herodes, & Pilatus; & nunc veniens offers munus tuum.*

Luca 23.

B. Simeon de Caſſ. de vitiis cap. 5 lib. 8.

Ioan. Anton. de Abul. l. 1. c. 2. v. 1. ad not. 1.

9. Ser-

9. Servator Apostolis hoc præceptum satis quidem rigorosum, sed eo magis mysteriosum dedit. *Nolite portare aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris.* Nummos vobis in itinere veto, & ne huic præcepto obveniatis cavete. Domine veniâ tuâ mihi verbum loqui liceat, omnibus aliis interdictis solam pecuniam illis relinqui debere, quia in omni morbo maximè deseruit judico.

Matth. cap. 10.

Quisquis habet nummos securâ navigat aurâ,
Fortunamque suo temperat arbitrio.

Paschasius Ratbertus hoc responsum affert. *Ne fortè viderentur Apostoli magis lucri gratiâ prædicare, quam salutis humanæ omnia subtrahit, quæ possent esse scandala, & necessaria concedit ex Evangelio, quatenus eorum nemo de crastino cogitare videretur.*

Lib. 6. in cap. 10. Matth.

10. Pardanos Alexander ab Alexandria monetis duos gallos concertantes incidisse refert. *In nummis sculpsere Pardani duos gallos inter se pugnantes.* Omnium discordiarum radicem esse pecuniam significare voluerunt. *Obolus*, Hebræo sermone *Gerach*, dicitur. Hoc derivatur à verbo *Garach*, quod secundum Oleastrum nil aliud significat, quam *miscere lites, quia propter pecuniam solent homines litigare.* Hinc sciens Christus plurimas lites provenire à pecunia, ut concordia in Apostolis radicaretur, quoscunque nummos iis interdixit. *Nolite portare aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris.* Idem confirmat divus Ambrosius: *Ob id misit Discipulos suos sine sacculo, sine virga, sine pecunia, ut instrumenta discordiarum, & incentiva litis eriperet.*

Alexand. ab Alex. lib. 4. c. 15.
Oleaster cap. 27. in Levit.
S. Ambr. lib. de Ioseph. ca. 13

11. Concordia unioni sicutècontra discordia divisioni innititur. Hinc Christus ut unionem inter fideles conservaret eas unire, & quamlibet divisionem abigere studuit. Uxor Zebedæi mater Joannis, & Jacobi salvatorem adiit, instantissimaque supplica hanc gratiam ab eo impetrare sperabat *Dic ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram, & unus ad sinistram in regno tuo.* Sed Christus gratiam denegavit. *Nescitis quid petatis.* Miror, quod hoc petas, impossibile est te illam obtinere. Ut causam hujus repulsæ penetremus, in quo regno dexteram, & levam petierit observare debemus. Paulus Palatius in regno Ecclesiastico asserit: *Iacobus, & Ioannes cupiebant in Regno Ecclesiastico principes esse summi.* Concessio hujus gratiæ, quam quæso repugnantiam involvebat? Ecclesia ob unicum caput, cui omnes subduntur fideles unica est. Si duo essent capita Joannes, & Jacobus, jam Ecclesia in duas partes divisa esset. Non, non; *Nescitis quid petatis.* Ne de divisione mentio fiat. *Igitur veneranda Discipulorum mater de summo pontificatu inter suos filios dividendo preces contexuit.* Apage, apage, qui unitatem Ecclesiæ in duas partes secare vult, aliud proponatur. *Erit unum ovile, & unus pastor. Nescitis quid petatis.*

Matth. cap. 20.
Paulus de Palat. in cap. 20.
Idem ibid.
Ioan. cap. 10.

12. Salvator tribus charioribus Discipulis Petro, Jacobo, & Joanni gratiam quandam præstare volens, eos in rupem Thaboræam secum conduxit, ut in eo iis arham gloriæ, quæ ad aliud tempus iis servabatur donaret. Præterea duo priscæ legis Moyses, & Elias adsunt: *Assumpsit Iesus Petrum, & Iacobum, & Ioannem, fratrem ejus, & duxit eos in montem excelsum seorsim, & apparuerunt illis Moyses, & Elias.* Petrus incredibilibus illis delitiis sibi à filio Dei communicatis summoperè delectatur: *Fervet* (verba sunt Archiepiscopi Valentini) *Intus gaudio, conceptumque non valet tenere sermonem; acceptâ igitur copiâ fandi, inquit: Faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Moysi unum, & Eliæ unum. Hoc satius est, hic stemus, hic cunctos vitæ nostræ dies agamus, quid ultra quæritur? inferiora cur ultro lustramus? sic enim totam ejus mentem præsentis candoris, & gloriæ amor, & jucunditas occuparat, ut nihil aliud vellet, nihil aliud cuperet, & hoc sibi ad plenam felicitatem satis esse cogitaret.* Sed vix prolatis his verbis: *Faciamus hic tria tabernacula,* nubes apparet, & Apostolos obfuscat, & instar corticæ gloriam illam insignem oculis eorum subduxit. *Adhuc eo loquente ecce nubes lucida obumbravit eos.* Hæc verba Petri de tribus tabernaculis privationem delitiarum, quibus fruebantur causasse videtur. Quinimò ut parum sapiens àb Evangelista notatur, ideo dixit. *Non enim sciebat, quid diceret.* Accinit divus Lucas:

S. Matth. cap. 17.
B. Thom. à Vill. de Transfig. Dom. fol. 260. c. 2.
S. Marc. cap. 9.

S. Luc. cap. 9.

eas: *Nesciens quid diceret*. O miser Petre unicum verbum, quot te miseriis involvit? tantine est dicere: *Faciamus hic tria tabernacula*? sacri Scriptores hujus facti plures rationes assignant. Beatus citatus ob malam locutionem illa mala accidisse Petro autumat. *Sed non es te digna locutus ô Petre, falleris, graviter falleris ô pastor Ecclesiæ, prius condendum est Evangelium, prius hominum genus cruoris effusione redimendum est, prius te alius cinget, & dicet quod tu non vis, quàm hoc gaudio potiaris. Ita ne sine certamine victor, sine victoria triumphator evades? quid rerum ordinem pervertis? quid meritis præmia præponis? tune solus mundi salutem, & gloriam possidebis? tibi soli Salvator assistet? ô insignis latro, tibi cælestem margaritam usurpas.* Ratbertus Petrum aliis neglectis suo proprio commodo intendisse, quod superiores maximè dedecet asserit. *Nec enim aliquid cogitare de his videtur Petrus, in quibus charitas quàm maximè commendabatur*. Verè illustres responsiones; sed Origenes acu solutionem hujus difficultatis tangit. In monte Thabor omnes illæ personæ simul aderant, sed Petrus tribus tabernaculis eos sejungere in tres partes voluit. Idcircò, quia malè argumentabatur à conjunctis ad divisa *Tibi unum, Moysi unum, & Eliæ unum. Nubes lucida obumbravit eos*. Concludo cum Origene: *Promittit autem se facere tria tabernacula, unum privatim IESV, alterum Moysi, aliud Eliæ, quasi non eos capiente tabernaculo, in quo omnes simul consistere deberent: forsitan & in hoc malitiosè operabatur diabolus per eum, qui nesciebat quid loquebatur, nolens esse simul IESVM, Moysen, & Eliam, sed separare eos ab invicem trium tabernaculorum obtentu, quod fieri non poterat.*

B Thom. Archiepis. Valentiæ ubi suprà.

Pasch. Ratb. in cap. 17. Matth l. 8

Orig in c. 9 S. Matt. Itē Pasch. Ratbert in Mat. l. 8

13. Ne vobis displiceat N. si ad finem discursus appropians ad principium creationis mundi revertar. Omnia opera producta ut bona à Deo approbata fuere. Lucem creat bellam, ut velut generosus miles phalangibus splendorum tenebras pelleret, ac dissiparet, quæ in facie abyssi castrametabantur. *Fiat lux, & vidit Deus quod esset bona*. Postea aquas loco speciali constrinxit, & ne nimium sese diffundentes terram inundarent, terminis illas reclusit, & cingendo eas limitibus littorum conformiter ad amarorem naturalem eas maria nuncupavit. Et quamvis hoc sit fluctuosum, tamen ut bonum illud probavit. *Et vidit Deus, quod esset bonum*. Terra divinis nutibus parens herbas viridantes, quamlibet cum semine propriæ speciei, ac floribus odoriferis produxit, ut illæ homini vestem, hi ornatum præberent. Præterea protulit plantas, ut hæ brachia frondosa extendendo donario fructuum homini debitum homagium præstarent. Res, quam Deus bonam censuit. *Et vidit Deus, quod esset bonum*. In scenam universi duas illustres personas solem & lunam innumera caterva stipatas stellarum prodire voluit, ut una diei, altera noctis directioni præesset, & ut officii eorum esset, anni partes proferre, tempora moderari, distinguere annos. *Et vidit Deus, quod esset bonum*. In visceribus mare creavit cete, ac alios pisces immensæ molis. Aquæ ergo gemellam prolem pisces nempe squamigeros in undis natantes, & garrulas aves per aërem volantes produxere. Terra non feriata est, ad nutum creatoris fœcunda mater feras sylvestres protulit, & in momento videre erat campos superbum percurrere leonem, equum exsilire, cervum saltare, arietes concertare, boves pascuari, camelos genua flectere, canes venari, timidum fugere leporem, malitiosam se abdere vulpem, lentos figere gressus elephantem, odoriferam pantheram longum animalium post se ducere agmen, & ovem mansuetissimum pecus in gramine quiescere. *Et vidit Deus, quod esset bonum*. Quodlibet itaque opus productum statim velut bonum proclamatum fuit. In fine sextæ diei videns opera creata, eaque celebrans non solùm illa bona, sed multum bona judicavit. *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valdè bona*. Quam præcellentiam habent hæc opera, ut audire mereantur prius sextâ die, & non ante *valdè bona*? an fortè non sunt antea eædem creaturæ, quæ nunc maximè sunt. An fortè iis aliqua entitas Physica, vel moralis, aut perfectio substantialis, vel accidentalis addita est?

Genes. c 1.

non. Cur ergo sextâ die *sunt valde bona*? N. cesset in nobis omne dubium, vel stupor. Antea creaturas vidit Deus seorsim, & divisim, unam ab altera distinctam, sed sexto die omnes simul oculis divinis sunt objectæ. Hanc difficultatem movet quidam modernus: *Si in singulorum creatione solum dictum est: & vidit Deus quod esset bonum, cur nunc addit: & vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona? quid nunc amplius habent creaturæ; ut eas valde bonas affirmet?* & pro responso adducit doctrinam sanctorum Patrum Augustini, & Hieronymi: *Vbi*, ait divus Augustinus *omnia nominata sunt, additum est, valdè bona, meliora sunt simul omnia, quam qualibet singula.* Et concludit sanctus Hieronymus: *Omne secundùm Philosophos tantùm habet bonitatis, quantum habet unitatis, propterea in exordio mundi, vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona.* O sanctam unitatem! ô beatam concordiam! ô felices si imperturbatam illam servemus.

Ioan Hage in cap. 1. Genes. v. 33 num. 789.

P. August. lib de bono viduit. cap. 6.

D Hieron. in regul. monach. ad Paul. & Eust.

14. Quantum est possibile Ecclesia militans triumphanti conformari debet. Quis porrò voluntatum concordiam in illa sublimi, ac cælesti Hierusalem regnare ignorat? hinc beatus Thomas Archiepiscopus Valentinus: *In hac beata conformitate, & amores, & amantes distincti sunt, sed indissolubili nexu beatitudinis glutinati, ut disjungi non possint, aut invicem discordare, nulla discrepantiâ voluntatum, neque tantillum unus discordat ab altero, sed quod unus vult, volunt omnes; ô beatam rempublicam tam unanimem, tam concordem, divina voluntas omnium voluntatum una, & sola regula est, & ideo impossibile est discordare.* Qui ergo proximo est infensus, & actu in ara sacrificat; *Relinquat munus suum ante Altare, & vadat reconciliari fratri suo, & tunc veniens offerat munus suum.*

S. Thom. à Vill. conc. pro Exped. Christi, fol. 321. col. 1.

15. Deus immortalis verbum æternum, ut extirparet discordiam, & concordiam cordibus humanis insereret quid non fecit? è cælo in terram descendit, ut inter Deum, & hominem, hunc, & Angelum, carnem, & spiritum per peccatum discordes pacem componeret. Ergo amplectamini concordiam, amate unionem, at non omnem, sed solam illam, quæ virtuti innititur Deo esse gratam advertite. Fratres in vindicta adversus Josephum convenerunt. Pharisæi, & Scribæ in senatu, quo Christum morti destinarunt consenserunt. Uniuntur fures, ut furentur, conveniunt hæretici, ut obsint Ecclesiæ, & fidelibus. Sed hæc concordia est abominabilis, & detestanda, quæ crimina spectat. Concordia christiani debet foveri à charitate, à virtutibus, & utilitatem proximi, gloriamque Dei spectare debet.

Genes. cap. 37.

D. Ioan.

16. Quid vobis prosit discordia, & quid concordia obsit dicitote. Imò totum contrario modo se habet. *Quid namque jucundius quàm concordia? quid molestius, quàm discordia?* ait Archiepiscopus Valentinus. Date domum, in qua uxor, maritus, ac filii conveniunt, an non erit paradysus, ècontra si discordia pedem inferat avernus erit. Dicat id, qui hoc probat. *Si uxor, maritus, & filii, atque domestici in concordia sunt, quid est domus illa nisi paradysus? si autem ècontra discordia est inter eos, quid est aliud nisi infernus?* quod damna à bellis, quæ filii sunt discordiæ proveniant considerate. Fluvii inundantur sanguine, montes replentur cadaveribus, opes profunduntur, urbes desolantur, populi perduntur, agri diruuntur, frugum succedit penuria, fames miseros torquet, quos ferro, ac morti surripuit. Et tandem has miserias inevitabile flagellum pestis sequitur. Ergo amemus concordiam: *Vade prius reconciliari fratri tuo.*

B. Thom. à Vill. ubi suprà fol. 319. col. 1

Idem ibid.

17. Quid de illo dicemus, qui fratri reconciliari non vult? vivit in continuis suspicionibus, semper est inquietus, de nocte non dormit, de die non quiescit. Millies per horam cor illi palpitat, timori continuò fœdere est junctus, frons arboris, quæ movetur, unicum folium vento agitatum eum consternat, quia inimicum adesse suspicatur, qui inopinato vitam sibi adimat. O Deus quam status est hic miser? ô quam vita infelix! O vitam (dixit ille Præsul qui concordiam semper in suo grege servavit) *miseram, & laboriosam. Nonnè rectè vobis videbitur, & merito illa omnia pati, qui placidam concordiam re-*

Idem ibid. fol. 310. col. 2.

am recusabit? vade, vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc venies, offeres munus tuum. Nam nos certos reddit divus Joannes Chrysostomus. *Ubi concordia non est, nec oratio exauditur, nec oblatio suscipitur, quia nec ibi est Deus, ubi discordia dominatur.* Et quia sermo est de concordia omnes concorditer nemine excepto stipem erogate, interim illi omnes unanimiter vos rogant, & Deum precabuntur, ut vobis mercedem repenset. Quiescamus.

D. Ioan. Chrysost. in cap. 5. Matth.

ALTERA PARS.

18. Concordia animorum, quàm sit proficua superfluum esse quod probem credo; sed quia in principio fidem dedi promissis stabo. Non omne jucundum bonum, & èContra non omne bonum jucundum; sed datur bonum non jucundum, & jucundum non bonum. Pœnitentiæ, jejunia, mortificationes sunt bonæ, quia sunt meritoriæ, & veniæ impetratoriæ, sed non sunt jucundæ, imò pœnales, ac duræ. Voluptates mundanæ sunt jucundæ, sed non bonæ, quia animæ damnationem procurant. Peccatum non est bonum, nec jucundum, sed pessimum & molestissimum. Hinc sunt qui illud deplorant. *Lassati sumus in via iniquitatis, ambulavimus vias difficiles.* Sola concordia est bona, & jucunda, si Archiepiscopo Valentino fidem præbeamus. *Bonum, & jucundum est charitas sola; hoc privilegium quippe soli charitati reservatum est, ut cum sit non solum bonum, sed maximum omnium bonorum, sit quoque jucundissimum; omnis quippe alia virtus pœnam habet annexam.*

Sapien. cap. 5.

B Thom. à Vill. ubi suprà fol. 318. col. 1.

19. Multæ aliæ sunt causæ, quæ nos movere deberent, ut eam inviolabiliter servemus. An res sit in orbe quam præferamus vitæ, & sanitati? *Bona* dicebat Nicostratus *valetudine nullum mihi videtur ornamentum, aut monile pretiosius*; hinc teste Laërtio felix proclamatus fuit Zeno: *Quia nonagesimo octavo ætatis suæ anno vita excessit incolumis, atque integer sine morbo.* Porrò, quis ignorat sanitatem dependere à concordia humorum, & qualitatum? *Sanitas nihil est aliud, quam dispositio quædam, quæ ex humido, & sicco, frigido, & calido, vel natura, vel artis beneficio aptè composito constat.* En concordiam! *Quod sit tantillum naturæ demas, vel artis, dispositionem illam turbas.* En discordiam. Et quid sequitur? *Ipsam sanitatem evertis.*

Nicost. apud Stoba serm. 72.

Laert. l. 8. fol. 453.

Max Tyrius diss. 10 fol. 101

20. O quam delectabilis non est musica, etiam ipsi Tygridi jucunda est. Hæc temperat furores iræ, animo turbatos sedat, acerbitatem dolorum mitigat; hinc Plato: *Voces perspicuæ, & suaves, innatam deferunt voluptatem.* Sed musica, ex quo formatur, nisi ex consonantia fidium, vocum, ac instrumentorum? non sine causa Xenophon eam hoc titulo decoravit. *Maximum civitatis bonum est concordia, sine qua neque civitas benè gubernatur, neque domus rectè administrari potest.* Anhistenes munimen civitatis in concordia consistere putavit. *Civium inter se concordia, quovis muro firmius est munimentum.* Agesilaus interrogatus, cur Spartani civitatem muris non cingerent respondit: *Nullo munimento tutiores esse quam virtute civium consentientium.* Scipioni Affricano quærenti cur Numidiæ cives initio certaminis semper essent victores, postea vero remitterent Tiresius princeps Celtorum dixit: *Concordia victoriam, discordia exitium præbuit.* Severus Imperator morti proximus, de hoc solum, quod concordiam in imperio stabilivisset gloriabatur. *Moriturus hoc dixit, rempublicam accepi ubique turbatam pacatam etiam Britannis relinquo.*

Plato Phi lebo fol. 396. l. D.

Zenophon.

Anthist.

Plut. in apoph. Lacon. man. lib. 2 apoph. Prus lib. 2. cap. 4.

N. col. Reusne. Class 1. symb. 14. fol 90.

21. Si perfectio teste Philosopho sit illa: *Cui nihil deest?* quis illam mortalium in omni genere non optet? porro hanc in rebus distinctis non reperiri sciatis. Theologi absoluta ut essentia, & attributa, & relativa ut paternitas, filiatio, spiratio activa, & passiva in divinis assignant. Sed hæc est differentia, quod absoluta dicant perfectionem simpliciter simplicem, relationes verò à perfectione, & imperfectione præscindant. Sic cum divo Thoma docet Cajetanus. *Relatio nec perfectionem dicit, nec imperfectionem, alioquin vel imperfectio esset in Deo, vel una persona haberet aliquam perfectionem,* quam

Arist l. 3. Phys. l. 1. de cælo, & mundo. Thom 1. p. qu. 28. art. 4.

Cajet 16. in resp. ad 3.

Cumel. in 1 p. qu. 28 art. 2. disput. 5. fol. 718. col. 2.

quam non haberet alia. Dicat quidquid nihilominus velit Cumelius, & alii quos pro se citat. Ratio cur absoluta dicant perfectionem simpliciter simplicem juxta Theologos hæc est; quia neque realiter, neque formaliter inter se, & ab essentia distinguuntur. Sed quia relationes distinguuntur realiter, ideo secundum se præcisè non dicunt perfectionem. Nunc arguo à fortiori: si in divinis ubi datur distinctio realis non reperiatur perfectio, vel si illa, quæ distinguuntur realiter non dicant perfectionem, quanto magis id verum erit in creatis, quæ sunt divisa, & discordia? hinc dicebat

D. Bern.

sanctus Pater Bernardus: *Ubi unitas ibi perfectio, cæteri numeri perfectionem non habent.* Quomodo ergo christianus præsumat esse perfectus, si à proximo corde, ac voluntate distet? sed Deus, qui nos vult perfectos ad concordiam exhortatur: *Vade prius reconciliari fratri tuo.*

22. Hostium, quos habemus infensissimus est dæmon, qui teste divo Petro:

1. Petri c. 5

Circuit quærens quem devoret. Ut omnem viam huic præcludamus ne noceat, & ut eum in fugam demus, dum fastuosus, & indignabundus nos vult invadere nullum medium est efficacius concordiâ. Saul

1. Reg. cap. 16.

dirè spiritu avernali vexabatur; *Exagitabat eum spiritus nequam.* Mentem ejus conturbabat, corpus lacerabat, viscera torquebat, nec momento illi quietem præbebat, sono citharæ maximum affundendum solamen Palatini suadebant *Iubeat Dominus noster, & servi tui, qui coram te sunt, quærant hominem scientem psallere cithara, ut quando arripuerit te spiritus malus psallat manu sua, & levius ferat.* Ex omnibus citharædis selectus fuit David; hic coram rege sistitur, digito pererrat fides, easque leniter tactu explorat, & eas tam suaviter percurrit, ut ipsa aula saltare videretur. Inimicus crudelis, qui pacificè in corde Saulis quiescebat dum organicos numeros, fidium suavitatem perciperet, tremens, & confusus à Saule secessit. *Percutiebat David citharam, & spiritus malus recedebat ab eo.* Magnares, quod dæmon glandes plumbeas, vel ferreas, quæ boatu strepitoso ab igne violenter propelluntur è cavo cancavorum metallorum non curet, quod nec minimum ad conspectum formidandarum phalangum contra se armatarum consternetur; nihilominus ad fides citharæ subigatur, ac sono harmoniæ in fugam conjiciatur *David,* verba sunt divi Thomæ Villanovani, *citharâ personante Saulis obsessum animum deserebat; mira res, musica fugatur diabolus, & qui juxta sententiam Iob, sagittas reputat quasi paleas, lapides fronda velut stipulas spernit, deridet etiam vibrantem hastam, & durissimos malleos pro nihilo pendit, ad citharæ sonitum tremefactus recedit, & quem nulla vis superat, superat harmonia.* Sed stupor cesset, sonus ille suavis ex concordia fidium, quarum nec una dissonabat ab altera formatus fuerat. Si ergo dæmon terrefactus & ejectus à concordia fidium fugiat; quomodo à cordibus, ac voluntatibus hominum concordibus non fugabitur?

B. Thom. à Villa concl. 2. de Visit. Virginis fol. 365. col. 2.

23 Et reconciliatio, quæ nobis non commoda affert? Jacob è Mesopotamia domum revertitur. Esau ut supra audivistis cum in ejus pectore necdum rancor sopitus esset, quem ob benedictionem sibi ablatam incendit, armatâ manu ut eum trucidet, ei occurrit. Conveniunt, & Esau pro eo, quod furorem reipsâ ostenderet, fratri reconciliatur, eum affectu complectitur, collo stringit, & osculatur. Et ut pacem stabilitam testentur, muneribus se invicem donant, & affectus variis modis demonstrant. Sed verba, quibus Jacob alloquatur Esau audite: *Vidi faciem tuam, quasi viderem vultum Dei.* Expositores ea variis conceptibus illustrant. Divus Chrysostomus ait. *Hoc magni obsequii gratia dictum est à justo, ut, & eum demulceret, & ad fraternam benevolentiam duceret.* Abulensis: *Quia Iacob valdè timebat Esau, ut eum placaret, dixit, se gavisum fuisse in visione ejus quasi videret Angelum Dei.* Pagninus illa sic legit.

Gen. c. 33.

Ioan. Chrysost.

Abulens.

Ac si

Acsi viderem faciem Angeli. Oleaster: *Adverte quàm probè voluerit palpare verbis fratrem, duo enim sunt quæ maximè solent hominem flectere, scilicet munera, & laudes, quibus nunc sanctus Iacob utitur in fratrem.* Cajetanus hoc concordiæ attribuit, quæ quantumvis Esau esset sceleratus, & impius, & reprobis adscriptus tamen ut fratri fœdere junctus est vultum ejus in Angelicum quasi spiraret divinitatem mutavit. *Suscipe quæso munus meum quamvis opulentia abundes, quia non offero tibi ad subveniendum indigentiæ, sed tanquam Deo, seu Angelo cui offertur in signum venerationis, ego enim in signum illius tibi offero.*

Paguinus Oleastro.

Cajetan.

24. Sed quæ damna è contra non causat discordia? de discordibus illud Christi de Juda dici potest: *Melius illi erat si natus non fuisset.* Quid Rebecca uterum ferens de duobus filiis concertantibus dixerit recordemini. *Si sic mihi futurum erat, quid necesse fuit concipere?* Quæ Guerricus Abbas sic illustrat. *Sed cum sese collidèrent parvuli discordes in utero Rebeccæ, quia prius oraverat, ut conciperet, dolensque sic inquit futurum mihi erat quid necessum erat concipere? si de aliquo nostrum fratres sic conqueri contigerit, viscera matris nostræ (id est Ecclesiæ) timeo ne melius fuisset si conceptus homo ille non fuisset.* Audite Historiam.

Gen. 25.

25. Leo Bizzantius Athenas de pace cum civibus acturus ablegatus est: staturæ erat exiguæ: senatum peroraturus intrat. Ad visum hujus pigmæi quilibet effunditur in risum. Quid ait Leo meam parvitatem ridetis? Quid ergo faceretis, si uxorem meam vobis conspicere daretur quæ vertice vix genua mea attingit vos judicare. Sed scitore, quod concordes unica sedes, sed discordes tota domus non capiat, & unum è nobis duobus exire est necesse. Ex hoc cives quam utilis sit concordia, noxia discordia, didicerunt, & reconciliati sunt. Idem vos hodie facite dum Salvator ut sibi satisfiat, & vobis utilitas inde proveniat id præcipit dicens: *Vade prius reconciliari fratri tuo.*

Plut in præcept polit Philostratus in Sophistis.



DOMINICA SEXTA

POST PENTECOSTEN.

Misereor super turbam, quia ecce jam triduo sustinent me, nec habent quod manducent. D. Marc. cap. 8.

ARGVMENTVM.

Ostenditur quam magna sit Dei misericordia, & quod magis inclinetur ad effectus misericordiæ, quam ad rigorem justitiæ.

I. I princeps semper fulminet ferro justitiæ, ac rigorem adhibet suppliciorum, traducitur ut inhumanus, & crudelis, corda subditorum feritate armat, & concitati subinde refractantur, & rebellant. Nero monstrum crudelitatis gloriam imperii obfuscavit, dum uxorem veneno, matrem ferro, magistrum incisione venæ extinxit, & patriam igne destruxit. Mithridates unico rigido epistolio octuaginta millia Romanorum enecari jussit. Ptolomæus matri caput, ac pedes proprii filii dono dedit. Claudius morte triginta senatorum, ac trecentorum nobilium nuptias cum Agrippinâ celebravit. Caius Calligola Romanis unicum jugulum optasset, ut unico ictu omnes jugulare posset. Rex Cambises judicem pelle exui fecit, ac tribunali in quo successurus erat filius illam superinduâ; jussit. Rex superbus Ægypti ob illapsam scypho muscam, hominem feretro inferri voluit. Idcirco horum Imperatorum crudelium dominium plus acerbitatis, quàm diuturnitatis habuit. Politica principi clementiam suadet, ac rigorem, & asperitatem dehortatur. *Clementem animo, vultu placidum, ore subridentem principem esse decet, sit ergo clemens, patiens, mansuetus, & pius.* Rudolphum Imperatorem nimii rigoris sæpè pœnituit. *Severum, & immitem fuisse me aliquando pœnituit, lenem, & placabilem nunquam.* Forsan consilio insistens Senecæ; *Nullum decet magis clementia quàm principem.* Et legem observans imperialem: *Clementia decet principem,* timorem, & amorem se conciliaturum potius clementia quam rigore credidit. Theodosius Imperator filio succedenti hoc monitum reliquit.

Officina Textoris.

Suetonius Tranquillus.

Æneas Silvius lib 2. de gestis Alphonsi.

Seneca de clementia codice de nuptiis.

Sis pius in primis, nam cum vincamur in omni
Munere; sola Deos æquat clementia nobis.

Theod. Imper. Honoror. filio.

Dicto Antonii Pii: *Melius servare unum, quàm occidere mille,* & poëtæ se conformare voluit.

Sit piger ad pœnas, princeps ad præmia velox
Quique dolet quoties cogitet esse ferox.

Anton. Pius. Ovid l 1. de Ponto. eleg. 3.

Sed si rigor non adhibeatur justitiæ errores impunes erunt. *Interest Reipublicæ ne crimina maneant impunita.* Dicetur conniveree delinquentibus, & jurisdictionem ad sylvam latronum remittere: clementem se exhibere peccantibus, est iis occasionem præbere ne se emendent, sed spe facilius veniam impetrandi quotidie augeantur, & crescant. Si Chirurgus politicus sit benevolus, plagæ exacerbabuntur & in cancrum velle degenerare minabuntur, pravis esse pium crudelitas est.

ff ad leg. aquil l. ita vulner. ff. de judic.

Vlcera

Claud. in Eut.

Vlcera possessis altè suffosa medullis
Non leviore manu ferro sanantur, & igne.

Cal. Bal. apud Nicol Reusner. clas. 1. symb. 35. fol. 127.

Sæpè enim verificatur dictum eruditum Cælii Balbini: *Bonis nocet, qui malis parcit.* Vel illud: *Bonorum injuria fit malorum impunitas.*

2. Tu ô Princeps universi hoc mane, & rigores exercendi justitiæ cum turbis Evangelicis causam habes; cum toties te verbis, & factis adeo male habeant, & etiam occasio sese offert erga eos, qui triduanam inediam tolerant clementiam ostendendi: *Iam triduo sustinent te nec habent quid manducent.* Ad quid ergo te resolvis? *Misereor super turbam.* Et ut videbimus in præsenti discursu potius ad compatiendum misericordiâ, quam ad castigandum justitiâ sese inclinatum demonstrare voluit. Ad imitationem Christi etiam hodie convivium pane, & piscibus instituere volui hac lege ut quisque suam partem portet. Ego panem, qui est figura verbi Dei adferam, vos pisces, qui cum sint elingues symbolum sunt silentii subministrate. Ac incipiamus.

S. Marc. cap. 8.

Seneca de clementia codice de nuptiis.

Theod. Imper. Honoror. filio.

PARS PRIMA.

Misereor super turbam, quia &c.

3. OMnia attributa divina proprietates sunt divinæ majestatis, nam sine iis non esset Deus, cui sunt identificata. Et quid aliud est justitia, misericordia, scientia, providentia, sapientia, bonitas Dei, nisi ipse Deus? veruntamen est, quod quoad effectus, quos erga nos peccatores demonstrat nullum attributum, adeo proprium ipsi dici posse, quàm misericordiam, quâ nos à miseriis sublevat, & fragilitatibus compatitur. *Multa* scribebat quidam doctus *quidem Deo propria sunt, sed misereri, & parcere sic Deo proprium est, quasi inter reliqua omnia divina attributa, hoc magis proprium esse videatur.* Et postea subjunxit: *Esto Deus in omnibus sit excellens, misericordiam tamen exhibendo seipsum excedere videtur*

Anton. Pius. Ovid l. 1. de Ponto. eleg. 3. ff ad leg. aquil l. ita vulner. ff. de judic.

Franc Lab t. 3. de miser. Dei propos 3.

4. Vespasianus Imperator orbi conditiones principis proponere volens eas Hieroglifico Anchoræ, ac Delphini expressit. Sed hæc duo corpora adeo contraria, quomodo conveniant? anchora est symbolum tarditatis, Delphinus velocitatis, hinc cum Oppianus vento, & sagittæ comparat.

—— Namque per æquora lata sagittæ
More volant, &c.
—— Altas aliquando per undas
Turbinis in morem discurrit.

Eum debere habere velocitatem Delphini quoad clementiam, tarditatem vero Anchoræ quoad justitiam punitivam docere voluit.

5. Sic cæca gentilitas Deos suos ut videre est apud Macrobium pedes habere laneos fingebat, ut ostenderet eos ad pœnam lento properare passu. *Et lana lenem Deum habere ostendebant.* Tirii similiter teste Plutarcho Deos sculpebant, *Cum compedibus quasi impeditos clemeneta ad properè incedendum contra peccatores.* Sed figmenta gentilitatis veritati Christianæ cedant. Dum Deus noster ob enormia delicta punire cogitur, misericordia eum detinet, pedes habet laneos, & anchora clementiæ eum impedit. *Talis quidem est Deus noster promptissimus ad benefaciendum, tardus ad iram, seu executionem justitiæ.*

Macro. lib 1. Sat. c. 6

Plutarch. lib probl.

6. Considerationem ad opera à Deo in principio mundi producta sublevemus, & omnia ductore Davide esse partus divinæ misericordiæ reperiemus. Si sapientia, & voluntate quasi duabus manibus cuncti potentibus immensam basim sphærarum cœlestium fabricavit, à misericordia ad id fuit inductus. *Qui fecit cœlos in intellectu, quoniam in æternum misericordia eius.* Si cœlo fabricato, ad hoc ut esset regia civium supernorum se accinxit ut terram super fundamenta propriæ stabilitatis, sitæ supra superficiem aquæ ad libram vocaret, ad hoc ut esset delitiosa mansio mortalium, misericordia hujus caussa fuit. Si impetu jussionum ejus ad ornatum cœli decorem universi, commodum mortalium, illico, sol, luna, & stellæ comparuerunt, totum hoc intuitu misericordiæ est factum. *Qui firmavit terram super aquas, quoniam in æternum misericordia ejus. Qui fecit luminaria magna; solem in potestatem diei, lunam, & stellas*

Ps. 135.

& stellas in potestatem noctis, quoniam in aeternum misericordia ejus. Ut ostendat (ait Bellarminus eminentissimus) *omnia opera Dei sive ad orationem, sive ad providentiam pertineant, sive ad redemptionem, ex misericordia Dei profecta sunt: Deus enim, qui nulla re indiget, & rerum omnium absolutus dominus est, nihil facit ex necessitate, nihil ex debito, sed omnia ex misericordia.*

Bellar. in Ps. 135 f. 829.

7. Si ita resplendeat in operibus creationis quanto magis radiabit in operibus redemptionis? observemus id, quod dicit David. *Misericors Dominus, & justus, & Deus noster miseretur.* Bis hic commemoratur misericordia, semel tantum justitia, perinde ac demonstraret Deum nunquam exercere justitiam nisi misericordiâ moderatam, & temperatam, & si semel justitiam adhibeat, tandem cum effectus misericordiæ duplicare. Hinc os aureum. *Deus dicitur misericors, & justus, quia semper admiscet misericordiam justitiæ, & justitiam misericordiæ.* Et postea subdit David: *Deus noster miseretur, quia Deus magis pronus est ad miserendum, quàm puniendum.* Non sine mysterio vates justitiam inter duos actus misericordiæ collocat, & locum medium donat. *Misericors Dominus, & Deus noster miseretur,* ac si justitia à phalangibus misericordiæ obsidione cingeretur; unde cum conditione se dedat, & deprimatur necesse est. Vel dici potest si justitia dextram gladio armat, ut puniat, illico sese opponere misericordiam. *Misericors Dominus.* Si sinistram muniat, misericordia ut Clypeus sese objicit. *Et Deus noster miseretur.* Speculatio est Divi Ambrosii. *Bis misericordiam posuit, semel justitiam, in medio est misericordia, gemino, septo inclusa misericordia.* Et Titelmannus subdit: *Merito ad te semper clamabimus, quia misericors tu es Domine simul, & justus, atque idcirco Deus noster semper misereris, neque potes non misereri omnium, te ex puro corde invocantium, facit enim misericordia tua, ut miseriis nostris flecti debeas, & veritas facit, atque justitia, ut quod toties nobis à te misericorditer promissum est, nemini omnino negare valeas.*

Ps. 199. 114

Io. Chrys. in Ps. 114. & apud Bella ibi f. 720. c. 2. v. 5.

S. Ambr de obitu Theod.

Francis Titel. in Ps. 114.

8. Quasi semper tum in scripturis sacris de suppliciis est sermo, hoc terminis stillicidii fit. *Magnus furor Domini stillabit super nos. Non stillabit furor in Ierusalem. Idcircò stillabit furor meus super locum istum. Stillabit super nos maledictio. Non stillabit super istos, & non comprehendet confusio.* Et dicere voluit, scriptura Deum si ad flagellandum cogatur, cum pœnas guttatim, & stillatim stillare; sed si misericordia sit exhibenda instar fluvii, & charactarum profunditur, & effunditur. *Effundam aquas super silentem, & effundam de spiritu meo super omnem carnem. Patiens Deus est in hominibus, & effundet Deus misericordiam suam. Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris. Quis adjiciet enarrare misericordiam ejus?* flagra per Clibanum dragmaticè distillantur, sed misericordiæ per amplum poculum effunduntur. Hinc Divus Bernardus: *Propitiatio, & salus tua diffusa est in nos, sic Deus justitia avarè, ut ita dicam utitur adversus nos, misericordia diffusè.* Parcus est in pœnis, largus in misericordia.

Isa c. 44. Ecc c. 18. ibid. Ezech. cap. 36.

S Bernard apud Labat. to. 1. de miseric. propos. 2.

9. Notissima est historia de duobus somniis Pharaonis in sacra Genesia Moyse consignata. Curis mentis, ac solicitudinibus cordis, missis in otio plumarum jacebat, & sensibus sopore gravatis animo somnum rarum objicitur. E flumine Nilo septem boves adeo obesas emergere sibi videbatur, ut movere se vix possent, tantæ erant pinguedinis, & carnis, ut nulla ossa notari possent; quarum aspecta dum Rex oculos pasceret, satiari non posse videbatur. Sed illico aliæ septem prodeunt, quæ maciei schema exhibebant; verum hæc ita exesæ erant, ut vix pedibus inniti possent. Pharao eas catastrophen ossium pellibus amictorum rabatur: hæ furore atroci pingues aggressæ sunt, & faucibus famelicis devorarunt. Quo facto Rex perterrefactus expergiscitur, somnus oculis excutitur, & mentem timor invasit, ut eas fuisse omen alicujus infausti successus suspicaretur. Nihilominus quasi in seipsum nimis facilem ad præstandum fidem imaginationi somniorum concitatus chimeris cogitationes à se applicatas sibi persuadebat; in lecto ergo ad aliam partem se voluit, de novo somniat, & nova somnia phantasiæ exhibentur. Septem sibi videbantur ex uno culmo attolli spicæ comis aureis, quæ adeo erant maturæ, uberes, ut gravedine frumentum ad terram deprimerent. Alias septem subito assurgere vidit,

dit, sed adeo diversas à primis, ut grandinis tantum evasisse tactus, à vermibus corrosæ, tempestatibus concussæ, sterilitate consumptæ viderentur. Hoc alterum somnium stabilivit primum, & Pharaonem in suspiciones egit. *Putabat se stare super fluvium, de quo ascendebant septem boves pulchræ, & crassæ nimis; aliæ quoque septem emergebant de flumine fœdæ, confectæque macie. Et vidit alterum somnium septem spicæ pullulabant in culmo uno plenæ*, atque formosæ, &c. Hoc somnio sic Iosephus lucem affudit. *Septem boves pulchræ, septem spicæ plenæ, septem ubertatis anni sunt. Septem quoque boves tenues, atque macilentæ, & septem spicæ tenues, & vento urente percussæ septem anni venturæ sunt famis.* Ergo septem illis bobus macilentis, ac septem spicis gracilibus septem anni steriles, quibus Deus in Ægyptios animadvertere voluit, designantur. Sed si Deus vult castigare Ægyptios inediâ, cur præmittit, ac donat uberem messem, vel potius cur non prius Pharaoni ostentat boves macilentas, & spicas steriles? cur septem annos uberes, non præcedunt tot anni steriles? Deus est adeo pius, ut priusquam ad Ægyptum justitiam vindictâ famis instructam destinet, prius misericordiam provisione ubertatis ableget. Ponderatio est Seraphini Cumerani. *In ambobus somniis promittitur abundantia, quæ significatur per boves crassas antequam veniat caristia, hæc secundum textum significatur per boves fœdas, ecce quam pronior Deus est ad misericordiam, quam ad punitionem.*

Gen. c. 4.

Seraph. Cumer. conclus. 1. apud ar. vita in Gen t 3. c 41. v 4. n. 10. f. 1100.

10. Creditote N. Deum esse tantum amicum misericordiæ, & hostem flagrorum, ut dum ad puniendum à nostris culpis cogitur, nihilominus totus in id sit, ne auctor pœnarum cognoscatur. Tres divinæ personæ sub forma trium Angelorum ad domum Abrahæ pergebant, quas cum ille putaret viatores, & peregrinos omni comitate, & charitate excepit. Solis ergo ardores dum remittunt, Abrahamo valefecerunt, tamen quin declararent se esse tres divinas personas, & unum Deum omittere non potuerunt. Hinc à sancto sene ut tales adorati sunt. *Tres vidit, & unum adoravit.* Et dum per aliquot millenos passus eos comitaretur ad vallem Mambre revertitur, divinæ vero personæ iter prosequuntur, & ad domum Loth perveniunt, ubi à bono servo Dei benignissimè admittuntur. *Venerunt duo Angeli Sodomam vespere, sedente Loth in foribus civitatis. Duo Angeli?* qui hoc? apud Abrahamum erant tres. *Apparuerunt ei tres viri stantes prope eum.* Et ut tres personas, & unum Deum voluerunt agnosci: *Tres vidit & unum adoravit.* Et in domo Loth tantum duæ personæ sunt? cur non dicit esse tres? cur tertiæ etiam non fit mentio? vel potius, cur non duæ Abrahamo, & tres Lotho apparent? sanctus Pater Augustinus difficultatem solvit. In domo Abrahæ tractabatur de prole mascula danda Saræ, ejusque merito quantumvis præ senectute sterilibus; dum ergo hæc gratia, quæ filia misericordiæ est præstari debet, tres personæ volunt se manifestare, ac sciri desiderant ab ipsis hanc gratiam provenire. Sed in domo Loth agendum erat de flagellis, de justitia vindicativa, de ambustione illarum impiarum urbium, de flammis, de mutatione illarum civitatum in infernum incendiorum, ideo duæ personæ divinæ accedunt. Sed cur non una sola, vel omnes tres? Deus ad puniendum compulsus nullo modo sciri se esse severum vindicem voluit. Si una sola persona illac vadat, dicetur esse solus Deus, si tres eant, Patrem, filium, & Spiritum Sanctum auctores esse illorum incendiorum putabunt; sed quia non dantur duo dii, vel tres personæ, nec numerus binarius potest in divinis locum habere. Ergo, *Venerunt duo Angeli Sodomam*; ne à Deo illa flagella provenire quis unquam suspicari possit; *Quando gratia largienda est, tota Trinitas adest, quando severitas exercenda duo Angeli mittuntur.*

Gen. c. 18. 1 Noct. Quinq. Rep. 1.

Gen. 19.

D. Aug. in Gen.

11. Justitia quandoque non satisfieri dum castigat non nego, sed misericordia illâ castigatione sibi injuriam irrogari putat, & ut dicere solemus illud altâ mente reponit *lega al dito*, nec quietatur quousque vindictam rependat. Insignissima ponderatio. Peccat Adamus, & justitia divina ad tribunal Dei se sistit, ac trangressorem accusat, & pro demeriti gravitate castigationem sollicitat. Ergo ô judex credibile sit eum impunem fore, qui despectis tuis legibus temere te offendit? frœno coarceatur justitiâ, nec eat in illum, qui sine frœ-

no peccavit? spei locus detur reo, qui sine timore pœnæ in facinus adeo præceps ruit. Cur hanc gesto bilancem, nisi ut in eâ gravitatem noxarum ab hominibus commissarum expendam? cur hoc armatus sim ense flammeo, nisi ut offensas, quibus divina majestas vestra offenditur, vindicem? an forsan veniam meretur, quia à fomite stimulatus est ad scelus? sed quomodo id fieri possit, cum necdum illum habuerit? dicetne se fuisse coactum à sensu; non, quia rationi subjiciebatur; fragilitatem naturæ num poterit allegare? nec hoc; quia justitia originaria munitus erat. Nec necessitate eum esse constrictum dici potest, quia inediâ non premebatur. Nec ignorantiâ eum inductum dicere prodest, quia scientiâ infusa præditus erat. Ego si præcepta fuissent multa, & animi fuisset perturbati illi compaterer, sed unica tantum fuit jussio. Judex supreme si reus non plectatur, vel in mundo non est justitia, vel est oppressa! permitte ergo ut sicut ille per calles indirectas in præcipitia culpæ ruit, in abyssus pœnarum etiam deturbetur, & qui temerè voluit par esse Deo, bestijs assimiletur, & qui non voluit pacem, habeat bellum. Rationes justitiæ fuerunt admissæ; & miser Adamus ob furtum pomi à paradyso est proscriptus. *Ejecit eum de paradyso voluptatis*, & castigatus fuit, *In sudore vultus tui vesceris pane tuo.* Gen. c. 3.

12. In Bilem mota est misericordia, & hoc supplicium quamvis non adeo atrox sibi injuriosum censuit, nec unquam vult pacari, quousque ulciscentiam se repetiisse videat. Et hoc fecit, dum coram Christo in trabe crucis acto comparuit. Boni latronis causam his verbis ab ea fuisse defensam credo. Ego ô Pater pietatis sum illa misericordia, quæ inter innumerabiles copias tuorum attributorum quasi primogenita multis privilegijs sum dotata, & decorata. Et quid mihi prosit esse misericordiam, si in miserias oculos non conjiciam, vel manus non extendam? hic latro, qui inter tot tormenta tibi commoritur, submississimè ex corde veniam erratorum rogat. Et quomodo ô Pater pietatis tibi animus sit hunc latronem condemnãdi? & quomodo viscera tua tempore tuarum victorum Dæmonem triumphatorem jactare, se hunc latronem sibi vendicasse sufferre possint? an forsan peccatori pietatem, quam amorosæ hæ plagæ promittunt, negabunt? flexis visceribus pietatis in corde crucifixi; latro spiritum moribundum extremis labris hærentem resumpsit, ac misericordiæ innixus paradysum rogavit: *Memento mei Domine, dum veneris in Regnum tuum.* Luca 23. Et subitò gratiæ petitæ fit compos; ac si Christus dixisset: intuitu misericordiæ te paradyso dono: *Hodie mecum eris in paradyso.* Desinat ergo jactare justitia, nec proscriptum terrestri paradyso eum, qui pomum clepsuit sibi attribuat, & nec amplius ad suam instantiam miserijs orbis destinatum eum glorietur; Quia misericordia latroni, cui avernus debebatur paradysum, & admissionem ad gloriam, quâ beati fruuntur impetravit. Tranquilla ergo sis misericordia; cum vindictam jam sumpseris, & majora tu latroni lucra, quam justitiæ intuitu Adamus jacturas fecerit, obtinuisti. Et ponderatio Eusebij Gallicani. *Hodie mecum eris in paradyso, tanquam hæreditaria & paterna sede; qua expulso Adam, qua expulsis duobus, clausa innumeris populus, te introeunte reserabitur. Ingredere illuc primus, sed ingressu feliciori, quam primus. Intra paradysum, nequaquam ultra eum Adam visurus infernum: Nullum illuc cibum lethalem, nullam jam legem, nullam arborem pertimescas. Ego tibi illic ero victus, & vita; & ne forte verearis, ne tibi aliquis hostis in illo beato nemore, ne antiquus ille latro irritetur, possessio tibi illic me introducente firmabitur.* Euseb. Gallican. hom. de latrone beato. In Bibliot. vet. 1. P. t. 5. f. 267. col. 2. l. H.

13. Si vos curiositate devotâ moti interrogetis, num justitia, vel misericordia sit major. Ego utrumque attributum non solùm inter se, sed & cum divina essentia formaliter, & realiter identificari assero, sed si considerentur quod ad nostrum modum intelligendi, tam quo ad exercitium, quam quo ad effectus misericordia absque comparatione excedi justitiam dico. Hæc illius serva est tributaria, & è duodecim adibus pœnarum, quibus justitia animadvertere debet in peccatorem undecimum (unico solum sibi retento) misericordiæ pendere debet. Rex David Joabo duci omnes milites regni ad numerum revocaret, jussit. *Dixit Rex ad Ioab principem exercitus sui, Perambula omnes tribus Israel à Dan usque* 2. Reg. 19.

usque Bersabee, & numera populum, ut sciam numerum ejus. Spatio novem mensium, & viginti dierum Regis jussio executioni datur, & octingenta millia bellatorum ex Israël, quingenta millia ex Judæa tabulis annotata Regi porriguntur. Exercitus adeo numerosus Davidi fastus, ac vanitatis alicujus ansam præbuit. Deus qualiter succensuerit, ex supplicio quod ejus optioni reliquit deducere poterimus. Ablegavit ad eum vatem Gad, qui Davidi aut eligendum esse septennem famem, ut trimestre bellum, aut tridui pestem proponeret. David porro ultimum elegit: *Tribus diebus, & tribus noctibus erit pestilentia in Israel.* Illicò justitia prosilit irâ exæstuans, armata flagris, pestilitatem communem producit, & septuaginta millia hominum absumit. Hic quamdiu hoc supplicium durarit scire velim. Scriptura id expressè declarat. *De mane usque ad tempus* scilicet trium dierum, & noctium *constitutum.* Textus Græcus dixit: *De mane usque ad tempus prandii.* Sed cur tempori tantum detractum? ad computum id vocemus, & causam sciemus. Tres dies, & noctes quibus flagellum sæviturum erat septuaginta duas horas constituit. Hæ dividantur in duodecim partes, cuique parti sex horæ erunt. Ab ortu diei usque ad prandium, quo tempore justitia pestilitate sævijt, sex horæ, (hoc est, una pars) numeri præfati intercurrerunt. Et quonam ergo reliquæ undecim partes ex illis septuaginta horis evanuerunt? justitiâ unâ parte, (hoc est sex horis) sibi retentâ reliquas misericordiæ tribularia solvit. Speculatio est Theodoreti: *Trium dierum Deus mortem minabatur, sex autem horis solum mortem intulit, si dies autem numerentur cum noctibus invenitur pars sola duodecima pœnarum illata esse populo.* An quid melius dici possit?

Theod q. 37 in lib. Reg.

14. Quid ulterius? actus justitiæ, quos nos putamus supplicia atrocia affectus pij misericordiæ sunt. Statim ut David ob duo enormissima peccata à se patrata, unum adulterij cum Bersabeâ, alterum homicidij, quo innocentem uriam sustulit, acerbè est reprehensus, veniam à Deo ut obtineret Psalmum *Miserere mei Deus, &c.* cōposuit. Hinc intitulatur *Psalmus David, cum venit ad eum Nathan Propheta, quando intravit ad Bersabee;* à Deo misericordiam sibi exerceri postulat; *Secundum magnam misericordiam tuam.* Qualis sit hæc grandis misericordia, quam David rogitarit multi scriptores indagant. Bellarminus respondet: *David non contentus parvâ illa misericordia, qua Regni gloriam, & opes copiosas, ac filiorum multitudinem, & victoriam de hostibus, atque alia, id genus acceperat: petit misericordiam magnam, quam in peccatorum remissione, & gratiæ restitutione positam esse sciebat.* Remigius Antisiodorensis, & Divus Pater Augustinus ijsdem verbis id affirmant: *Qui magnam misericordiam deprecantur, magnam miseriam confitentur. Quærant parvam misericordiam tuam, qui nesciendo peccaverunt: Miserere, inquit, subveni gravi vulneri, secundum magnam medicinam tuam; grave est, quod habeo, sed ad omnipotentiam confugio. De meo tam lethali vulnere desperarem, nisi tantum medicum reperirem.* Divus Bernardus in Deo esse duas misericordias, unam magnam, alteram parvam asserit. Deus à peccatore offensus, si non statim pœnam repetat misericordiam parvam, & ordinariam exercet, sed si statim justitiam adhibeat, misericordiam grandem usurpat. David ergo supplicia divina esse etiam actus misericordiæ, misericordiâ magnâ secum procedi flagitavit. *Hanc ergo misericordiam Domini, qua tardat ferire, paratus ignoscere, parvam nominavit, quia hæc sola siquidem fuerit nullatenus sufficit ad salutem, imò vero judicium damnationis accumulat.* Et Philo subnectit: *Arbitror eos qui non omnino sunt inexpiabiles, optare puniri potius, quàm dimitti; nam hæc dimissio facile subvertet eos.*

Psalm. 50.

Cardin. Bellar. in Ps. 50. fol. 305. c. 2.

Remig. Antis in Psal 50. P. Aug. ib. f. 160. col. 3. l. G.

D. Ber. ser. de triplici misericordia.

Philo lib. quod deterior insidietur potiori.

15. O quot vitam, & mores emendant, quia castigantur misericordia grandi, qui in reprobum sensum dati essent, si Deus pœnam ab iis non repetiisset; corpus è furca corvis objectum, & anima in orcum relegata postea fuissent; & misericordia nihilosecius grandis eos utrique malo subtraxit. Hinc dicebat David: *Deus tu propitius fuisti eis, & ulciscens in omnes adinventiones eorum.* Sed quomodo duo effectus, *Propitius & ulciscens* respectu peccatoris verificari queant? quomodo verum sit quod ulciscatur, & propitietur? Imò ait Divus Pater Augustinus hæc vera sunt. *Etiā vindicans propitius fuisti non solum donari peccata,*

Psalm. 98.

D. Aug. in ps 98 fol. 365 c. 3. l. L.

sed etiam vindicans propitius fuisti. Videte fratres mei, quid hic commendavit: Advertite: Illi Deus irascitur, quem peccantem non flagellat; nam cui propitius est, verè non solum donat peccata, ne noceant ad futurum sæculum, sed etiam castigat, ne semper peccare delectet.

16. Oseas vates à Deo in peccatores iram velut fontanam è vase effundi dicere solebat. *Effundam quasi aquam iram meam.* Cur ira divina potius aquæ, quam igni comparatur? Rupertus respondet, quia aqua eodem tempore, quo madefacit, etiã lavat, & sordes abstergit; supplicia divina etiam hanc proprietatem habent. *Quia sicut aqua visibilis mundare solet sordes corporeas, ita illa captivitas mundavit populi peccata, ut jam non superesset in quibusdam videlicet in tribus pueris quippiam peccati, propter quod in Babilonica fornace lædi deberent eorum corpora.* Res mira de quodam Jasone Thessalonicensi narratur. Hic apostemate incurabili è sensu Physicorum exiguo tempore vita exturbandus erat: dum ergo laboraret, quodam die ab inimico ense armato ut trucidaretur, invasus fuit, sed effectu irrito, imò toto contrario. Ferrum hoc ei medela fuit, apostema namque tetigit, & sanguis putridus effluxit, & pro morte vitam, atque salutem retulit. Deus animam nostram apostemate peccati decumbere cernit. *Putruerunt, & corruptæ sunt cicatrices meæ:* justitiæ ensem arripit, & eodem tempore quo ferit sanat. *Vulnerat, & medetur* Et velut hasta Achillis. *Vulnus, operaque gerit.* Hinc Divus Gregorius *Foris vulnera admovet, ut intus vulnera delictorum sanet.* Itaque dici potest *Propitius, & ulciscens*

Oseas c. 5.

Rupert. Abb. in c. 5 Osea.

Ps. 37.

D Greg lib 6. moral. c. 18.

17. Reipsa seu remuneret nostros labores, seu nostras noxas plectat, semper misericordiam ostendit. Id testatur Laurentius Justinianus: *Quisquis dominæ miserationis ineffabiles voluerit investigare divitias omnino in ipsa inquisitione succumbet. Quis (oro) verbis explicet, vel cogitatione attingat quanta quotidie ingratis, & peccatoribus Deus beneficia conferat? Eisdem quippe creaturæ omnes pro illius famulantur imperio. Non considerat quales sint, sed ut grati fiant, & mutentur in melius, sua illis dona communicat. Illos blanditiis allicit, muneribus onerat, premit flagellis, terret minis, exhortationibus vocat, revocat indulgentia, charitate trahit, quoniam non vult peccatoris mortem, sed magis ut convertatur, & vivat.* Idcirco subinde verbis tonat ne reipsa flagra arripere cogatur Sic doctè advertit ille eruditus. *Animadvertendum Dei bonitatem, & affectum paternum, quippe qui verbis prius nos castigat, & objurgat, quàm verberibus, ut qui timore filiorum ducuntur sese corrigant, & castigati pœnas impendentes effugiant.*

B. Lauren. Iust. de Triumphali agon. Chr. c. 25.

Mathurin Quadr. Ebr. 6. hom. in Io. fol 32.

18. Quibus non effectibus misericordiam Petro, qui ter juramentis falsis, ac perjuriis execrandis eum negaret, non monstravit? Audite Divum Leonem: *Respexit Petrum, ac si diceret quid habes Petre, ad me convertere, in me confide, me sequere, meæ passionis hoc tempus est; nondum tui venit hora supplicii, quid metuis quod etiam ipse superabis? non te confundat infirmitas, quam recepi. Ego te tuo fui trepidus, ut tu de meo esses securus.*

D. Leon. Pont. ser. 3. de passion. Dom.

19. Hæ turbæ Evangelicæ in clamores erumpunt, excessusque divinæ misericordiæ, quâ filius Dei victum prodigiosè iis providit, ac fami crudeli, quæ dire eos triduo cruciarat eripuit, celebrant. *Misereor super turbam, quia ecce jam triduo sustinent me, nec habent quod manducent* O pietatem inexplicabilem? ô misericordiam mei Domini incredibilem!

Dic ô peccator unde provenit quod tot enormia scelera, quibus quotidie divinam majestatem offendis Deus non castiget? cur ut gravitas tuorum scelerum meretur non armat se gladio fulminante justitiæ, aut flagra arripit ut in te animadvertat? nullam ob aliam ego credo causam, nisi ut supervivens testis ejus infinitæ misericordiæ, & in tuum ruborem diluvio tuarum culparum necdum esse extinctum flumen supernæ pietatis cognoscas. *Misereor super turbam.*

20. O optatissimum meum bonum agnosco meas transgressiones esse magnetẽ, quis ferrum tuarum indignationum attrahit, esse vẽtum, qui flammas supernæ vindictæ accendit; & tu nihilominus pro eo quod fulmines, amorosâ incantatione raperis, ut mihi compatiaris. O mi Deus si homo etiam vilis ab hoste minimum offẽdatur,

datur, eum non posse placari scio; & tu tamen, qui auctor es nostri boni, eodem puncto; quo peccator divinitatem tuam vilipendit non semel, sed centies, imò millies qualibet hora in eo sufferendo te insatiabilem ostendis: quæ affectuosa violentia nisi divina, fulmina coërcet, & à tua manu justitiam arcet? *Misereor super turbam.*

21. Denuò cataractas cœli aperi, ac flammis, & diluviis inferni sulphure mixtis ad hos sceleratos non incinerandos, sed prorsus annihilandos ne vel reliquia supersit, & nomina à memoria posterorum extirpentur, sævi. Sed tua pietas est adeò grandis, ut videam te à me offendi si ad supplicia provocem, nec ob aliud culpæ te affligunt, & torquent, nisi quia ad castigandum te cogunt. Sed si Deus adeò sit misericors erga nos, vos viscera misericordiæ egenis largiendo eleëmosynam, aperite, & non auditis quod *sustinent vos, nec habent quid manducent*: ergo iis succurrite: *Ne deficiant in via.* Et quiesco.

ALTERA PARS.

22. LIs inter justitiam, & misericordiam orta est, & quælibet primatum prætendebat. Sed Deus misericordiæ litem adjudicavit, & quotiescunque officium utraque exercere deberet primæ deberentur misericordiæ, sancivit, quod & velut lex inviolatè servatum est. Divus Matthæus describit adventum filii Dei, quo in campum aëris vivos, & mortuos judicaturus, & pro meritis præmia, vel supplicia decreturus descensurus est. *Statuet oves à dextris suis, hædos autem à sinistris.* Matth. cap. 25. Primò ad bonos se convertet, eosque beatitudine præmiabit. *Tunc dicet Rex his, qui à dextris ejus erunt. Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi.* Dein impios his compellabit: *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & Angelis ejus.* Ego cur non prius impios inferno puniat, & dein justos gloriâ remuneret, inquiro. Cur prius impios non destinet pœnis, & dein electos ad gloriam vocet? cur prius non dicit *ite maledicti*, & postea *venite benedicti*? Auctor operis imperfecti Deum voluisse, opera misericordiæ præmiando prædestinatos, operibus justitiæ castigando reprobos anteponerentur respondet. *Quia paratior semper est Deus ad benefaciendum, quam ad puniendum; nam bona bonis secundum propositum tuum præstat, quia bonus, malis autem mala contra propositum tuum facit invitus, quia judex est. Prius boni ad præmia vocabuntur, quam mali ad supplicia sint relegati.* Auctor oper imperfect. hom. 54. in Matth.

23. Et dum manibus Dei flagellum extorquere non potest, illud mitigare, & lenire conatur. Adamus, quam non pœnam promeruit ob delictum adeò enorme patratum, cum leges sui creatoris vilipendit, & potius hosti orcino dicenti: *Non moriemini*, quàm Patri veritatis asserenti. *In quacunque hora comederis ex ea morte morieris*, fidem adhibuit? nihilominus solâ proscriptione è paradyso terrestri punitus fuit. *Ejecit eum de paradyso voluptatis.* Sed annon mille mortibus atrocissimis castigari merito poterat? si quis graviter læsisset principem, vel ei se rebellem exhibendo, vel ejus solium, aut vitam petendo, vel aliquod crimen læsæ majestatis patrando, an non magna clementia foret, si princeps cum posset eum tormentis enecare, solum exilio civitatis mulctaret? aliâ pœnâ Adamum non involvit. *Ejecit eum de paradyso voluptatis.* O benignam misericordiam! væ Adamo, & nobis si advocata nostra non fuisses, tu mortem atrocem in simplex exilium mutasti: audite divum Joannem Chrysostomum: *Exire inde jubet, monstrans quod propter nihil aliud hoc faciat, quam propter misericordiam, qua illum prosequebatur.* Gen. 3. 7. Ioan. Chrysost. hom. 18. in Gen.

24. Hic ad propositum meum, quod inter David, & Saulem successit, quadrat. David iram ingrati, & perfidi Saul declinavit, qui omni modo eum suæ facere potestatis, ac è vita expellere studebat, cum tamen potius eum remunerandi, quam persequendi causas haberet. Ambo in campo non longè à se invicem aberant. Rex spelæum quoddam, in quo David delitescebat ob causas quasdam ingrediebatur, & quia antrum obscurum erat à Saule David non videbatur, dum ergo Rex parumper ibi subsisteret, David silenter ad Saul adserpit, & oram chlamidis succidit. *Surrexit ergo David, & præcidit oram chlamidis Saul silenter.* Saulo aliquantulum à specu digres- 1. Reg. cap. 24.

so, David Saulem inclamabat, & dextra limbum vestis abscissum monstrans ingeminabat. *Vide, & cognosce oram chlamidis tuæ in manu mea, quoniam cum perscinderem, nolui extendere manum meam, ad te;* ac si diceret: vide ô Saul, una eademque opera te jugulare potuissem, qua vestimenti limbum præscindere. Idem inter Deum, & peccatorem, mihi intercedere videtur. Quis eo ipso, quo peccamus à Deo nos neci corporali, & spirituali dari posse ignorat? *Anima quæ peccaverit ipsa morietur. Peccatum cum consummatum fuerit generat mortem.* Nihilosecius in gratiam misericordiæ, præscissione oræ chlamidis, afflictionem, corporis invalitudinem, incarcerationem, opum jacturam, vel quid simile immittendo contentatur. Id credo, quod D. Chrysostomus inferre voluerit. *Hic mos est Domini nostri, ut puniens non minus, quàm benefaciens, suam erga nos declaret benignitatem.*

Ioan. Chrysost.

25 Deus quadam vice dum iniquitas orbis ad summum pertigerat, justitiam contentare decrevit. *Non permanebit spiritus meus in homine, quia caro est, eruntque dies illius centum viginti annorum.* Dilationem pœnæ ad centum, & viginti annos promisit: sed quid? centum elapsis, & viginti diebus non exspectatis cataractas cæli reseravit, totumque orbem undis suffocavit, sed quid? Deus non stat suis verbis. Cur non exspectat viginti annos, intra quos forsan emendatione vitæ peccata detestarentur? an forsan justitia hujus accelerationis causa fuit? an forsan noxæ adeò augebantur, ut Deus se continere non posset? hanc accelerationem misericordia causavit, illis, quia non emendabantur, sed pejores evadebant, adeoque majora supplicia advocabant illa à Deo præcipitari vindictam, nec exspectari annorum viginti decursum, rogando impetravit. Hinc divus Chrysostomus interrogans ait: *Quare cum dixerit Dominus centum viginti anni erunt dies eorum, promiseritque se tanto tempore, & longanimitate usurum, antequam implerentur anni promissi, universale intro duxit excidium? hoc suæ misericordiæ est argumentum, & indicium; nam quoniam vidit quotidie incurabiliter eos peccare, & non solum nihil ex sua indicibili longanimitate proficeret, sed etiam incrudescere vulnera, propterea succidit tempus, ne majori pœna se obnoxios facerent.*

Gen c. 6.

Ioan. Chrysost. hom 25. in Gen.

26. Moysen ab Aarone, & Maria sorore murmurationibus esse petitum liber Numerorum commemorat. Deus igitur Moysen mansuetissimum nil motum videns, ipse tributum murmurationis solvere voluit. Et Mariæ vultui lepram affricuit. *Ecce Maria apparuit candens leprâ, quasi nix.* Nonnulli cur Deus potius vultum, quàm linguam murmuratricem eam usu suo privando, vel aliam partem corporis non castigarit, inquirunt. Ego Deo hoc à misericordia suggestum credo. Hæc fæmina non minus venusta, quam fastuosa, & jactabunda ob venustatem, quæ in vultu residebat, erat; hæc quotidie delinquendo peccato vanæ gloriæ, aut superbiæ ei occasio fuit. Immissio lepræ decorem sustulit, & occasiones divinæ justitiæ accumulando supplicia juxta peccata superbiæ, & vanæ gloriæ, subtraxit. *Si scisset nos non pejores fieri, neutiquam ultra punivisset, sed ut reprimat nostrum ad deteriora progressum, & tollat malitiam ulterius grassantem suam servando misericordiam punit.*

Num. c. 12.

Ioan. Chrysost.

27. Sed si peccator postea se non emendet justitiæ misericordia cedit, & simul omnia debita obliterat. Christum esse petram recordemini. *Petra autem erat Christus.* Lapis nonnisi silice percussus ignem dat. Hic scripsit Simposius.

Semper inest intus, sed raro cernitur ignis.
Intus enim latet, sed solos prodit ad ictus.

Simpos. in silice ap. Cerdan. lib. Æneid. vers 4. nota 11.

Ignis justitiæ in pectore Dei delitescit, nec semper scintillat. Sed demum in nostram perniciem silex nostrarum culpàrum ex eo fulmina elicit. Antonius pius fulgorem supra lectum depinxit, ut justitiam sopori immersam denotaret, quæ si strepitu nostrorum scelerum excitetur, nostro damno quid possit, & valeat, probamus Hinc David: *Exurge, quare obdormis Domine?* an Deus dormit? *Exurge*, ait Bellarminus, *à somno, id est, fac quod illi faciunt, qui surgunt à somno, & incipiunt videre, quod antea faciunt non videbant.* Hucusque somnum finxisti, oculos obfirmatos habuisti, culpas nostras non observasti; sed si ex-

Psalm. 43

Card. Bellarm. 16. fol. 256. co. 1. v. 25.

si excitetur, locum præbebit justitiæ, ut misericordia nil agere possit. *Excitatus est Dominus tanquam dormiens.* Hinc Remigius Antisiodorensis: *Quia licet firmiter, & diu obdormivisset, tamen excitatus potens fuit inferre vindictam inimicis suis.*

Psalm. 77

Remig. Antis. 16. in Biblia vet. PP. tom. 9. fol. 772. cap. 2. 1. F

O peccator est ne possibile quod genium Dei non noscas, nec agnoscere velis? noscis eum, sed auxilio misericordiæ nimium tribuis, hanc solam tibi proponis, præterea etiam dari justitiam vindicativam, & punitivam sub oculos pone, & recordare illius dicti divi Augustini quod *parcendo sævit Deus.* Justitia plumbeos habet nunc pedes, parum se movet, sed lenitatem gravitate pœnarum æquat. *Lento gradu divina procedit ira, tarditatemque supplicii, pravitate pœna compensat.* Nil ulterius quod dicam scio, solum documentum unicum, quod practicatum utilissimum erit tibi propono. Vive ac si in Deo non esset misericordia, & postea morieris ac si non esset justitia. Et vade in pace.

D. Aug. serm. 37. de verb. Dom. Valer. Max lib 1. cap. 2. nu. 25.

DOMINICA SEPTIMA

POST PENTECOSTEN.

Non omnis, qui dicit Domine, Domine intrabit in regnum cœlorum, sed, qui fecerit voluntatem Patris mei, &c. Matth. cap. 7.

ARGUMENTUM.

Ostenditur Christianum debere facere bona opera, & qui illa non facit est hypocrita, & à Deo condemnabitur.

1. Non est nobilis, qui nascitur ex sanguine illustri, sed qui actionibus hæroicis illustrem se reddit, & mundo se æstimabilem facit virtutibus illustribus; Hæc sententia est, quæ Lucano ascribitur.

— Perit omnis in illo.
Nobilitas, cujus laus est in Origine sola.

Lucan. ad Pisonem.

Huic etiam opinioni consentit Juvenalis, & etiam adnectit.

Toba licet veteres, exornent undique ceræ
Atria, nobilitas sola est, atque unica virtus.

Iuvenal. Satyr. 8. v. 8.

Sic Ulisses Ajacis argumenta oppugnans cecinit:

Non genus & proavos & quæ non fecimus ipsi
Vix ea nostra voco.

Ovidius Meth lib. 15, v. 132.

Hujusmodi sententiæ fuit Seneca dicens: *Non facit nobilem atrium plenum fumosis imaginibus.* Adolescenti, qui progenitores allegabat ad gratiam obtinendam respondit Antigonus: *At ego adolescens non ob patrias, sed proprias cujusque viri virtutes mercedem, & munera soleo dare.* Quinimò indignitate operum splendores nobilitatis, quam antiqui monetâ sanguinis, & pretio virtutis compararunt, obfuscantur.

Seneca apud Lubinum in comm Satyr. 8. v. 2 fol. 196. Plutarch.

Qui bono sunt genere nati, si sunt ingenio malo suapte culpa genere capiunt genus.

Eutych. apud Plut. in mercat. Act. 5. Scen. 4. v. 8

Ingenio improbant

Et Horatius subjungit:

Horat. carm. l 4. ode 4. v. 35.

Vtcunque defecere mores
Dedecorant bene nata culpa

Ita, ita. Vera nobilitas non ducit originem à stirpis sanguine, sed à dignitate operum, & ab actionibus, quæ dependent à prudentia animorum, & litterarum. Agatocles parentibus ignobilibus natus, quando Rex Siciliæ creatus fuit, vasa argentea, & fictilia mensæ inferri permisit dicens: *Cùm antea talia fecerim nunc per vigilantiam, & fortitudinem hujusmodi facio aurea.* Et noster salvator Hebræis interrogantibus, quis esset: *Quousque animam nostram tollis, si tu es Christus, dic nobis palam*, sic respondit: *Opera, quæ ego facio testimonium perhibent de me.* Quæ hucusque dixi de nobilitate hominis, illa de dignitate christiani inferre volo. Esse verum servum Dei, non consistit in hoc, quod sit progenitus ex christianis; nec esse sincerum fidelem Christi, non stat in hoc, quod aliquis sit natus ex iis, qui protexerunt fidem catholicam, aut suas industrias impenderunt pro exaltatione sanctæ Matris Ecclesiæ, vel quod undâ Baptismatis ablutus sit, sed valor propriarum, & sanctarum operationum à Christo sub metaphora fructuum in hodierno Evangelio assignatorum requiritur: *Non potest arbor bona malos fructus facere. A fructibus eorum cognoscetis eos*; & demum *non omnis, qui dicit Domine, Domine, sed qui fecerit voluntatem Patris mei, &c.* Hinc Eusebius Gallicanus: *Sicut enim unaquaque arbor à fructu suo cognoscitur, ita unusquisque homo in operibus suis cognosci potest, ideoque non dixit à foliis eorum, sed à fructibus eorum cognoscetis eos.* Fructus, & non folia, opera & non verba vult Deus quod faciant Christiani. Hoc faveatis mihi vestrâ attentione, & ego præsenti discursu id vobis demonstrabo.

Laer. lib. 6 cap. 1.

Ioannis cap. 10.

Euseb. Gallic Dom. 8. post Pent in Bibl. vet. PP. cap. 5.

PARS PRIMA.

2. INter alia documenta, quæ Christus suis Discipulis reliquit, unum ex hodierno Evangelio fuit: nempe: *Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces*: mei charissimi valde attenti sitis, nec aliquid vobis ab his impostoribus imponi sinatis; nam vendunt vitrum pro auro, & volunt vobis persuadere, quod lucerna sit lux, & quod luna sit puteus, vendunt vobis lepores in sacco, & falsitates depingunt coloribus veri, vitium pro virtute vendunt, & nigredinem corvi albedine cygni tingunt, & carnem lupi sub pelle mansueti agnelli abscondunt, hos velut ignem fugite, & velut peccatum destamini, sicut mortem abominamini, quia instar galli suavia cantant, & mala produnt, vocem habent Jacob, & manus Esau, ex centum libris promissorum non habebis dragma executionum. Verbo: promittunt, & non faciunt. Hi dicunt *Domine* credendo, & lingua confitendo *Domine*, sed non replicant tertio, *Domine*, quia manu opera sancta non exercendo solum nomen Christiani habent. Sunt plantæ, quæ nonnisi frondes fructuum apparentium habent. Non nisi oppositum sunt, sed requiritur ad essentiam Christianissimi. Sunt milites Christi, sed ejus bello sunt inutiles, & superflui.

3. Romani, quando milites ad bellum mittebant, dabant iis scutum, quo se oppugnarent, sed erat simplex absque ornatu, vel arte aliqua fabrefactum. Hoc ideo fecerunt, ut eorum, qui in bello se bene gerebant actiones, & opera heroica illi scuto incidi possent; illi verò, qui nihil digni patrarant è numero militum proscribebantur, & velut personæ viles flocci pendebantur. Sic testatur Plutarchus: *Qui post bella nihil præclarum in scuto depictum gerebat pro inglorio habebatur.* Nos sumus milites Christi, quia *militia hominis est vita super terram.* Deus nos scuto fidei ornavit. *In omni-*

Plutarch.

Iob c. 7 ad Ephes. 6.

omnibus sumentes scutum fidei. Sed hoc scutum est absque ornatu bonorum operum, nos ipsi in illo gesta præclara sculpere debemus. Hinc si in campum proferamus scutum rude, apud Deum, qui à nobis non exspectat nisi opera bona, inglorii erimus, & velut milites meticulosi, & inutiles, ab eo abigemur, & puniemur.

4. Divus Petrus Apostolus hac exhortatione nos animavit: *Dominum IESVM Christum sanctificate in cordibus vestris.* Quid significat tò *sanctificate*? an nos, qui sumus peccatores Redemptorem, qui est ipsa sanctitas sanctificare possimus? cum ipse sit fons, & origo scaturiens sanctitatem, indigemus, ut ipse illam communicet nobis. Hunc passum sanctus Doctor Angelicus Thomas sic interpretatur dicens: *Sanctificate, idest, sanctum ostendite, pateat omnibus Christum sanctum in vestris animis esse. Si igitur vos Christi discipulos, christianæque Religionis professores esse asseritis, illumque vestris animis præesse fatemini, in illius vestigiis insistite, eamque vitæ integritatem, morumque sanctitatem amplectimini, ut quivis etiam Ethnicus, & infidelis ex virtutibus, & moribus vestris Christum in vobis esse cognoscat.*

1. Petri c. 3

D. Thom. Angel. Franc. Lab. c. 3. de bonis oper. pro. 5. fol 897. col. 1.

5. Refert Plutarchus Athenienses dum pro publico bono palatium ædificare intenderent duos Architectos, qui idæam delinearent elegisse. Uterque in senatum vocatus fuit, ut quisnam esset melior, viderent. Primus magnâ facundiâ, & apparatu verborum de altitudine, & amplitudine palatii, quam profunda debeant esse fundamenta, quam crassi muri, quot, & quam magna conclavia, quot fenestræ, & ostia, qualis debeat esse forma, qualis idæa, quales scalæ, quot sumptus necessarii, quot opifices, quantum tempus ad ejus complementum adhiberi debeat discurrere cœpit. Alteri à senatu, ut suum depromeret sensum postea impositum fuit. Laconicè porro iste respondit, & paucis se expedivit dicens: *Ego opere adimplebo, quod iste tot verbis amplificavit.* Alter velut verbosus, & inoperando tenax dimissus, hic autem fabricæ præfectus delectus est. Deus eos veros, & bonos christianos habet, qui non verbis, sed operibus facundi sunt.

Plutarch. apud Labat 3. de oper. bonis propop. 4. fol. 890.

6. Alias, cur filius Dei ita applauserit Magdalenæ, dum unguento suum caput delibavit, à me rationes sanctorum Patrum adductas recordor: *Amen dico vobis, ubicunque prædicatum fuerit hoc Evangelium dicatur, quod hæc fecit in memoriam ejus.* Domine cur tanto honore, & applausu hanc fæminam peccatricem afficis? habet facta, & non verba, tacet, & operatur: *Bonum opus operata est in me.* Hoc opus meritorium alis famæ per totum orbem volare voluit, & in memoria hominum indelibiliter vivere, & magis celebrari, quam omnia heroica gesta Alexandrorum, & Imperatorum. Tempus, quod tenebris oblivionis Heroes involvit per omnia sæcula unctionem Magdalenæ immortalem conservabit. Illud, quod scribit Chrysostomus audiamus. *Hæc abjecta mulier, quæ tantum effudit unguentum, toto orbe terrarum decantatur, & nec temporis quidem tam immensa longitudo memoriam illius vel extinxit, vel extinguet unquam, idque cum factum ipsum non esset insigne, neque ulla res potuit illius abolere memoriam, quin potius regnis omnibus, ac regibus universis celebrior est nunc mulier, nec ulla ætas oblivioni tradidit, quod factum est.*

S. Marcus cap. 14.

Ioan. Chrysost. apud Labat. Tom. 1. de operib. bonis propo 3. fol. 653. c. 1.

7. O Venetiæ! Deum habemus, qui non tam præbet aures verbis Christiani, quam oculos ad operationes ejusdem meritorias aperit. Quod benè, vel malè verba formes, imò quod mutus sis parum refert, dummodo actiones virtuosæ loquantur. Deus noster Moysen velut legatum ad Pharaonem quatenus populum Isräeliticum libertati restitueret ablegare decrevit: *Veni, & mittam te ad Pharaonem, ut educas populum meum, filios Israel de Ægypto.* Moyses huic officio se ineptum agnoscens excusationem prætexuit dicens: *Quis sum ego, ut vadam ad Pharaonem, & educam filios Israel de Ægypto?* Domine, nec possum, nec volo, nec debeo tibi refragari, sed si meum sensum proferre debeam me ineptum agnosco, sum

Exod. c. 3.

sum rudis, & pauper opilio, nil nisi pecudes custodire, & tondere scio, in agris agere didici, in quibus nullam occasionem habui cum personis honestis agendi, forsan apud regem aliquâ incivilitate delinquam, & perpetuam confusionem incurram. Præterea cum semel audierim aulam esse malam mercem, *& chi disse corte volse dirmorte, edamorte, è Corte non ve altra differenza, che una lettera, esi chiama corte perche accorta la vita de gl huomini.* Hoc est: quia semel intellexi, quod qui dixit *Corte* (id est aulam) voluit dicere *morte* (hoc est mortem) & quod *corte* unicâ tantum distet littera à morte, quia *accorta*, id est, *decurtat* vitam hominum ideo Domine ignosce mihi, non sum aptus ad hoc opus. Et quia legatus debet esse eloquens, facundus, expeditus, & succinctus in negotiis regi proponendis. Ego autem sum elinguis, & balbutiens, Pharao qui est tetricus, & phantasta injuriâ aliquâ me afficere, vel me abigendo, vel non admittendo ad audientiam posset. Verbo: de alio tibi provideas, quia per me nullum honorem habebis.
Exod.c.4. *Non sum eloquens, impeditioris, & tardioris linguæ sum?* sed dic ô Moyses cum quo modo loqueris? cùm Deo. Siste ergo, si ineptus sis ut loquaris cum Pharaone, quomodo aptus es ut loquaris cum Deo? hic forsan non advertit te balbutire? quinimò; sed parum refert, quod lingua sit tarda, dummodo manus ad operandum veloces sint. Non curat num verba malè formentur dummodo actiones benè fiant. Ad hoc propositum dixit sanctus
S. Anselm. Anselmus: *Illa enim sola fides, quæ charitate flagrat, & bonis operibus insudat valet in Christo Iesu.*

7. Quidam Villicus seu Oeconimus apud Dominum ob res malè administratas accusatus fuit: *Hic diffamatus est apud illum, quasi dissipasset bona illius.* (Luc. c.16.) Dominus non statim accusatoribus fidem præbuit, sed prius veritatem palpare manu, computus, & expensas revidere voluit, juxta leges, quæ sic determinant. *Iudex debet omnino inquirere veritatem.* Villicum accersiit, iique delata proposuit: *Vocavit illum & ait quid hoc audio de te?* Intellexi quod te valde male habeas, & facultates meas pessimè administres. Magna noxa, Domini non possint fidere servis, si aliquam fraudem in te reperero, te dimittere, & alium tuo loco substituere qui fidelius, & accuratius mihi serviat, proposui. Rationem redde de reditibus hujus anni, & quantum frumenti collegeris. Tot pecunias, quas à meis debitoribus recepisti, quomodo expendisti? tu taces? taciturnitas tua te reum, & injustum accusat. Audite responsum Villici: *Quid faciam, quia Dominus aufert à me villicationem? quid faciam?* cur non respondes ad interrogata? cur non potius dicis *Quid dicam?* hic Dominus, ait Alcuinus, figura Christi est, Villicus verò Christiani. *Quis est homo dives nisi Christus; dives in cælo, & dives in terra, dives ubique, plenus gratia, & veritatis. Dives apud quem absconditi sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ, dives in omnibus, & in omnes, qui invocant illum: Villicus autem est unusquisque Christianus, qui in baptismo villicationem sui accepit, & proximi.* (Albinus Flaccus Alovin in c.16. D. Lucæ ex Dom 10. post Pent.) Sciebat ergo apud Deum non verba, sed opera, & actiones locum habere; & ideo non quid dicere, sed quid agere debeat, præmeditatur. *Non enim*, ait Didacus Stella, *quid dicam, sed faciam: sciens, quia apud Deum plus valent opera virtutis, quam verba facunda* (Didacus Stella in cap.16. Lucæ.)

8. Saulus litteris credentialibus à Sinagoga Hebræa, amandatus fuit, ut omnes, quotquot vel minimo indicio notaret esse asscriptos numero fidelium, & credere in JESUM Christum, inter opbropria, & dolores in aspero, & duro ligno crucis enectum, Hierosolymam captivos duceret. (Actor.9.) *Accepit Epistolas in Damascum, ut si quos invenisset hujus viæ viros, ac mulieres vinctos perduceret in Ierusalem*, mandato recepto, phalange militum stipatus Damascum perrexit, & dum ibi plures intelligeret vivere Christianos, quamlibet horam millenos annos censebat, donec in ardenti flammâ inveterati odii undam rubentem sanguinis

nis odiosi extingueret. Ad solum nomen fidelium, & Catholicorum instar Tygris sæviebat, & velut ferocissimus leo, bellum, necem, & mortem minabatur. Sed ille Deus, qui *de lapidibus potest suscitare filios Abrahæ*, & agnos in lupos mutare, illicò ei apparuit, fulgore eum cinxit, & in aëre voces, quæ ejus cor penetrarunt: *Saule, Saule, quid me persequeris*, formavit. Hac voce Jesu Christi quasi à fulgere, quod turbatum cælum illustrat mens Sauli illuminata, sic respondit. *Domine, quid me vis facere?* facere? sed cur non respondet: *Quid me vis dicere?* Deus non verba, sed opera, non folia, sed fructus à Christiano vult. *A fructibus eorum cognoscetis eos.* Ille est verus Christianus, & perfectus fidelis, *qui fecerit voluntatem Patris mei.* Hinc ait divus Gregorius Papa. *Tunc enim veraciter fideles sumus, si quod verbis promittimus, operibus compensamus.* Sed hæc opera ad quid serviunt. Ut eamus in paradisum. An non hoc in hodierno Evangelio auditis? *Qui fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis est, ipse intrabit in regnum cælorum.* Habeat nomen quodcunque velit, sit qualiscunque, sit sine operibus gloriam consequi non potest. Hoc non obstante, Theologorum doctrinam quin hic adducam omittere nequeo. Illi sic docent. *Duplex est genus operum: Quædam interna, quædam externa; loquendo de operibus externis licet adultus possit justificari sine operibus externis in actu, cum homini non adest tempus, & copia operandi talia opera externa, non tamen potuit justificari sine illis in voto, atque animi præparatione, tunc ea operandi, cum facultas in eo erit, & opportunitas dabitur. Si vero de internis operationibus concomitantibus justitiam tum in animi præparatione, tum in actu, justificationis beneficium valet obtinere.* Hæc est veritas Catholica, nec alia potest adferri doctrina.

D. Greg.

Evangel. Patavin in l Theorem. Theo. th. 6. regul 5 dissert. fol. 247. col. 1 nu. 14.

9. Hoc regius Propheta David verbis, quæ interpretatus est sanctus Pater Augustinus Ecclesiæ Doctor. *Declina à malo, & fac bonum*: persuadere voluit: ac si diceret. *ad obtinendam gloriam non sufficit abstinere à malo, sed & necesse est operari bene & sancte vivere.* Hæc est doctrina sancti Patris Augustini, sic dicentis: *Parum est nulli noceas, nullum occidas, non fureris, non adulteres, non fraudem facias, non falsum testimonium dicas, declina à malo. Cùm declinaveris dicis servus sum, perfeci omnia, habebo vitam, habebo dies bonas. Non solum declina à malo, sed, & fac bonum. Parum est, ut non expolies vestitum, vesti nudum: Si non expoliaveris declinasti à malo, sed non facies bonum, nisi cum peregrinum susceperis in domum tuam. Ergo sic declina à malo, ut facias bonum.*

Psalm. 33.

P. August. in Psal. 33 fol. 79. col. 3, l. 8.

10. Quid verbis illis, quæ attribui solent divo Patre Augustino intelligi putatis, & opinionem ejus explicabit: *Qui creavit nos sine nobis; non vult salvare nos sine nobis*: Deus, qui nos creavit absque eo, quod nos ullo modo concurremus, nos non vult salvare nisi quod Christiani & hominis perfecti est, agamus. Hic quod sanctus Paulinus Episcopus narrat mentem & doctrinam meam subit. Quodam Cathechumeno cum multis mari navigante, tempestas adeo sæva exoriebatur, ut navis fermè submergeretur, atque in arenam depelleretur. Omnes præter Catechumenum, qui se divino commendabat auxilio atque in Deo spem suam ponebat, ut naufragium effugerent se undis commiserunt. Per viginti tres dies navis fluctibus hinc inde agitabatur; & eo illo tempore Christus Dominus noster nunc nautæ, nunc remigis vices agens, jam ad proram, jam ad puppim accurrebat, modo remos ducebat, modo vela pandebat, vel contrahebat. Senex Catechumenus manibus feriantibus inter fluctus maris quiescebat, tandem manum extendendo suppetias ferre dignatus est; & mox pacatur mare, & navis fœliciter ad portum appulit. Hoc facto Christus Redemptor noster Catechumenum docere voluit, quod *non vult salvare nos sine nobis*, & quod non vult dare gloriam cælestem, & paradisi portum, nisi manum bonis operibus applicemus, &

Apud Labat. tom. 2 de oper. prop. 6.

auxilium Dei petamus. Hinc Pelbartus super verba Evangelii ait: *Non omnis, qui dicit Domine, Domine, intrabit in regnum calorum, scilicet ad beatam visionem, ubi secundum Doctores, Christus satis clarè ostendit; quod non omnis Christianus salvabitur, nec ad visionem Dei admittetur, quamvis Christum Dominum vocat; ostendit etiam qualis Christianus excludetur à regno calesti æterna beatitudine, & Dei visione: Nam sunt aliqui, qui tantummodo semel dicunt Christo Domino, hoc est corde, & ore, sed tantum contradicunt opere, & omnes tales non videbunt Deum. Sed boni Christiani ter dicunt Domine, Domine, Domine, hoc est corde, ore, & opere, faciendo Dei voluntatem in omnibus praceptis implendis, & tales intrabunt in regnum calorum.*

Pelbart. in Dom septima post Pent.

11. Sanctus Pater Augustinus hujus rei causam inquirit, num ramus olivæ, quem columba post diluvium ad arcam Noë rediens portavit foliis tantum, cum dicat Scriptura Sacra: *Virentibus foliis*, & non etiam fructibus onustus fuerit; & demum eum fuisse fructiferum (nam aliàs Noe fenestram non aperuisset, nec columbam redientem intromisisset) concludit. Et quid aliud demonstrare & manifestare voluit, nisi quod anima columba mystica, quæ post mare procellosum hujus mundi ad arcam paradisi redit, & æternæ vitæ se participem facit, non esse admittendam, nisi præter ramum viridem fidei, etiam fructus operum portet? *Ramus ille*, inquit sanctus Augustinus, *& folia, & fructus, nempe opera, & virtutes habet.* Idem confirmat Divus Isidorus Hispalensium Antistes: *Vacua est sine operibus fides, & frustra de sola fide blanditur, qui bonis operibus non ornatur.*

12 Quinque illæ virgines sunt habitæ fatuæ, & audierunt: *Nescio vos, & clausa est janua*, quia oleo caruerunt operum, & non nisi verba, *Domine, Domine, aperi nobis* adferebant, verum aliæ quinque virgines vocatæ sunt prudentes, & admissæ sunt ad nuptias, quia oleum bonorum operum habuerunt. Hinc Paschasius Ratbertus ait, *Quia non habuerunt opera charitatis æterna, nec indeficiens lumen, ideo extinguuntur, quia temporaliter egerunt, & resplenduerunt in sæculo operibus infructuosis.* Et sanctus Gregorius. *Non satis est habere fidem, nisi vita sit fidelis, nonnulli fidem medullitus tenent, at vivere fideliter nullatenus curant, quibus divinâ providentia sæpe contingit, ut propter hoc, quod nequiter vivunt, & illud perdunt, quod salubriter credunt.*

Matth. cap. 5.

Paschas. Ratbert. in

cap. 15. Matth.

Greg. 23. moral. 10.

13 Itaque illi homines, qui cælum introituros se imaginantur, quia sunt Christiani, virtuosis & operibus bonis carentes, & tantum dicunt: *Domine, Domine*, graviter errant, atque seipsos decipiunt. In libro Judicum mirum passum reperio. Galaadites Euphrathæorum hostes capitales erant, eosque omnes, quos habere possent neci dare decreverunt. Et quid non egerunt? *Occupaverunt Galaaditæ vada Iordanis per quæ Ephraim reversurus erat.* Et quid præter Euphratæos variæ nationes transibant, quem astum invenerint, ut ab aliis secernerentur audite. Euphratæi exprimere non poterant *Sei*, sed vice illius pronuntiabant *si*. Hinc Galaaditæ omnes transeuntes verbum *scibboleth* pronunciare fecerunt, & vigiles omnibus illis, qui expeditè proferebant *scibboleth* (eo quod signum esset illos non esse Euphrathæos) liberum transitum sine impedimento concesserunt. Et dum casu transibant Euphrathæi, eorum gressus sistebant, & à quolibet nomen, cognomen, patriam & omnes circumstantias exquirebant: *Dicebant ei Galaaditæ; nunquid Euphrathæus es?* si negabat, ut eum dignoscerent dicebât: *Dic ergo scibboleth*, & si hanc vocem proferebat signum erat esse Euphrathæum, & illico ensem exercebant, & eum occidebant, & in flumen præcipitabant: *Interrogabant eum, dic ergo scibboleth, qui respondebat sibboleth, statimque apprehensum jugulabant in ipso Iordanis transitu, & ceciderunt in illo tempore de Ephraim quadraginta duo millia.* Ab ijs non casu, sed maximo cum judicio, & misterio duo verba præfata adinventa imagine mini scibboleth significat nihil aliud quam spicam grano plenam, sed sibboleth granis vacuam. Nunc quid hoc textu morali-

Iudicum cap. 12.

raliter Spiritus Sanctus doceat videamus.

14. Dum Christianus morti vicinus, è mari fluctuoso hujus mundi ad portum paradysi & æternam gloriam transire volet Deo omnipotenti, qui ab eo quæret, quis es, cujus fuisti professionis, sistetur. Si poterit proferre istud unicum verbum, & dicere Scibboleth, si fuerit spica granis onusta, hoc est Christianus bonis operibus fœcundus, fœliciter ad alteram ripam paradysi transibit, & hæres æternæ gloriæ erit; sed si è contrario dicat *sibboleth*, fueritque spica sine granis, hoc est fidelis vacuus, & fructibus operum bonorum carens, morti æternæ adjudicabitur, & non in fluvium Jordanis, sed in ignem inferni (cum Jordanus, sic interpretante Divo Hieronymo idem sit, ac *fluvius judicii*) præcipitabitur: *Omnes igitur per vada Iordanis in cœlestem patriam, seu fluminis judicii transire debemus, at non omnes, sed qui tunc vere dicere possunt scibboleth, hoc est spicam granis plenā, qui vero sibboleth, hoc est spicam vacuam proferunt, in transitu Iordanis, transibunt in gehennam, non in cœlum.*

Franc. Lab de operi. bonis to. 5. propos. 4 f. 889. col. 1.

15. Væ illis, qui non nisi nomine tenus Christiani erunt. Maledictionis, quâ Christus è Bethania discedens ficum devovit, recordemini: *Videns ficus arborem unam secus viam, venit ad eam, & nihil invenit nisi folia tantum, & ait illi: Nunquam ex te fructus nascatur in sempiternum.* Hæc misera arbor quid deliquit? Paschasius Ratbertus eâ Synagogam Hebræam denotatam, quæ non nisi apparenter habuit folia, sed nullos fructus bonarum operationum, affirmat. *Venit ad Sinagogam, & venit eam infœcundam sine fructu foliis tantummodo vestitam, id est verbis inanibus gloriantem, ac fructibus vacuam, operibus quidem bonis sterilem.*

S. Matt. capite 21.

Paschas. Ratbert. to 6. bib vet. pat in c. 21.

Sed, si diras fulminavit in Sinagogam Hebræam, quia fuit infructuosa, quid non aget cum Christiano actionibus meritorijs infœcundo, & qui Christianus nomine, & non re fuit? audite Bedam: *Arefecit Dominus arborem maledicti, ut homines videntes hoc, sive audientes, multo magis intelligerent se divino condemnandos esse judicio, si absque operum fructu de plausu tantum sibi religiosi sermonis, velut de sonitu, & blandimento viridantium glorientur foliorum.*

S. Matth. lib. 9. fol. 1140 lit. B Beda hom. 7. in quad. t. 7 in c. 21 S. Matt.

16. Non nescio multos à Dogmatibus fidei Catholicæ aberrantes falsò docuisse solam fidem sufficere, ne requiri bona opera, quia Christus actionibus infiniti valoris pro nobis satisfecit. Et in hunc finem Apostolum ad Romanos sic scribentem allegant: *Vbi est ergo gloriatio tua? Exclusa est, per quam legem? factorum? non: sed per legem fidei: Arbitramur enim justificari hominem per fidem sine operibus legis.* Sed quantum hi absint à vero ex multis locis scripturæ ostendi potest.

Ad Rom. c. 3. n. 27.

David, *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo? qui ingreditur sine macula, & operatur justitiam.* Psalm. 14.

Sanctus Matthæus. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona.* S. Matt. c. 17.

Sanctus Joannes. *Procedent, qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ, qui vero mala egerunt in resurrectionem judicii.* S. Io. c. 5.

Sanctus Paulus. *Ergo dum tempus habemus operemur bonum ad omnes.* Ad Galat. c. 6.

Sanctus Petrus. *Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis.* 2. Petr. 1.

Sanctus Joannes Chrysostomus. *Nunquid ergo satis est ad vitam æternam in filium credere? minime: Nam si in patrem, filium, & Spiritum Sanctum rectè credideris, non autem rectè vixeris, nulla tibi ad salutem utilitas: Opus namque nobis est, & vita, & morum puritate pollere, & licet hæc in loco dicat: Qui credit in filium habet vitam æternam: non tamen dicimus satis esse solam fidem ad salutem* S. Chrys. hom. 30. in Ioann.

Sanctus Joannes Damascenus. *Vera enim fides per opera exploratur, & comprobatur.* S. Io Dam. lib. 4. c. 10 de fide orthod.

Sanctus Basilius Magnus. *Omnes Angelicam viam ambulantes, mercatores sumus, per opera mandatorum nobis possessionem cœlestium negotiantes.* S. Basil Mag hom 12. in prov.

Sanctus Ambrosius. *Scriptura divina vitam beatam in cognitione posuit divinitatis, & fructu bonæ operationis. Habet ergo vitam æternam fides, quia fundamentum est bonum, habent, & bona facta, quia vir justus, & dictis, & rebus probatur.* S. Ambr. lib. 2. c. 2. de offic.

Sanctus Hieronymus. *Circumcisio nihil est, & præputium nihil est, sed observatio mandatorum* S. Hier. lib. 1. contra Iovin. c. 6.

torum Dei; nihil enim prodest absque operibus cælibatus & nuptiæ, cum etiam fides, quæ propriè Christianorum est, si opera.

De fide & oper. c. 14. Sanctus Augustinus *Quare jam illud videamus, quod excutiendum est à cordibus religiosis, ne mala securitate salutem suam perdant, si ad eam obtinendam, sufficere solam fidem putaverint, bene autem vivere, & bonis operibus viam Dei tenere neglexerint. Fides sine operibus nihil prodest.*

Greg hom. 29. in Evang. Sanctus Gregorius. *Fortasse unusquisque apud semetipsum dicat. Ego jam credidi, salvus ero. Verum dicit si fidem operibus tenet. Vera enim fides est quæ in hoc, quod verbis dicit, moribus non contradicit.* Et alibi subjungit idem Pontifex *Vnusquisque homo à conditore suo, aut fide recedit, aut opere, sicut ergo qui à fide recedit apostata est, ita qui ad perversorum opus quod deseruit redit, ab omnipotente Deo apostata absque ulla dubitatione deputabitur, etiamsi fidem tenere videatur: Vnum enim sine altero nihil prodesse valet, quia nec fides sine operibus, nec opera adjuvant sine fide, nisi fortasse pro fide suscipienda fiant.* Idem hom 9 in Ezech.

17 Nihilominus non obstante quod sic doceant allati doctores Ecclesiæ celeberrimi scio vos cum scriptura, & Apostolo replicare posse: *Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad justitiam.* Ergo fides in Deum, & in Christum venturum sine operibus ad justificationem sufficit. Et quasnam rogo majores, & Deo gratiores actiones potuit unquam facere, quam ut exequendæ divinæ voluntati supra montem Moria unicum, eumque sibi dilectissimum filium Isaac ut eum sacrificaret Domino duceret? magna res; Illa dextera, quæ præ senectute arefacta, languida fuit effecta, ut Deo obediret se monstravit tam ferventem. Illa manus, quæ ad operationes proprias exercendas erat tremens, ad gladium tenendum, & Isaac decollandum adeò se exhibuit constantem. Ergo credendo, & operando *justificatus est.* Hinc Divus Jacobus. *Quid proderit fratres mei si fidem dicat, quis se habere, opera autem non habeat? Nunquid poterit fides salvare eum? fides si non habeat opera mortua est in semetipsa. Ex operibus justificatur homo, & non in fide tantum; credidit Abraham Deo, & reputatum est, illi ad justitiam. Quia non illi gratis donatur justificatio, sed merces redditur operum pristinorum.* Gen. 15. & ad Rom. c. 4. Iacobus Ap. ep. 2. 14.

18. Et ut doctrina sancti Pauli, quâ ita gloriantur adversarij: *Arbitramur enim justificari hominem per fidem sine operibus legis.* Bene intelligatur; optime per sedulium sic explicatur: *Convertentem* impium per solam fidem *justificat Deus, non per opera bona, quæ non habuit prius, alioquin per impietatis opera fuerat puniendus* Sedul. ubi supra.

Sed hi experientiâ, quod pertinaciâ negant profitentur. Scio nos, qui adjutorio divino sumus Christiani, quo ad speculationem veritati, illis contrariæ assentiri: Sed dum opera negligimus re ipsa hanc veritatem à nobis negari mihi persuadeo. Audite admonitionem Archiepiscopi Valentini: *Si Christianus es, Christum tuum sequere, Christum imitare, Christi tui adhære doctrinæ. Si Christum non sequeris, qua ratione Christianus nuncuparis? cur te Christi discipulum esse mentiris? si tu igitur Christianus es nomine, esto, & re. Cur Christi doctrinam amplecteris, & vitam in contrarium agis? nomine Christianus, vitâ mundanus.* B Thom. à Vill. in conc 2. de Nativit. Dom.

Christianus es, ergo Christi actiones imitari, & ejus præcepta observare debes. Quod linguâ confiteris, operibus negas. Quam deforme est nomine esse Christianum, & operibus infidelem, vocabulo Christianum, & vita mundanum? *O nimiam cœcitatem, ô maximam mundanorum stoliditatem? Christum applaudunt vocabulo, & opere contradicunt: Quasi non ipse cum venerit veros à falsis noverit Discipulos separare.* Idem ibid.

19. Si à vite spinas, à ficu urticas, à spica zizania, ab oliva cicutas produci videres, nonne hoc naturæ monstrum esse diceres? permaximè; quia *non potest arbor bona malos fructus facere.* Et tamen Christiani, qui sunt arbores plantatæ in agro sanctæ Ecclesiæ, irrigati sanguine Christi, producunt fructûs acerbos pessimarum actionum. Si verum sit è fructibus cognosci plantas. *A fructibus eorum cognoscetis eos,* magis eos participare ex gentilismo, quam Christianismo concludi debet. Hanc miseriam idcirco deplorans idem Beatus exclamavit. *O homo agnosce quis es, intellige tantam dignita-* B. Thom. à

Vill. conc. Dom 3. Advent. *nitatem, ut talis sit vita, qualis est natura. Homo es, vitam age humanam, ne degeneres ad vitam brutalem: vive ut homo, rationalis est natura, & ratio tibi à natura data est quasi regula tuorum operum; vive vitam rationalem, & quid est vita rationalis, nisi vita virtuti dedita? Vides quod ipsa tua natura te obligat ad virtutem.*

20. Quid diceres, si librum, in cujus frontispicio hic titulus inscriptus esset: *Moralia Divi Gregorii, vel opera Divi Augustini*, eoque aperto non reperires nisi hæreses Calvini, aut Lutheri. Idem discursus, ei qui exterius se exhibet fidelem, interius vero habet conscientiam infidelis applicari potest. Opera tua operibus Pagani, Turcæ, aut Hebræi meliora esse non video. Porro quid faceres, si esses infidelis? Idem ibid. *Non minus* subdit idem Archi-Episcopus, *quam Iudæus, vel paganus sæculi pompas, & divitias perquiris; mundo non Christo vivis, & in mundialibus negotiis, & gaudiis, quasi totam tuam vitam expendis. Corporis sanctuarium millies profanasti & polluisti, & Spiritu Sancto expulso, dæmoniorum ara, & stabulum factus es. Vestem illam sæpius sordidasti polluisti cœno, & sanguine conculcasti. Quid dicam tibi? sic vivis quasi oppositum spopondisses. neque voti tui, & sponsionis Deo factæ memor fuisti.*

21 Quam sententiosæ, & substantiales sunt verba hujus sancti Archi-Episcopi? qui mutare vitam, vivere Christianè, & opera digna nomine quod gestat, præstare cupit, ea attentè consideret.

Quid diceres si me religiosum, & sacerdotem, quamvis indignum veste Histrionis indutum in publico foro saltare inter gentem vilem, & actiones facere quæ dissolutissimas etiam personas dedecet videres, an non me hominem profanum, & irregularem, nomineque religiosi in dignũ proclamares? Agedum: ergo si ego te Christianum video absque timore Dei, tanto tempore degere in peccato mortali, mandata Dei & Ecclesiæ à te violari, per plures annos te non confiteri, nec communicare: an dicam, & credam te esse bonum Christianum? *A fructibus eorum cognoscetis eos.* Magnus Alexander ejusdem secum nominis in castris degere sed nomine illo haud digna præstare sciens, militem vocatum acriter perstrinxit dicens, aut nomen, aut mores muta. Idem tibi dico, aut muta nomen Christiani, aut Christianè vive. Hoc tibi sufficiat, & quiesco.

ALTERA PARS.

22. PRæterea in agro sanctæ Ecclesiæ, sunt plantæ steriles, hoc est Christiani, qui bene operantur, sed fructus, quos producunt, sunt similes fructibus, quos producunt arbores Pentapoli, qui teste Divo Augustino tantum habent bonum corticem, qui est coloratus, & vividus, sed intus est plenus cineribus. Opera plurium Christianorum nil habent bonitatis nisi materialis, & extrinsecæ, sed quo ad morale, & intrinsecum sunt opera vana, & sine merito, quia facta ob finem malum. Hæ arbores sunt Hyprocitæ, de quibus hodiernum Evangelium dicit: *Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt Lupi rapaces.* O maledicti Hypocritæ, de quibus cecinit poëta. D P. Aug. lib. 21. de civit. Dei c. 5. D. Matth. cap. 7.

Impia sub dulci melle, venena latent. Ovidius.

23. Salvator eos vocavit vulpes: *Vulpes foveas habent*, non solum ob malitiam, sed & quia non habent nisi bonum apparens, scilicet pellem. Num Crocodilus sit animal terrestre, vel marinum sciri nequit. Sæpe natat in mari, & sæpe in terra graditur. Hoc animal est schema Hypocritæ, de quo non potest sciri an sit Dei, vel Diaboli, si judices secundum exteriora dices esse divinum, sed si secundum interiora necessario concludes esse diabolicum, & de eo merito dici potest: *Intus Nero foris Cato.* D. Luc. cap 9. Apud Nicol. Reusner. 24.

24. Ab alijs hypocrita fuit assimilatus aleæ, quæ quo plura superius exhibet, eo pauciora infra numerat. Juxta illam sententiam, quæ Divo Bernardo asscribitur; *Hi sunt, qui boni videri, non esse, mali non videri, sed esse volunt.* Divus Ambrosius eas belluas pelle hominis vestitas appellavit: *sunt enim bestiales, sunt feræ, formâ hominum indutæ, de quibus dicit Dominus. Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium,* D Bernar. serm 66. D. Ambr. 1. lib. 6. Hexam, c. 8.

vium, intus autem sunt lupi rapaces, in his ergo non requiescit Deus.

Ut famam venetur per diem jejunat, noctu commessatur juxta poëtam.

Petrus Aloys. centur 1. fol. 61.

Vorat noctu, revocat jejunia mane.
Tempora partitur guttur, & Hypocritis:
Guttur amat noctem, latebat, ut repleat avi,
Vtque oculos capiat, lucem amat Hypocrisis.

25. Divus Petrus Damianus eos nivi, quæ alba est, & frigida comparat, sic sub falso candore exteriori glaciem iniquitatis tegunt. *Nix alba est, sed frigida: Hypocrita nempe, qui se per sanctitatis adumbratæ figmentum transfigurat in Angelum lucis: nullus infervet æstibus charitatis, atq; ad instar nivis, simul est albus, & frigidus: quia pii quidem se deservire operibus, simulat, sed is viscera solida pietatis ignorat.*

D. Petr. Dam lib. 6. Epist. 32

Dum Ecclesiam intro, & illas preciosas statuas video ut massa auri videantur, & dein considero interius eas esse ex ligno, ferro, pice vel limo, talem etiam esse hypocritam, mihi imaginor. Hinc Joannes Geometra.

Io. Geometra in tetrast. apud Io Haye in Exod. tomo 1. c. 12. v. 20. N. 412.

Idolum, & qui se se ostenta inaniter unum
Efficiunt auro nam simulachra micant.
Cum pice sint, & plena luto intus; sic quoque, & iste.
Cum sacer extra sit, non tamen intus is est.

26. Sanctus Petrus Chrysologus pessimas qualitates hujus falsarii impupene travit, dum dixit. *Hypocrisis subtile malum, secretum virus venenum latens, virtutum fucus, tinea sanctitatis.*

D. Petr. Chrysol. ser. c. 7.

Est venenum, quod latenter sanctitatem maculat, est vermis, qui fidem consumit, hypocritas transformat in infideles, & facit, quod in agro sanctæ Ecclesiæ sint plãtæ sylvestres. Mysteriosa sunt verba quæ Christus ad Apostolos, & particulariter ad Petrum dixit: *Veniet Dominus servi illius in die, qua non sperat, & hora, qua nescit, & dividet eum; partemque ejus cum infidelibus ponet*

D. Lucas cap. 12. Dionys. Cart in c. 12 D Luc art. 13 fol. 212. col. 2

Quæ sic commentatur Dionysius Carthusianus: *Hoc est à consortio Electorum dividet, & à gratia Spiritus Sancti quum æternaliter separabit, juxta illud Isaiæ: Tollatur impius, ne videat gloriam Dei.*

Omnia bene, sed scire vellem quænam sit sors infidelium, cui hic servus malus sit adjungendus: *Partemque ejus, Dominus cum infidelibus ponet?* legite sanctum Matthæum, qui eadem verba salvatoris affert, *Et dividet eum, partemque ejus ponet cum hypocritis.* Si sanctus Lucas dicat *infidelibus*, cur sanctus Matthæus scribit cum *hypocritis*? hypocrisis, & infidelitas idem sunt. Infidelis, & hypocrita sunt sinonima. Est observatio, doctissimi cujusdam moderni. *Ecce tibi, qui à Matthæo dicitur Hypocrita; à Luca dicitur infidelis. Hypocrisione est spei jactura, fidei quasi amissio, & quadam infidelitatis species? saltem hypocrisis valde impellit ad infidelitatem.*

S. Matth. cap. 24.

Didacus Celada comm. in Iudith. c. 9 V. 1. §. 2. N. 10.

27. Non posse reperiri peccatum, quod Deus adeo execretur, & horreat credo. Omne scelus ei displicet, sed hoc eum cruciat. Phalange militum armatorum cinctus ad hortum Olivarum Judas perrexit, ut suum magistrum traderet, à quo in propria persona tot effectus amoris, & benevolentiæ expertus fuerat; & ut ad eum pervenit sine ullo respectu, aut rubore brachiis ejus collum strinxit, & labiis immundis illum vultum Paradysi osculatus est, sic eum salutans. *Ave Rabbi.* Ac si diceret ô mi magister, Deus te salvet. Hæc actio adeo displicuit filio Dei, ut cor suum feriri sentiens se continere nequiret, quin illi superbo nebuloni responderet: *Iuda osculo filium hominis tradis?* perinde, ac diceret: osculando me prodis? mel gestas in labiis, & venenum in corde? ore pacem, pectore bellum, quod advenias tanquam hostis, & proditor suffero, quamvis & id displiceat. Sed dum agis hypocritam osculo mihi nocendo, & salutatione mordendo, hoc me affligit, & torquet. Ideo dolet, non quod tradatur ab eo velut inimico, sed quod tanquam hypocrita secum agat. Hinc non ait simpliciter: *Iuda filium hominis tradis?* sed *osculo?* magis exaggerat hypocrisin osculi, quam traditionem. Hoc docet Divus Ambrosius: *quasi dicat, propter te suscepi ingrate, quod tradis in hypocrisi*

S. Luc. c. 22.

S. Ambr. in c. 22. Luc.

28. Valde difficilia sunt verba; quæ loquitur sapientia incarnata de peccatoribus, & justis, *Non veni vocare justos, sed pecca-*

Matt. c. 9.

peccatores. Hinc Paſchaſius Ratbertus ; *Sed forte movet aliquem, quomodo dixerit: Non veni juſtos, ſed peccatores vocare, cum omnibus pateat, quod etiam eos, quos ſecundum juſtitiam Moſaicæ legis inſtituta perfectos invenit, ad Evangelicæ culmen perfectionis plurimos vocavit; ſi enim ſolos peccatores, & non etiam juſtos ex lege vocaret, nequaquam Nathanael diſcipulatui ejus adhæreret, quem ad ſe venientem tanta laude dignum duxit extollere.*

Eandem difficultatem movet Dionyſius Carthuſianus, *Sed nonne Chriſtus vocavit Iacobum juſtum. Petrum, qui numquam comedit omne immundum, Andream, Ioannem, & alios quoſdam juſtiſſimos? Et nonne Apoſtolus veraciter aſſerit, quos prædeſtinavit, hos & vocavit? quomodo ergo non venit Chriſtus vocare juſtos?*

Dionyſ. Cart in c. 2. Matt 19. Ar. 18

Varias reſponſiones quæ adduci poſſunt omitto, unam vero præ omnibus ex Rabbano, Mauro, qui ait duas eſſe ſortes juſtorum virorũ ſcilicet, & falſorum adduco. Juſtos falſos non curat Deus, qui veniens in mundum omnium, quantumvis maximorum peccatorum ſalutem deſideravit, & juſtos falſos, qui ſunt hypocritæ Deus adeo execratur ut flocci faciat num ſe ſequantur. En Rabbanum, *Non veni vocare juſtos falſos, qui in ſua juſtitia gloriantur, ut Phariſæi, ſed illos qui ſe peccatores agnoſcunt.*

Raba. Maur. ib.

Docere voluit hos ſceleratos à gratia Dei excluſos, & numero prædeſtinatorum proſcriptos.

29. Et ut hanc veritatem ſtabiliam, rurſus cur Chriſtus maledixerit illa ficui, eamque areſecerit, cum dicat ſacer Evangeliſta, *Non erat tempus ficorum*? inquiro. Nulla arbor habebat fructus, cur ergo hæc ſola diris devovetur? meum conceptum audite. Ficus habet corticem cinericium, folia rigida inſtar cilicii, fructus ejus habent veſtem laceram, ſunt coloris pallidi, quo ſunt maturiores, eò videntur magis mortificatæ, caput inclinant, collum flectunt, oculis flent. In hac arbore exhibetur hypocrita. Eam adeò eſt abominatus, ut in eum diras non fulminare non potuerit. Si ergo adeò ſe ſuccenſum oſtenderit plantæ, ut eam maledixerit, penſitate quid aget hypocritæ. N. Quis ergo non deteſtetur hypocriſin velut falſariam cœli; cui ipſa non ſit in horrore velut talis, quæ ſemper cudit monetam falſam, & vendit vitrum inauratum pro auro? ſunt velut picturæ, quæ nil habent boni niſi colores, ſunt ſancti in foro, ſed Diaboli in domo. Mercantur virtutes, ſed ut eas in vitia vertant, & contractus ſolvunt per Diabolum crucifixum. Volunt ut hypocriſis eis ſerviat pro fraude adulatrice ſanctitatis. Virtutem celebrant, & laudant, ſed ore non opere. Verum audite finem *Gaudium Hypocritæ ait Iob ad inſtar puncti, ſi aſcenderit uſque in cœlum ſuperbia ejus, & caput ejus nubes tetigerit, quaſi ſterquilinium in fine perdetur.* Et demum habent lucrum ceſſans gloriæ, & damnum emergens æternæ damnationis, à qua vos Deus liberet, & ite in pace.

S. Matth. c. 21.

Iob.

DOMINICA OCTAVA
POST PENTECOSTEN.

Homo quidam erat dives, qui habebat villicum, hic diffamatus est apud Deum, quasi dißipaßet bona illius. Luc. 16.

ARGUMENTUM.

Ostenditur honorem proprium, & famam proximi debere conservare; ille conservandus est actionibus bonis hæc per non propalationem defectuum, sed sub pallio secreti absconsionem.

1. Quod homo habeat bonam famam, & audeat comparere in societate eorum, qui frontem audent ostendere, & veram habent nobilitatem maximum est in quo gloriari quis potest, vitâ bonâ reddimur grati Deo, sed bonâ famâ mundo spectabiles simus, honor thesauros præcellit: *Melius est nomen bonum, quam copia divitiarum.* Et leges determinant, quod *honor omni lucro est præferendus.* Et alii subdunt, quod fama præponderat emolumento pecuniario. Herostratus Ephesinus Lyramidem in theatro immortalitatis ad gloriam suæ famæ erigere putans templum magnificum Dianæ combussit, Psaphon magnus Deus aves humanum idioma docuit ut suum nomen repetendo concinerent. *Magnus Deus Psaphon,* & idcirco illas libertate donavit, ut nomen suum per illas patrias, ad quas eas advolare contingeret propalarent. Generosus belli Dux incommodis, & molestiis militiæ se exponere non veretur, sed paternas delitias deserens, & se dans laboribus, qui in bello tolerantur, victus parcitatem vilipendit, sanguinis fusionem, & vitæ amissionem non curat, tantum ut in mediis cineribus ad novam vitam gloriosa ejus fama resurgat, forsan sibi persuasum habet cum Parco, quod *nil pretiosius fama,* qui ergo omnium manibus portari vult, & apud personas illustres esse in æstimatione monitum sequens advertat.

Prov. 22.

Ambros. Neapol. Episc. ser. 3. post Dom. 2. Quadrag. ser. 21.

Parcus in electionib.

Omnia si perdas famam servare memento
Qua semel amissa, postea nullus eris.

Plutarch fol 357. Ovidius ap. Parcum ubi supra fol. 358.

Et Parcus subscribit dicens: *præstat damnum ferre, quàm famæ facere jacturam.* Et verum est, quod scribunt Juristæ: nempe, quod *honor, & vita æquiparantur,* non minus auctioni famæ, quam vitæ invigilare debemus. Honoris jacturæ, amissiones sunt essentiales: quis haberi potest bonus si in mare vituperiorum merces reputationis projecit? maculas infamiæ, quas violentia Tarquinii pudicitiæ Lucretiæ affricuit effusione sanguinis, & amissione vitæ deletæ sunt. Cleopatra ne excellentias Cæsaris propriâ ignominiâ augeret, venenum voluit antidotum esse præservativum famæ ut in feretro pudoris sepulta, nec spem reviviscentiæ haberet. Non obstante, quod fama ita sit nobilis, nihilominus est fragilior vitro, & major prudentia requiritur in eâ conservandâ dum oppetitur à malis, quam requiratur solertia in regenda navicula dum fluctibus agitatur.

Plutarch. Tom 1 de virtutib. mul. f. 416

Hinc servus Evangelicus eam perdidit, & ob malam administrationem bonorum Domini, & quia ejus defectus propalati

sunt

sunt diffamatus est. *Hic diffamatus est apud illum, quasi dissipasset bona illius.* Ergo hoc mane, ut conservetis vestrum honorem, & famam proximi vos exhortatur. Illum operibus dignis, hanc cælatione sub pallio secreti & non propalatione defectuum alterius, ad imitationem Domini, qui *laudavit villicum iniquitatis, quia prudenter fecisset.* Sed quia loquimur de honore, à vobis attendendo cum silentio, & auscultando cum attentione illum æstimari ostendite.

PARS PRIMA.

Hic diffamatus est apud illum, quasi dissipasset bona ipsius.

2. INter alia documenta politica, quæ pro bono universali reliquit Ecclesiasticus, illud quod concernit nostrum honorem à quolibet aliis documentis non inferius censeri debet. *Curam habe de bono nomine, hoc enim magis permanebit tibi, quam mille. Thesauri pretiosi, & magni* Subdit etiam Aristoteles. *Honor est maximum inter exteriora bona.*

Eccli. 41.

Populus Israëliticus siti oppressus, cum omnibus animalibus in deserto aquis destituto versabatur, ad Moysen confugit quatenus Deum roget, ut aquam adeo exoptatam concedere dignetur. Moyses votis eorum annuit, & à Deo responsum tulit, ut Petræ in monte sitæ loqueretur, securus se abundantiam aquæ obtenturum. *Tolle virgam, & congrega populum tu, & Aaron frater tuus, & loquimini ad petram coram eis, & illa dabit aquas.* Totum populum congregari jubet, & ad Deum conversus verbis acerbis, & indignabundis eum velut incredulum, Deoque rebellem increpat, atque ei virgâ minitans dicit. *Audite rebelles, & increduli, num de petra hac vobis poterimus elicere aquam?* Dic ô popule ingrate an forsan tibi imaginaris ad unicum tactum virgæ ab hac petra aquam dulcem tuæ siti levandæ manaturam? loquor de hac petra, quæ esto sit frigida nihilosecius scintillas ignis in suis visceribus nutrit. In hoc facto duæ mihi difficultates occurrunt. Prima. Eccur ante percussionem petræ populum verbis adeo acerbis, & injuriosis tractet. Secunda, cur putarit esse impossibile, quod de illa petra aqua scaturiret. *Num de petra hac vobis, &c.* Quinimo Deus ipsi dixerat: *Illa dabit aquas*: unicâ Responsione utraque difficultas solvitur. Moyses judicabat esse impossibile, quod una petra, quæ potius percussa è frigidis visceribus sui sinus solet eminere scintillas, ignis aquas manaret; & hinc si effectus non fuisset secutus reputationem suã perdidisset, & dicere potuisset: Annon dixi vobis quod impossibile sit aquam ex hac petrâ ducere: primo ergo objurgavit populum ei rebelliones, & incredulitatem objiciens, ut casu, quoad percussionem virgæ aqua non profluxisset ipse suum honorem servasset, & dicere potuisset. Et quomodo vultis, ut Deus moveatur ad hoc miraculum patrandum si hoc non mereamini. Imo hoc miraculo per vestram incredulitatem, & rebelliones, quibus quotidie nostrum Deum petitis vos reddatis indignos? & nisi hanc protestationem præmisisset, si aqua non scaturiisset reputatione suâ exutus fuisset, & confusionem apud populum incurrisset. Audite Abulensem. *Dicunt aliqui, quod Dominus jusserat percuti unum lapidem determinatè, & populus petiit ab alio lapide dari aquas: Moyses autem, & Aaron dubitaverunt tunc percutere lapidem, quia non credebant posse extrahere aquam de illo lapide.*

Num. 20.

Abulens. in c. 20. Num. q. 5. §. 7.

Et postea in fine quæstionis subjungit. *Etsi dubitantibus eis postea non evenirent, essent valde despectabiles coram multitudine.* Verbo; quidquid fecit, & dixit id totum egit ad honorem manu tenendum.

3. Multi fuerunt, qui vitæ honorem præferentes potius vitam, quam honorem perdere resolverunt. Tempore Alexandri Magni in Macedonia sagittarius adeo fuit rarus, & excellens ut annulum quantumvis parvum, & procul dissitum sagitta penetrare stipulatus fuerit; & sæpius experimento id probavit. Alexander ejus dexteritatem perspectam habens eum advocavit, & ut sequenti diei artem suam probaret imposuit allegans sibi rem hanc gratam fore & præmio rependendam. Renuit sagittarius; vestra majestas mihi ignoscat; in hoc ei servire non possum ad nutum ei parere sicut & alii imo & magis quam ullus paratus sum, sed in hoc ei gratificari nequeo.

Plutarch. in Apoteg. regiis fol. 308.

nequeo. Res mihi inquit Alexander minima negatur. Nemo mihi refractari est ausus, & nullum pœnituit, quod promptè meis jussionibus obedierit. Elige quod magis placet, vel obediendum, vel moriēdum tibi est. Adeo fuit pertinax, ut mortem potius elegerit. Res sane, quæ Alexandrinus stupore defixit; unde cum hujusce rei causam interrogaret, à sagittario hoc responsum tulit: sciat majestas vestra jam quinque effluxisse annos, quibus in arte hac me non exercuerim, forsan poterit esse ut à scopo aberrem, præ senectute namque tremit pulsus, visus deficit; si ergo aberravero, famam, & honorem quos tanta industria, & labore, tantoque tempore acquisivi perdam. Tu meæ vitæ, ego meæ famæ Dominus sum, si illam mihi auferas, hæc mihi manebit: *Recusantem iratus Alexander occidi jussit, cumque jam duceretur ad mortem dixit sagittarius, se multis jam annis non exercuisse artem suam, adeoque timuisse ne erraret, id ubi delatum ad regem, dimisit illum admiratus, eo quod mortem appetere maluisset quam honore, & fama sua indignus videri.*

Plutarch. ibid. & apud Lab. verbo. Honor prop. 2

4. En scripturam sacram. Amandatus fuit vates Jonas ad Ninivitas, ut minis prædicans destructionem civitatis, quæ intra 40. dies juxta promissionem divinæ justitiæ eventura erat prædiceret; *Surrexit Ionas, & abiit in Ninivem juxta verbum Domini.* Mox ut portas ingreditur concionari, & prædicere subversionem cœpit: *adhuc 40. dies, & Ninive subvertetur.* Effluit tempus prædictum, & videt suum vaticinium non compleri, itaque dejectus & afflictus, urbem egreditur, & præda desperationis factus se collocat sub umbra hæderæ, ibidemque verbis, lachrymis, suspirijs illam ignominiam, quæ cor ejus transfigebat lenire studet: *afflictus est Ionas afflictione magna*; perinde, ac diceret vadam, ut me vivum sepeliam vultui meo stigma inustum puto, inter homines honestos non amplius comparere audeo, honorem, & reputationem amisi, Ninivitæ me falsum prophetam proclamabunt, nec meis vaticiniis ulterius fidem adhibebunt, ero fabula omnium, digito me notabunt, & à tergo me irridebunt, majorem famæ jacturam facere non potui, nil mihi superest, quam hæc vita misera, & calamitosa, Domine honorem me perdere fecisti, vitam ergo etiam adime, nam mors mihi melior, quam vita erit. Restitue honorem ablatum, alias semper infamis ero. *Melius est mihi mori, quam vivere, & petivit anima sua ut moreretur* O Jona honoris cupidè vitam honori postponis? hæc etiam fuit caussa, ut in Tarsis fugeret. *Hæc* sunt verba beati Thomæ Valentini. *Erat caussa fugæ, vadam ad civitatem, & prædicabo illis excidium juxta verbum tuum, & una te postmodum lacrimula ab hoc furore placabit dimittens ei offensam, & tu Deus misericors eris, & ego propheta falsus reputabor.*

Iona c. 3.

Ionas c. 4.

B Thom, à Vill ser. 4. Dom. 1. Quadr.

5. Claudia virgo Vestalis impudica falso proclamata est. Ipsi Dii honorem, quem malevolæ linguæ sustulerant resarcire voluerunt Navis erat, quam nec centum homines movere poterant. Illa sola cingulo ligans proram sine difficultate omnibus stupentibus navem traxit. Dii hoc facto honorem ejus restaurare voluerunt, nam quilibet ejus pudicitiam, & innocentiam colligebat. Sed quid dicemus de nostro Deo? an non nostrum honorem defendet? an permittet nostram reputationem maculari? ne id credatis, nam honor ipsi cordi est.

6. Quod in principio mundi ob peccatum Adami terram diris devoverit valde miror. *Maledicta terra in opere tuo.* Cur punitur terra innocens? Ille, qui deliquit plectatur. Ille Adamus, qui donis naturalibus, & supernaturalibus decoratus fuit, qui fuit dotatus tot beneficiis, tot prærogativis ornatus, ne unam fœminam, & suum cor contristaret neglecto præcepto divino, minisque, & ruinis, quæ in posteros ejus derivandæ erant in vili habitis, peccavit. In hunc ergo, & non in terram maledictio fulminetur. Ah dicit Moyses Barcepha, Deus ejus famæ curam gessit. *Nimirum non est execratus Deus Adamum ipsum, quo sua ipsi imagini honorem conservaret.*

Gen. c. 3.

Moys. Barceph. P. P. de parad.

7. Jubente Deo; Abraham cum uxore sua Sara venustissima muliere ex patria sua ad Ægyptum perrexit. Dum illuc pervenit Pharaoni ejus adventus fuit nunciatus, & specialiter forma Saræ adeò fuit deprædicata, ut nunquam visa tam formosa in illa patria assereretur. *Et sublata est mulier in domum Pharaonis.* Deus hoc ægrè tulit, &

flagella

flagella adhibuit. *Et flagellavit Dominus Pharaonem plagis maximis, & domum ejus propter Sarai uxorem Abrahæ.*

Gen. 12. Aliâ vice ad tertam Australem se contulit, & cum Sara Gerartam, ubi erat aula regis Abimelech perrexit. Hic auditâ speciositate hujus fœminæ eam rapuit. Gen. c. 20. *Misit ergo Abimelech Rex Gerartæ, & tulit eam.* Regi dormienti Deus in visione noctu comparet, & crimen patratum morte vult castigare. Idcirco Abimelech Saram variis munusculis donavit, & dimisit. Subintrat hic sanctus Theodoretus, & utrumque raptum ponderans, observat, Spiritum Sanctum, dum Pharao rapuit Saram tantum dicere eum à Deo punitum *multis plagis*, nec ab eo recenseri executionem suorum desideriorum. Sed in alio loco non solum narratur supplicium Abimelech: *Morieris propter mulierem, quam tulisti.* Sed & Saram mansisse intactam, eamque ab Abimelech honoratam recensetur. Imo Deus his verbis hoc clarè expressit: *Ego scio, quod simplici corde feceris, & ideo custodivi te ne peccares in me, & non dimisi, ut tangeres eam.*

Et ipsa scriptura hoc repetit: *Abimelech vero non tetigerat eam.* Cur in hoc secundo raptu tantæ diligentiæ, adhibentur, ut demonstretur castitas Saræ? audiatur sanctus Theodoretus: S. Theod. q. 62. in Genes. *Sara tunc erat paritura Isaac; ne igitur semen Abrahæ suspectum esset, illic manifestè declaravit scriptura, quod Abimelech illam non attigisset.*

Ut Isaac filius Saræ adultus factus, fronte erecta incedere, & nullus ei objicere possit, eum esse filium Abimelech, & non Abrahami totum hoc factum fuit. *Ne semen Abrahæ suspectum esset.* Si Spiritus Sanctus non fuisset testatus eam ab Abimelech non tactam, fama bonâ Abrahæ, Isaac, & Saræ in discrimen adducta fuisset.

8. Verba, quæ David de justo, & servo Dei profert audite. Ps. 111. *In memoria æterna erit justus.* Tittelm. Tittelmanus legit: *Vir justus in oblivionem non veniet.* Lorinus. Sed Lorinus melius intẽtionem David explicare videtur dum ait: *In fama æterna erit justus* Sed si in mundo non fit res durabilis, quomodo fama justi possit esse æterna? Imo subdit nullam linguam quantumvis virulentam ei nocere posse: *Ab auditione mala non timebit.* Sic explanat Tittelmannus: *Neque conturbabitur à rumore malo quemadmodum impii.* Et Bellarminus: Cardin. Bellar. in psal. 1 f. 710. c. 1. *Ab auditione mala non timebit, idest non timebit à detractionibus & reprehensionibus hominum impiorum*, Sed Deus curam geret ne perdatur, & sic conservabitur in æternum *vivet*, est conclusio Bellarmini, *Semper in hominum memoria, & vivet per memoriam gloriosam; nam laudes ejus enarrabit omnis Ecclesia sanctorum. Neque solum erit in memoria æterna apud mortales, sed etiam nomen ejus scriptum erit in libro vitæ, quod nunquam delebitur, & eo modo verè; ac propriè in memoria æterna erit apud Angelos in cœlo.* Hic certus est, quòd nunquam diffamabitur cum servo Evangelico, & de eo nunquam potuerunt verificari verba. *Hic diffamatus est, quasi dissipasset bona illius.*

9. Defectus proximi aperire, eumque diffamare idem sunt: noster Salvator proximi defectus tegere, ne ejus reputatio, & fama lædatur docet. Hinc Paterfamilias non pandit malam administrationem servi, sed illam pallio prudentiæ involvit. *Laudavit Dominus villicum iniquitatis, quia prudenter fecisset* Et sane defectus animi, imperfectionesque corporis occultare non solum ars docet, & naturalis inclinatio suadet, sed & Deus à principio mundi ostendit. Creavit materiam primam, & ne ejus deformitas videretur, illam oculis nostris subtraxit. Gen. c. 1. Terram, quia *erat inanis, & vacua, deformis, & incomposita*, pallio tenebrarum involvit. *Et tenebræ erant super faciem abyssi.* Ex hoc Adam, & Eva, deformitatem nuditatis foliis ficus tegere didicerunt: Gen. c. 3. *Consuerunt sibi folia ficus, & fecerunt sibi perizomata* Olor sub candore pennarum nigram cutim abscondit. Flóres & herbæ turpes, & informes radices sub visceribus terræ occultant. Poëtæ finxerunt Cupidinem donasse rosam Arpocrati, ut levitates matris suæ Veneris taceret. Apud Stephan. Guaz. lib. 1. f. 83. Alexander militem de Dario suo hoste malè loquentem hoc modo compressit. Stipendiũ tibi do, ut contra hostem pugnes, & non ut de eo malè loquaris. Similiter Menno Capitanius Regis Darii militem defectus Alexandri propalantem acriter objurgavit. Noë posteris Cham maledixit, quia fratribus nuditatem paternam detexit. Sed postea Japhet, & Sem bene est preca-

Gen.c.9. tus, quia *operuerant, verenda patris sui* In-
apud Steph geniosus ille pictor laudatus fuit, qui fa-
Guar.l.3. ciem Anthigonis occultavit ne imperfe-
fol 319. ctionem oculi sinistri, qui erat cæcus manifestandi ansam haberet. Paterfamilias auditâ malâ administratione servi, ne ejus famam læderet silentio illam obvelavit, imo ut prudentem eum laudavit: *Laudavit Dominus villicum, quia prudenter fecisset.*

10. Filii Jacob, frumentum coempturi ad Ægyptum se contulerunt. Et ut illuc appulerunt, proregi reverentiam exhibituri, & frumentum impetraturi, se stiterunt. Protex statim illos agnovit esse suos fratres. Præ lætitia extra se actus videba-
Gen.c 43. tur. *Non se poterat ultro cohibere Ioseph.* Nunc aulicis mandat, ut egrediantur, *Pracepit, ut egrederentur cuncti foras.* Nunc plorat, nunc in clamores, qui per totam aulam reboant, erumpit. *Elevavit vocem cum fletu.* Demum se prodens ait: *Ego sum Ioseph frater vester.* An non ex vultu, & loquelâ me agnoscitis? an non recordamini, quomodo in Dothaim ad consilium Judæ me vigin-
Abul. in ti nummis Ismaelitis vendideritis? *Ego*
Gen c.45. *sum ille, quem vendidistis in Ægyptum.* Et
f 700 c.2 ut notat Abulensis. *Ista dixit, Iosep voce*
lib. G. *submissa, ne eam audire, aut intelligere possent quia aliqui erant jam in domo, qui linguam hebræam ab ipso audierant, & didicerant.*

Sed cur hæc verba tam circumspectè, & silenter Joseph protulit? ô Josephe errorem commissum iis exproba, ut rubore suffundantur. Non dico ut iis supplicia miniteris, solum dico ut acerbè, & palam, ac non subvenisse iis peccatum objicias. Famam eorum attendit inquit Abulensis, & submisse loquens defectum eorum ce-
Abulen. lavit, nec honorem læsit. *Vocem primam,*
ibi.l H. *in qua denotabatur fraterna cognitio, voluit Ioseph omnibus esse notam. Patet! quia audierunt Ægyptii, & omnis domus Pharaonis, at secundam, in qua notabatur fratrum maligna venditio, voluit esse Ægyptiis occultam, ne eos viros contemptibiles, & scelestos judicarent.*

11. Sanctus Evangelista Lucas, quid contigerit inter patrem, & filium prodigum recenset. Pœnitens fame coactus, necessitate compulsus domum rediit. Vestes mendicitatis signum erant, & undequaque erant laceratæ, ita ut membra nuda apparerent. Patri se sistit, & quamvis fames eousque illum redegisset, ut cadaver spirans videretur, nihilominus pater antequam necessitati majori (cum nempe cibando) succurrere cogitaret, servis, ut sine mora vestem adferrent, ejusque nuditatem tegerent, præcepit. *Cito proferte* D Luc.
stolam primam, & induite illum. Sed si inediâ cap.15.
ipsum maximè torquebat, ita ut voce languida lamentaretur dicens. *Hic fame pereo,* cur non prius dapes, dein vestes adferri jubet? fames non erat ei ignominiosa, sicut nuditas; hæc ejus honorem lædebat, huic ergo servando, eum revestiri vult. Forsan hominem docere voluit honorem esse magis necessarium, quam panem, & prius honori, quam inediæ providendum. Sic concludit Divus Petrus Chrysologus. *Ante* S. Petrus
vestiri voluit filium, quam videri, ut soli pa- Chrys. ibi.
tri nota esset nuditas.

12. Quod sanctus Evangelista Lucas loquens de Magdalena peccatrice, & voluptatibus carnalibus deditâ, non compellet eam nomine proprio, sed nomine fœminis communi miror. *Et ecce mulier,* Luc.c.7.
qua erat in civitate peccatrix. Cur non nominat eam Magdalenam? difficultas crescit, quod reliqui Evangelistæ dum de illa agunt illam vocent Mariam, vel Magdalenam ut plurimis locis videre est. Sanctus Lucas agit de illius peccatis, ideo ejus nomen reticetur, ne fama lædatur. Audite Cajetanum. *Nomen mulieris hujus tacetur à* Cajet. in
Luca propter honorem mulieris cum describitur c.7 Luc.
peccatrix, quam tamen Ioannes duodecimo no- fol 326.
minat Mariam describendo eam à laudabili offi- col. 1.
cio, quod unxit Dominum, & extersit pedes ejus capillis suis.

Eandem ob caussam loquẽs de Matthæo Luc c.5.
nomen ejus proprium reticet. *Vidit Publicanum nomine Levi sedentem ad telonium.* Hinc Cajet. ibi.
subdit Cajetanus. *Lucas enim sicut tacuit nomen usitatum Matthæi describendo ipsum publicanum, ita modo tacet nomen Mariæ describendo eam peccatricem.*

14. Hinc sanctam politiam etiam ab ipsis Angelis discamus volo. Innocentius III. diversitatem, quâ Gabriel incarnationem verbi annuntiavit Mariæ, & nativitatem Joannis Zachariæ observat. Dum hic Propheta in templo officiũ sacerdotis peragere, aramq; incensaret Archangelus ei apparuit dicẽs: *Elisabeth uxor tua pariet tibi filiũ.* Luc.1.

Idem

Idem Gabriel legationem à Deo sibi impositam quoad incarnationem exprimens virgini dixit, *Ecce concipies in utero, & paries filium.* Magna est differentia inter utramque legationem. In legatione facta ad Mariam fit mentio conceptionis Christi, sed in legatione ad Zachariam reticetur nativitas. An forsan Joannes non conceptus, sit edendus in lucem? id esse non potest; cur ergo non dicit *concipies*, sicut ait de Christo? Idem Pontifex respondet, Angelum spectasse famam Joannis, ideoque noluisse agere de ejus conceptione, quia maculata esse debebat. Non sic conceptio Christi, ideo ne læderet honorem conceptionem Joannis reticuit. *Non conceptum dicit, sed ortum Ioannis, Iesus verò prædicit ortum pariter, & conceptum, quia Ioannes fuit conceptus in culpa, Iesus autem sine culpa conceptus, uterque verò natus in gratia.*

Ibid.

Innoc. Pontifex serm. 1. de S. Ioan.

14. Hanc doctrinam evangelicam à Christo discere ne vos pigeat. E duodecim Apostolis tres tantum ad montem Thabor secum duxit. *Assumpsit Iesus Petrum, & Iacobum, & Ioannem fratrem ejus, & duxit eos in montem excelsum seorsum.* Sed si omnes diligebat, cur omnes hoc favore non afficit. Varia responsa adferunt Scriptores sacri. Respondet Jansenius, *Tres ad hoc delegit, ut secundum legem in ore horum trium verbum hoc confirmaretur, & tres illos, quos inter duodecim Apostolos primo semper loco habuit, ut qui ob id, quod primi, & præcipui essent inter Apostolos, præ aliis etiam perfectiore Christi cognitione donari debebant.*

S. Matth. cap. 17.

Subjungit Archiepiscopus Valentinus. *Quare vel omnibus Apostolis, & Discipulis sicut resurrectio, hæc gloria monstrata non est? sed in promptu est responsio: quia hoc non esset fidem confirmare, sed destruere, non esset homines credendo ad se allicere, sed rei evidentia convincere.* Et paulò infra: *Non omnes hæc visio docet, vobis solis hæc gratia donatur: attendite quæ nunc vobis pandentur, nam mundo quandoque necessaria erunt.*

B. Thom. à Villa conc de Transfig. Dom fol. 250. cap 2.

Doctrinam Paschasii Ratberti omittere nolo. *Tres assumuntur in monte, quia nemo potest resurrectionis videre gloriam, nisi qui integrum mysterium Trinitatis incorruptâ fidei sinceritate servaverit. Nec immerito Petrus, quoniam ipse prior claves regni cælorum accepit. Deinde est Ioannes, cui mater Virgo committitur ob privilegium virginitatis. Iacobus quoque, qui primus ex collegio Apostolorum solium sacerdotale proprio purpuratus sanguine, & dealbatus in Christo victor ascendit.*

Paschas. Ratbert. in Biblia vet. Pat. Tom. 9. in cap. 17. Matth.

Ad propositum meum quadrat responsio Proculi dicentis. Non omnes hac gratia dotatos, ut excluderetur Judas, qui hunc favorem non merebatur. Ad minus solum Judam relinquere, & omnes alios secum ducere poterat. Nequaquam; quia reliqui de Juda aliquid sinistri suspicati fuissent. Magister noster non vult comitem Judam, aliquid hic latere debet, & sic quamvis ille flocci penderet suam famam, tamen illa in discrimen adducta fuisset. En Proculum: *Cùm Iudas indignus esset, hanc tremendam visionem videre, eum infra reliquit cum reliquo Apostolorum cœtu, ne tanquam solo relicto hominis proderet pravitatem.*

Procul. in cap. 17. Matth.

15. Apostoli pessimum semen ambitionis, & superbiæ in agro terreno cordium severant: *Facta est contentio inter eos, quis eorum videretur esse major.* Jam messem litium demessuri erant. Præterea in sancto Matthæo sic eos allocutos magistrum legimus. *Quis putas major est in regno calorum.* Christus hos defectus notabiles in iis advertit, & parvulum coram iis stitit; is Jansenio fuit sanctus Martialis, qui adultus postea, & fide Christi initiatus à sancto Petro in Germaniam missus fuit prædicandi Evangelii caussâ. Hunc adeò parvum fuisse asserit, ut dum incedere non posset, *Acceperit eum in ulnas, quomodo fieri solet infantibus, aut valde pueris.*

Luc. c. 22.

Matth. cap. 18.

Iansen. cap. 70 in Evang.

Cur non potius advocat hominem adultum, & maturum, barbâ canum, & prudentem, potius quàm puerum absque judicio, & qui inter bonum, & malum discernere non potest? respondet idem Jansenius. *Quod autem dicit, & efficiamini sicut parvuli. sic est intelligendum, ut quales sunt parvuli per ætatem, tales nos simus per voluntatem.*

Iansen. ibid.

Sanctus Paschasius *Non ut ætatem habeant puerilem, sed humilitatem, atque innocentiam, quam illi per ætatem annorum possident, isti per industriam, & virtutem habeant puritatis.*

S. Paschas. in cap. 18 Matth.

Et Haymon Episcopus Halberstadiensis. *Ac si diceret, sicut parvulus iste cujus vobis exemplum proposui, videns pulchram mulierem non*

Haymon apud Alcuin. serm.

de S Michael. Archang.

non concupiscit, non alienas divitias appetit, læsus non reladit, non aliud cogitat, aliud loquitur, & iratus non perpetuas tenet discordias, ita & vos nisi talem habueritis innocentiam in mente, qualem iste habet in corpore, Regnum cælorum *nequaquam intrare potestis.*

Eusebius Emissenus dicit Christum de defectibus Apostolorum, veluti de invidia, odio, superbia, ambitione & similibus sermocinari voluisse. *Videtis hunc parvulum* inquit, *nisi ab hac stulta dignitate, qua vestros animos perturbat, ad hujus patientiam, & humilitatem conversi fueritis, & sine odio, sine invidia, sine superbia, sine ambitione, in Regnum cælorum non intrabitis.*

Eusebius Emissen. apud eundem ibid.

Hinc si adhibuisset hominem adultum, ille eorum imperfectiones rescivisset, easque cum infamia Apostolorum aliis propalasset; ne ergo honor Apostolorum læderetur vocavit puerum lactentem, qui bonum à malo non distingueret, & qui aliis id, quod audierat à Christo non revelaret. *Advocavit parvulum, qui vix loqui noverat*; concludit sanctus Ælredus. Hinc quidam Auctor te monendi ansam sumit. *Discimus quam cautè aliena peccata tangenda sunt, ut aliorum nomini consulatur, & aliena fama.*

S. Ælred. AbbasCisterc.

Aloys. Novar in c. 20. Matt. Sect. 4 nu. 402.

16. Christus à Pontifice de duobus, Discipulis scilicet, & doctrina examinatus fuit. *Pontifex ergo interrogavit Iesum de Discipulis suis, & doctrina ejus.* Ille quæsito de doctrina tantum respondit: *Ego palam locutus sum mundo, ego semper docui in Synagoga, & in templo, interroga eos qui audierunt, quid locutus sim ipsis.*

Io. cap. 18. S. Matth.

Joannes Lanspergius Christum de Apostolis non potuisse, honorificè loqui ait. Judas eum tradiderat, multi eum deseruerant: *Relicto eo omnes fugerunt.* Petrus eum negarat, Thomas in infidelitatem lapsus erat. Si veritatem fateri oportet, ait Christus, eorum defectus aperire cogor. Periclitatur honor Discipulorum. *Iesus dissimulans ad interrogationem de Discipulis factam respondere; fugerant enim à se omnes, unus ipsum in mortem proditor tradiderat, alius negaverat, ideo ad secundam duntaxat interrogationem de doctrina respondit.*

Io. Lansperg. Chart lib. 3 de Pass. Christi col. 2. in fin. lin. A.

17. Hanc partem passu sancti Joannis concludere volo Mortuo Lazaro sapientia humanata ad domum Marthæ pervenit; illa desolata, & dolens atris vestita, comis dissolutis, vultu lachrimans, & labiis suspirans obvia Christo processit; & se inconsolabilem ob mortem fratris demonstrat. Christus ad pietatem movetur, & ut leniret amarorem doloris ait, bono sis animo: *Resurget frater tuus*, illa replicat se de hoc nullatenus dubitare, sed hoc non prius futurum nisi ut illuxerit judicii dies. *Scio, quia resurget, in resurrectione, in novissimo die.* Sed si non tardasses, sed vocatus statim venisses eum præsentiâ tuâ curasses, nec obiisset, *Domine si fuisses, hic frater meus non fuisset mortuus.* Hoc dicto, Martha delicto infidelitatis deliquit potentiam Christi limitatam asserens, nec eum posse facere miracula, nisi ubi est præsens: *Si fuisses hic.* O Martha infidelis, an nescis virtutem medici cælestis esse omnipotentem, & eum sanare posse infirmos etiam absentes? hinc divus Bernardus admiratur dicens: *O Martha, quomodo cum tanta fide diffidis?* Magister ut errorem ei ostenderet replicat: *Ego sum resurrectio, & vita, qui credidit in me, etiamsi mortuus fuerit vivet, & omnis qui credit in me non morietur in æternum, credis hoc?* hæc fœmina discedit, domum intrat, & sororem sine mora ut descendat, à magistro eam exspectari urget. *Magister adest, & vocat te.* Verum *illa ut audivit surgit cito, & venit ad eum.* Et illico ei adgeniculata verbis suspiria miscens eadem verba repetit: *Domine si fuisses hic frater meus non fuisset mortuus*, & in idem peccatum infidelitatis cadit. Dominus elinguis eam transit, nec verbum loquitur, sed inquirit, *ubi posuistis eum?* quænam est hæc partialitas? ambæ sunt infideles. Martha erat sola, ideo honorem perdere non poterat, nec orat periculum, ut defectus manifestaretur, & ipsa diffamaretur. Magdalenam plures comitabantur: *Multi secuti sunt eam*, hinc ne apud amicos, & cognatos diffamaretur, Christus nec verbum de ejus infidelitate movit. Est conceptus Chrysostomi. *Christus non loquitur Magdalenæ, sicuti loquutus est sorori, non erat tempus verborum, ibi enim erat turba.*

Ioan. cap.

S. Bern.

D Ioan. Chrysost.

18. Ex huc usque dictis inferri potest, quam quisque sollicitus esse debet ut operibus honoratis, & excellentibus famam tueatur, & defectus proximi occul-

cando

tando eum non diffamet. Omnes amissiones, sed præcipuè honoris sunt vituperabiles. Subtile ingenium, honorem, ventum, aquam, unaniter egisse finxit. Post iter honor, & aqua ventum interrogarunt ubinam eum invenire possent post discessum. Ventus respondit, nunc dego in vertice montium, aliquando per planities camporum me oblectaturus ambulo, in his locis me invenire poteritis. Honor, & ventus ab aqua ubi habitaret quæsierunt, ut illam invenire possent si necessitas urgeret. Ego respondit ordinariè sum in vallibus, & locis inferioribus terræ. Nunc jaceo in vallibus, nunc turbida per meatus fluo, in his locis me reperire poteritis. Idem quæsierunt ab honore ventus, & aqua quo loco eum reperire possent si infortunio contigerit, ut eum perdant. Honor sic respondit. Hic mihi est genius, ut semel amissus rursus inveniri non possim. Qui est benè auritus attendat. Egenis sollitam charitatem præstate, & quiesco.

ALTERA PARS.

19. HAc parte instar Paraphrastis nonnulla puncta principalia investigare decrevi pro vestro bono. Primo observo in hac Parabola, & servi diffamati, & domini apud quem est diffamatus mentionem fieri, sed de diffamante nil commemoratur. *Hic villicus diffamatus est: homo quidam erat dives.* Sanctus Lucas scriptor adeò exactus, an hic se ostendit defectuosum? id esse nequit, quia calamum ejus Spiritus Sanctus rexit. Potius dixerim, eum docere voluisse revelantem defectus proximi, eumque diffamantem non tantum esse indignum, qui inter personas honoratas nominetur, sed nec mereri ut in hoc mundo vivat. Lex dicit: *Qui casum dicit casum probare tenetur.* David morti vicinus filium Salomonem suum in regno successorem advocans, hæc ei in mandatis dedit, primò ut semper spectaret honorem divinum. Secundò ne Capitanei Joab oblivisceretur: *Tu quoque nôsti, quæ fecerit mihi Joab filius Sarbia, facies ergo juxta sapientiam tuam.* Vestra majestas sit consolata, & secura, quod omnia fient. David defungitur, *& sepultus est in civitate David.* Salomon illicò filium Jojadæ Banaiam ablegat ut Joabum trucidet. *Vade, & interfice eum.* Quo modo: David agit animam, & filio hanc præcipit vindictam, quam ipse neglexit morte præoccupatus? pro ignoscentia vindictam ostendit? *Qui per alium facit per seipsum facere videtur.* Leges sunt claræ. Et nonne hic est Joab, omnium bellatorum dux, & rebellium domitor, qui toties pugnando vitam periculo exposuit? Joab, qui regis partes defendens plus quam centies, certatim in hostem ivit. Subitò se neci tradi sinat? in quo Regem offenderit scire vellem. In Scriptura nil de hoc reperitur, sed Lyranus id ostendit. Rex David Epistolium ad Joab dedit, quatenus Uriam loco periculosissimo, & infirmissimo exponeret, ut primo impetu interimeretur. Scriptum habuit successum, de quo nonnulli amici Uriæ apud Joab conquesti sunt allegantes quod à proposito eum neci tradiderit primæ ipsum velitationi exponendo, idque quia prosperitati Uriæ invidit. Joab se excusavit dicens: non suo, sed regis mandato hæc facta. Nemo fidem adhibere voluit, sed sentiens se constringi, litteram Davidis protulit, & dixit. Videte Sigillum regium, & propriam manum regis. Quid à me petitis. An hoc à me patratum crimen credatis, si rex mihi in mandato non dedisset? siccine ait David maculas meam famam inter milites spargendo errorem à me commissum? hoc vitam demeretur. *Propter hoc*, verba sunt Lyrani, *intelligitur malum, quod fecit Ioab contra personam David, ostendendo alius litteras, quas ipse miserat secretò de morte Vriæ.* Accusator in hodierno Evangelio adeò fuit exosus Christo, & sancto Lucæ, ut eum indignum reputaret, qui nominaretur, & veluti esset mortuus de eo mentio non fieret.

C. de testa. l. consulta divalia.

3. Reg. cap. 1.

Lib. si quis id §. pe ff. de innom. inl ff. de eo quod factum est.

Lyranus in 3. Reg. cap. 2.

20. Audite querelas Dominus eum accersit, & antequam eum objurget prius manu tangere, & oculis veritatem delicti conspicere vult. *Quid hoc audio de te? redde rationem villicationis tuæ.* Docere voluit nos primo impetu actiones alterius judicare non debere. Audite Gregorium: *Vt nobis exemplum proponat, ne mala hominum ante præsumamus credere, quam probare.* Unicum gestum Scripturæ examinemus. Cælo & terrâ crea-

S Greg. lib 9. moral. c. 23.

Genesis cap. 1. râ creatis Deus, *Divisit lucem à tenebris*. Hæc divisio quomodo sustineri possit nescio. Illud, quod antea fuit unitum tantum dividi potest. Quomodo ergo tenebræ contrariæ luci sejungi possint? lux tenebras fugat. Hugo Victorinus dubium diluit dicens, Deum judicasse lucem esse accidens Hugo ibid. positivum, tenebras privativum. *Vidit Deus lucem, quod esset bona*, & ulterius: *divisit, id est, judicavit lucem non esse tenebras. Quare prius vidit?* dicit Hugo: *Quia noluit prius dividere, vel judicare quam vidisset, adducit enim opus in judicium contra præcipitantes sententiam.* Sed postea ut de mala administratione certior factus est villicum officio privavit. *Non enim poteris villicare.* Audite replicam servi: *Quid faciam, quia Dominus meus auffert à me villicationem.* Sed cur potius non dicit: *Quid faciam quia dissipavi bona Domini mei?* magis eum pœna, quam supplicium affligebat. Hæc est proprietas peccatoris.

21. Jeroboam dum inaruisset sibi manus, quia temere ungi officio sacerdotis volebat, & aram incensare. Rogavit Prophetam, ut à Deo sanitatem manus flagitaret: 3. Reg. cap 13. *Ora pro me, ut restituatur mihi manus mea.* Pœnæ remissionem magis optat, quam culpæ. Hinc Angelicus: *Rogavit Ieroboam Prophetam ut sibi peteret non sceleris remissionem, sed manus curationem.*

22. Deus Saulo, ut demoliatur, & destruat urbem Amalecitarum, & nulli vitam donet, *à viro usque ad mulierem* præcepit: *Bovem, ovem, columbam, & asinum* interimi voluit, nec à Saulo quidquam servari: *Demolire universa ejus, & non concupisces ex rebus ipsius aliquid.* Sed totum contrarium 1. Reg. cap. 15. fecit. *Pepercit optimis gregibus ovium, & armentorum, vestibus, arietibus, & universis quæ pulchra sunt* Deo jubente Samuel eum repræhensurus adivit. *Quare non audivisti vocem Domini, & fecisti malum in conspectu Dei?* Saul ad hæc verba caput agitat, ac si ad lapidem dicta fuissent. Et temerariè vari respondit: *Imò audivi vocem Domini, & ambulavi in via, per quam misit me Dominus.* Samuel vela vertit, & de supplicio mentionem facit, Deum eum velle privare regno. *Abjecit te Dominus, ne sis rex.* Quid agat Saul notate. In terra procumbit, vari se submisit, & percutiendo pectus dixit: *Peccavi, quia prævaricatus sum pactum Dei.* Cur nunc, & non antea se recommendavit? en causam: prius de peccato, nunc de pœna sermo est. Sic Lyranus. *Hoc dixit Saul magis formidine pœnæ, quam amore justitiæ.* Servus evan- Nicol Lyran ibid. gelicus bona Domini dissipasse nil curavit, sed ut audivit, *non enim poteris villicare*, cor sibi stringi sensit.

23 Aliam Scripturam novi testamenti addere, & hac meum discursum finire volo. Christus cœnabat, & verbis mansuetis deplorans se à quodam ex dilectissimis tradendum dixit: *Vnus vestrum me traditurus est.* Matth. 26 Animam meam transfigit, quod unus vestrum tantum errorem sit commissurus. Judas eum traditurus erat, & tamen silet. Judas cur non loqueris, cur non moveris? ac si esset lapis cibis inhiat, & verba magistri non curat. Christus denuò de traditione agit, & traditori supplicia minatur. *Væ homini illi per quem filius hominis tradetur, bonum erat ei si natus non fuisset homo ille.* Judas dum audit *væ*, & minas pœnarum caput elevat, aures præbet, oculos attollit, & totus suspiciosus, ac tremens ad Christum se vertit dicens: *Nunquid ego sum Rabbi?* O pessime nebulo, dum de peccato agitur somnum simulas, sed ad nominationem pœnæ expergisceris? culpam irrides, sed pœnam valde sentis? *Quid est hoc insane proditor? tunc dormiebas ad culpam, nunc evigilas ad pœnam? magis hac quam illa tuum animum villicavit; plane servus es non filius, adversarius, non amicus timore duceris non amore leviter vocantem contempsisti, terribiliter tonantem formidasti.* Hunc defectum Judæ omnes peccatores hæreditarunt. Ego credo, quod si peccatum non attraheret pœnam, sicut magnes ferrum, nunquam à Deo offendendo cessarent. Si possent cum hoc servo omnia Dei bona dissiparent. Deus non tantum infernum fecit ut peccatores puniat, sed ut illo in hac vita etiam eos terreat; scit enim, quod esto non desisturi sint à peccatis, quia sunt offensa gravissima, & maxima injuria, quæ Deo nostro fieri potest, ad minus videntes infernum apertum, ejusque flammas atroces, & æternas pœnas sibi destinatas emendabuntur. Si ergo hactenus offensas Dei parum curasti, si pessimis operibus te diffamasti, & proximum ejus defectus propalando,

Accipe

Rupert. Ab.8.l.6. *Accipe cautionem tuam*, hoc est ait Rupertus, emenda te operibus bonis vacando, & defectus alterius silendo, *Caveas, ut de catero te emendes*, & ite in pace. de oper. SS,c,21.

DOMINICA NONA

POST PENTECOSTEN.

Cùm appropinquaret IESVS Ierosolymam, vidit civitatem, flevit super illam. Lucæ 19.

ARGVMENTVM.

Deus gravius fert injurias suis, quam sibi irrogatas. Primò dum nostris magis compatitur, quam suis; secundò dum suas magis tolerat, quam nostras, tertiò dum sevirius nostras castigat, quam suas.

1. DUo fontes lachrimarum ex oculis Salvatoris manabant, quando instar veridici Prophetæ ruinas miseræ Hierosolymæ obventuras sic prædicebat: *Venient dies in te, circumdabunt te inimici tui vallo, coangustabunt te undique, & ad terram prosternent te, & filios tuos, & non relinquent in te lapidem super lapidem* Et ego ex imo cordis exhalasse duplicata suspiria plangendo sic dixisse credo. O infœlicem, & infortunatam Hierosolymam, non multum temporis effluet, quin miseriarum acervo involvaris. Tuo malo spectatrix eris lugubris tuarum calamitatum, & obsessa eris meta hostium Romanorum. Jam cruenta labara superba, & inflata ob spem certam victoriæ explicantur. Et reboantia timpana cohortes ad aciem vocant, & sonoræ tubæ selectiores copias ad prælium excitant. Jam fremunt exercitus, & milites impatientes rumpunt frenum cunctationis, ut tibi noceant. Video obsidionem qua cingeris, audio furias globorum, qui è concavo tormentorum excussi tua mœnia quatiunt. Nunc arma famelica, & sitibunda acuuntur, ut sese tui destructione saturent, & ut ardentem sitim extinguant tuo sanguini intinguntur. Hinc car meum cogitur lachrimas dolorum oculis eliquare. *Videns civitatem flevit super illam.*

D.Luc. cap 19.

Ergone tu, quæ dextra sceptra moderaris collo jugum servitutis indui patieris? tu quæ es Domina, fies serva, & manceps? tu, quæ nata es, ut debelles, & vincas, vincaris, & debelleris? subjecta, & vincta currum triumphalem Titi, & Vespasiani trahes, ut tuis ignominiis honores aliorum triumphos, & tuâ ruinâ victorias hostium augeas? tuæ miseriæ causa dolorosa mearum lachrimarum præcisè sunt. *Videns civitatem flevit super illam.* O clementissime Redemptor, lachrimas mitte, & si plangere velis non illam, sed te defleto. Titus, & Vespasianus non adeò erunt crudeles in ejus destructione, quam illa erit atrox, & immisericors in tui occisione Tu flagellis, ac tormentis obrueris. In illa lapis super lapidem non manebit, verum in tua humanitate illa nec guttam sanguinis linquet. Cur ergo compateris miseriis civitatis, quæ adeò contra te fit crudelis? *Adeo est* (ait Jansen.) *misericordia motus ut etiam lachrimas profuderit non super se occidendum à Hierosolymitanis, sed super illam, id est propter illam, & illius exitium ut appropinquavit videns civitatem in suam necem conspirantem, non de morte, quam illa machinabatur, sed de illius ruina, & perditione flevit.* Verbo: Deus magis inju-

Iansen. in Conc. Evang. cap. 110 fol. 73. part. 4 Eu eb Emissen. A-

injurias nobis irrogatas, quam sibi fert, & hoc tribus modis demonstrat, primò dum nostris miseriis magis compatitur, quam suis; secundò, dum æquius sibi irrogatas tolerat, quam nobis; tertiò dum offensas nobis factas severius castigat, quam sibi factas. Hæ erunt tres lineæ, quæ à circumferentia mei discursus ductæ ad centrum Evangelii terminabuntur. Interim moneo primam requirere silentium, secundam attentionem, tertiam brevitatem. Duæ priores conditiones requiruntur in vobis, tertia in me. Vos mihi favere illis, ego vobis hac serviam, & incipio.

Apud Alcuin in Dom post Pent.

PARS PRIMA.

Videns IESVS civitatem flevit super illam.

2. ILlius, qui præest proprietas inseparabilis esse deberet, potius utilitatem subditorum, quàm proprium commodum spectare. Documentum fuit Tullii: *Si consulis populo, remove te à suspicione alicujus tui commodi, fac fidem, te nihil nisi populi utilitatem, & fructum quærere.* Et alias subjunxit: *Principem omnium, quibus præest salutem, liberos, famam, fortunas esse charissimas decet.* Hinc Claudianus:

M. Cic. in orat. Agrar. ad popul Idem ad Q. Fratrem.

Te civem, patremque geras, tu consule cunctis
Nec tibi, nec tua te moveant, sed publica vota.

Claudianus ad Honorium.

Inter alia præcepta, quæ Plato dedit pro conservatione reipublicæ hoc unum fuit: *Qui præsunt reipublicæ, utilitatem civium sic tueantur, ut quicquid agunt, ad eam referant, obliti commodorum suorum. Vt enim tutela, sic procuratio reipublicæ ad utilitatem eorum, qui commissi sunt gerenda est.*

Plato de Republ.

Si credimus Livio spectare tantum proprium commodum ad Tyrannum spectat: *Hoc uno Rex differt à tyranno, quæ summum crimen putat, populum, aut rempublicam esse divitem.* Et Isocrates adjunxit: *Princeps, & Rex bonus non tam sibi, quàm populo consulit, eorumque quibus præest commodis, utilitatibusque servit.*

Livius. *Isocrat.*

Ælius Adrianus Cæsar in hoc maximè gloriari solebat: *Non mihi, sed populo.* Hi grati sunt subditis juxta illum doctum.

Ælius *Cæsar. Hadr. Nicola. Reusner. Class. 1. symb. 15.*

Quem sua non tam vota movent, quam publica; quique
Non sibi, sed populo consulit, ille placet.

Hujus conditionis fuit Salvator, dum ruinas Hierusalem propriis miseriis anteposuit *Flevit super illam non super se.*

3. Sacri Evangelistæ Dei filio in horto Olivarum orante Patrem æternum, referunt in ejus sereno cælo vultus divini, nescio an dicam stillas, vel stellas sanguinis comparuisse: *Factus est sudor ejus, sicut guttæ sanguinis decurrentis super terram.* Video effectum scilicet sanguineum, sed caussam unde procedat investigare nescio. Cajetanus ex Aristotele respondet sudorem sanguinis potuisse esse naturalem sicut idem Philosophus in aliis contigisse testatur. *Iesus optimæ complexionis sanguineum sudorem emisit, namque deficiente aquositate sanguinis, quæ est materia sudoris nonnihil quoque sanguinis emisit.* Alii hunc sudorem ex nimia apprehensione tormentorum causatum asserunt: *Id enim præ angoris accidit magnitudine, qui sudorem solet exprimere, ut in morientibus patet.* Noster beatus Simon a Cassia in corde Christi magnum conflictum initium fuisse. Et gladios acutissimos dolorum cor pupugisse, ex cujus puncturis sanguis manavit affirmat: *Durum bellum agebatur in anima Christi, ex cujus ictibus sanguis tam latè manabat.* In ejus corde odium, quo peccatum infensissimum hostem detestabatur, & amor quo flagrabat erga genus humanum concertabant. Unam subtilitatem Ruperti Abbatis audite. Hic Author in eo loco multos fuisse lapides putat. Hos dum Christus aspexit mentem ejus subiit illos instrumenta martyrii sancti Stephani futuros; ac si dixisset: ô lapides impios, ô petras crudeles, vos membra mei Levitæ lacerabitis, vos carnem disserpetis, vos vitam aufferetis, eique mortem dabitis. Hæc consideratio adeo cor ejus transfixit, tantumque dolorem intulit, ut sudorem sanguinis expresserit. *Factus est sudor ejus sicut guttæ sanguinis decurrentis super terram.*

D Luc. cap. 22. *Cajet apud Iansen p. 4. cap. 137. com. in conc Evang. Iansen. ibid.* *B Simon. de Cass lib. 13 cap. 3.*

4. Sed

4. Sed ô mi redemptor antequam lapides intueres, an non menti tuæ calix amarus cum omnibus instrumentis passionis sese objecit? quinimo? dixisti enim. *Pater si vis transfer à me calicem istum* Hi eventus dolorosi utpote clavorum, spinarum, flagellorum quæ tuum corpus cruciabūt, potius sanguinem exprimere tibi deberent, quam lapides, quæ impetent Stephanum. Qualiter sanctus Matthæus de calice passionis loquatur observemus: *Transeat à me calix iste.* Quid proprie significat transeat? Logicus dum audit propositionem, quam parum curat, num illam neget, vel concedat dicit *transeat* idest parum mea refert. Hanc ob caussam etiam dixit Christus de calice passionis: *Transeat à me calix iste;* sed lapides Stephani adeò ipsum tormentarunt, ut sudorem cruentum expresserint, *Et factus est sudor &c.* Hinc Rupertus *tuos ô Stephane, Christus numerabat lapides, tuumque sanguinem meditabatur, hinc factus est sudor, &c.*

Luca c. 22.

Rupert. Abbat. de *oper Sp. S. lib. 6. ca. 4*

5 Maneamus in horto Olivarum ut aliis observationibus actiones Christi ponderemus. Adsunt Hebræi, ut eum capiant, & duce Iudâ eum accedant, ut manum injiciant, & vinciāt. Dominus interrogat: *Quem quæritis* ? respondent *Iesum Nazarenum.* Replicat Christus. *Dixi vobis, quia ego sum.* Si ergo me velitis, alibi ne me quæratis, ego ipse sum, & si me velitis capere non resisto. Unicum à vobis rogo, ne meis discipulis molesti sitis. *Si ergo me quæritis sinite hos abire.* De me facite, quod lubet Lacerate me, torquete, carnes has discerpite, occidite me, sed horum ne capillum tangatis. *Sinite hos abire.* Simile quid de Epaminonda historici referunt. Hic generosus dux pro Thebanis dimicans ab hostibus vulnus lethale recepit. Accurrunt milites in ejus subsidium, at ille propriâ suâ personâ neglecta sollicitior de clypeo lapso fuit. Hinc milites interrogavit, an esset in tuto, vel num hosti cessisset, rogavitq; ut neglectâ curatione vulneris è quo sanguinem, & animam versabat, irent omnem conatum adhibituri, ne in manus hostiles deveniret Demonstravit clypeo se magis torqueri, quàm à se ipso. *Vt relatus* (inquit Justinus historicus) *in castra semianimus vocem spiritumque collegit: sed unum à circumstantibus requisivit, num cadenti sibi scutum ademisset hostis: quod ut servatum audivit, allatum veluti laborum gloriæ socium osculatus, atque ita gratulabundus expiravit.* Christus sanctæ Ecclesiæ, & militiæ Christianæ dux erat. In horto ab hostibus cinctus, magis est sollicitus de suis scutis Apostolicis, quam de se ipso. Hinc ait ad turbas. *Si ergo me quæritis sinite hos abire* Idcirco Theodoretus. *Dominus autem, ut non caperentur discipuli dixit: si ergo me quæritis &c.*

S. Ioann. c. 18.

Valerius Maximus lib. 3 c. 2. Iustinus Histor. l. 6

Theod. in c. 18. Ioan.

6. Duo discipuli Christi in Emaus pergebant, & dum de morte Christi mœstos discursus miscerent, ille subito viatorum more vestitus se iis jungit, familiariter, & scripturis sacris suam gloriosam resurrectionem probare conatur. Sol jam jam occubiturus erat, & nox in aöre explicans sua atra vela comparebat. Et en Dominus ulterius sibi proficiscendum fingens ab iis vale sumpsit. Optarem hanc diem esse annum, ut vobiscum iter agere possem, sed ulterius mihi eundum est, ideo vobis valedico, Deus vobiscum sit; hic abitus discipulis durus videbatur, ideo rogarunt: *Mane nobiscum Domine, quoniam advesperascit.* Nox ingruit, non est tempus iter producendi, ideo nobiscum mane. Salvator consensit, & diversorium petierunt: tempus cœnæ advenit, nec nisi unicum panem habebant, illum mensæ apponunt. Christus ei benedixit, & in duas partes divisit. Hinc sacer textus. *Accepit panem, benedixit ac fregit.* Panem unum tantum divídit in duas partes? an non tres mensæ assidebant? ergo unus manebat incœnatus? Agedum ait Christus vestræ necessitati compatior, portionem meam vobis credo, vos eam comedite. *Et porrigebat illis.* Est observatio Durandi: *In Emaus fregisse panem, sed non comedisse legimus.* Et Salmeron. *Adimit sibi panem de ore, ut discipulus provideat.* O mi Deus, quam pius es? magis compateris nostris miseriis, quam tuis adversitatibus, quas ingrata Hierusalem in tuum damnum tibi parat. Hinc nil miri si oculi lachrimis, labra suspiriis, illam deplorent, cum ejus miseriæ tibi displiceant. *Flevit non super se, sed super illam.* Sed quid tero tempus in scripturis, si quotidie id in vobis, & maximè in me experientia hoc demonstret!

Luca 24.

Duran in Rat Biblia, & Alphons. Salm in c. 24. D. Luc. tr. 9. t 9. in Evang.

ſtret? ego viliſſima creatura te ingratè offendo, & tu mihi clementer compateris, excuſans meam fragilitatem. Alterâ die te rurſus offendo, & tu denuo paratus es, ut mihi compatiaris; dicens me à Dœmone tentatum, tu offenſus mihi offendenti compateris, & quis unquam audivit vulneratum ob vulnus compati vulneranti? *Flevit ſuper illam.*

7. Sed illud, quod me in ſtuporem agit, eſt, quod injurias ſuis illatas ægrius ferat, quam ſibi datas. Chriſtus à Phariſæo ad menſam invitatus fuit. Sub prandio Magdalena ingreditur, atque genuflexa veniam culparum rogat, lachrimis eum lavat, unguento inungit, labiis mundatis oſculatur: *Et ſtans retro ſecus pedes Domini lachrimis cœpit rigare pedes ejus.* D. Lucas c. 7. Phariſæus videns redemptorem non repellere mulierem peccatricem, ſed potius benevolè eam admittere, & ejus ſuplicæ, & unctioni gratificare, ſic ſecum diſcurrere cœpit. Magdalena inter fœminas eſt maxima peccatrix, & inſuper Chriſtus non eſt Propheta, ſed ſe vendit pro tali. *Hic ſi eſſet Propheta ſciret utique, quæ, & qualis eſt mulier, quæ tangit eum.* Sic interpretatur Janſenius. Ianſen. com. in concor. Evang. c. 48 in c. 7. D. Luc. *Provocatur contra ad utriuſque calumniam, & condemnationem; mulierem quidem eſſe peccatricem; Ieſum vero indicans non eſſe Prophetam, qualis ab omnibus habebatur* Et ſanctus Gregorius Papa, D. Greg. ſerm. de Maria Magd. *Ægram reprehendit de ægritudine, medium de ſubventione* Magna res; Simonem aggreditur, & Magdalenam defendit. *Simon habeo aliquid tibi dicere.* Sic Janſenius: Ianſen. ib. *Mulierem ab iniquo judicio liberat, & Phariſaicæ ſuperbiæ medetur, indicans illam quoque peccatorem eſſe & veniâ indigere, & longè in dilectione ſeparari à muliere, quam per ſe contemnebat.* Domine, an non audiviſti à Phariſæo te traduci ut vatem falſum, & mendacem? cur ergo ei non reſpondes. Defende tuum honorem, nam qualis ſit Magdalena ſcitur. Quod ego ſim offenſus libenter tolero, ſed quod Magdalena ſit offenſa graviter me angit; quod demonſtro, dum non me, ſed illam defendo. Hanc fuiſſe intentionem Chriſti his verbis author ſupradictus teſtatur: Ianſen. ib. fol 215. col. 1. l. D. *Notandum & illud, quod ad contemplandam mulierem, vocat Simonem dicens, vides hanc mulierem? quaſi dicat; Non poteris hanc velut adhuc peccatricem adverſari, & indignam meo contractu cenſere, ſi eam probè contemplatus fueris, imo te longè ab ea ſuperari invenies, ſi conferas tua in me officia cum illius officiis. Vides ne toto corporis habitu pœnitentis imaginem præſeferentem? quomodo ergo, ut peccatricem aſpernaris.*

8. Tempore paſſionis filius Dei duabus injuriis graviſſimis affectus fuit. Prima eſt alapa ei inflicta ab impio ſervo coram Pontifice. *Unus aſſiſtens dedit alapam Ieſu.* D. Io. c. 18 Actio fuit adeo indigna, ut filius Dei eam ſufferre non potuerit, & ſe continere non potens, dixit: *Si male locutus ſum teſtimonium perhibe de malo; ſi autem bene cur me cædis?* altera fuit dum in cruce ei manus clavis transfixerunt; ideo ſanctus Hilarius præ dolore eum exclamaſſe, & ad ſtellas uſque voces emiſiſſe ait. Hilar. Pict. 10. de Trinit. *Tranſverberante clavo palmam genitus aſcendit, & latro converſus eſt.* Me-herclè hi duo paſſus ſunt digni obſervatione, & ſtupore Inter alia tormenta multo graviora veluti flagra ad columnam, ſpinas transfigentes ejus caput ſemper tacuit, nec ſignum doloris oſtendit. Et nunc ad colaphum impatientem ſe oſtendit? præterea ita obſervante ſancto Hilario, quamvis clavi pedum crudeliores, vel æquè crudeles fuerint, tamen claves manuum, & non pedum graviter ſenſit. Audite cauſſam Philo Carphatius, ſancti Juſtinus, & Vitalis martyr genis Chriſti martyres Eccleſiæ deſignari aſſerunt: Philo Carp. in c. 5. Can. *Maxillæ, & genæ Chriſti martyres ſunt Eccleſiæ*, dcirco ſponſa in Canticis ſacris ſolebat dicere: SS. Iuſtinus, Vitalis mart. Cant. c. 4. *Sicut fragmen mali punici genæ tuæ* Nam ſicut malo granatum interius eſt rubicundum, & exterius purpureum; ſic martyres intrinſecus amore, & exterius ſanguine rubent. Ideo Chriſtus alapam ſibi inflictam, non ſibi, ſed martyribus eam inflictam cenſuit. Et ſi credimus Iſaiæ in manibus filii Dei omnes fideles deſcripti Iſa. c. 49. ſunt. *In manibus meis deſcripſi te.* Hebræi hos characteres, clavis, & ſanguine deleverunt, ac læſerunt perſonas in eis deſcriptas, ergo injuria nobis; fidelibuſque Chriſti illata eſt. Filius ergo Dei hoc dicere voluit: Acerbitatem ſpinarum, & atrocitatem flagellorum, & crucis libenter quidem tolero, ſed mihi illa illata ſunt. Sed alapas, & injurias martyribus meis illatas ſufferre nequeo, & graviter æſtimare cogor.

gor. *Cur me cædis*? sic etiam vulnera manibus fidelium meorum incisa, pessimè ferre cogor. *Transverberante clavo palmam gemitus ascendit*. Ex hoc latro eum esse filium Dei intulit, & ad fidem conversus est. *Et latro conversus est*

9. In Exodo legimus Deum, dum Populus Israëliticus, sub jugo Pharaonis degeret, multa signa displicentiæ ostendisse, quod gens sua ab illa fæce malè tractaretur. Ideo sæpius Pharaoni significavit, ut populum libertati restitueret, & quia obstinatus restitit omnes pecudes morti dari curavit *Mortuaque sunt omnia animantia Ægyptiorum*. (Exod.c. 9.) Postea Moysi mandavit, ut quędam certum pulverem super terram Ægypti spargeret. Hic fuit ita pestilens, ut dum corpora animalium, & hominum laceraret, ea morti traderet. Insuper, è terra certas locustas famelicas produxit, quæ herbas, semina, & fruges consumpserunt: *Extende manum tuam super terram Ægypti ad locustam, & devoret omnem herbam*. (Exod.c.10) Demum videns cor Pharaonis induratum, & obstinatum tenebras adeo nigras, crassas & horrendas induxit, ut homines sese non viderent, & immobiles hærerent, quia quo pedem figerent non conspiciebant: *Extenditque Moyses manum in cœlum, & factæ sunt tenebræ horribiles in universa terra Ægypti*, Et durarunt *tribus diebus* Similiter illo die, quo Christus fuit crucifixus tenebræ super terram comparuerunt. *Tenebræ factæ sunt super universam terram* (Matt. 27.) Et ut succollemus opinionem asserentium illas fuisse naturales ab interpositione terræ inter solem, & lunam causatas adduco Divum Dionysium Areopagitam Apollophanio suo in Philosophia condiscipulo scribentem, *Obfuso namque orbe uniformiter, tenebrarum caligine tabescente. reperimus, quod & erat notissimum, cotenus fatigatione Eclyptica solem pati molestias non debere, solarem fulgorem velus Æthiopicis obducentem, solere in occidua hora captare perfugit*. (D.Dion. Areop in Bibl vet. Patr t.9. in c.27. D Matth. f.1213.) Paschasius Ratbertus illas tenebras inductas asserit, ut Deus ostenderet quam graviter Hebræis innocenter suum filium crucifigentibus succensus esset. *Et ideo non nubis obdensatæ sunt solummodo, sed obscuratus est sol, quod luminare majus est, ne aut pendentem dominus videret, aut impii blasphemantes suâ luce fruerentur*. (Pasch Ratbert. in c.27.) Vel juxta opinionem Jansenii Deus ad ruborem Hebræorum crudelium ostendere voluit creaturas insensibiles ad pietatem moveri: *Designatum creaturarum auctorem jam pati, ac creaturas inanimatas illum agnoscere, & prædicare, quem Iudæi agnoscere recusaverunt, & variis insectati sunt contumeliis easque compati suo creatori quem tam variis affecere homines mente præditi, ludibriis*. (Iansf in concit Evang.c 147. ibid.)

10. Nunc ad punctum principale nostri intenti veniamus In morte pœnosa, & injuriosa Christi pater æternus tenebras inducere, & tribus tantum horis durare voluit. *Ab hora sexta usque ad horam nonam* Sed dum populus Israëliticus in Ægypto à Pharaone torqueretur tribus diebus continuis voluit illas perseverare: *Tribus diebus* Additur tenebras Ægypti adeo fuisse horribiles, ut homines sese non viderent, nec gressus movere auderent, quia non videbant ubi pedem locarent: *Factæ sunt tenebræ horribiles, nemo vidit fratrem suum nec movit se de loco in quo erat*. De tenebris Hierusalem hoc non legitur. Deus hac diversitate ostendere voluit, se magis sentire servitutem sui populi, quam mortem propriam: & quantò tenebræ erant densiores, tantò major erat dolor, quo afficiebatur dum à Pharaone Israëlitas malè haberi vidit. Est conceptus Cyrilli Alexandrini. *Trium spatio horarum tenebrescit terra in morte Salvatoris, & trium spatio dierum obtenebrantur Ægyptii, in captivitate populi Israelitici: quia tunc agebatur de vindicta Salvatoris, nunc de creaturæ ultione magis apretiatâ à Deo*. (D.Cyr. Alex.) Quid ergo miri, si videns Hierosolymam destruendam, & desolandam inconsolabiliter non se, sed illam deploret, *Flevit super illam*

11. Hanc veritatem à posteriori nempe à suppliciis, quæ derivant in illos, qui se, & suos offendunt probare volo. Duo peccata, commisit Cain, quorum unum altero non fuit levius. Primum versabatur circa sacrificium, quo Deum irridere videbatur, dum teste Abulensi fructus deteriores obtulit. *Obtulit de frugibus, nempe de peioribus, corrosis à vermibus, & putrefactis*. (Abulensis ibid.)

Aliud fuit dum fratrem innocentem Abelem occidit. Mira res irrisionem Dei in sacrificio nulla subsecuta est pœna, solum ejus munera non acceptavit: *Non respexit* (Gen. 4.)

Dominus

Dominus ad munera Cain. Et tamen patravit sacrilegium. Sed Fratricidium maledictione diluit. *Maledictus eris super terram.* Frugibus eum privat, nec vult ut ex labore fructum colligat. *Cum operatus fueris eam, non dabit tibi fructus suos.* Quale est hoc paradoxum ob fratricidium, & non ob sacrilegium punitur? noster Deus ostendere voluit se quidem posse tolerare injurias sibi, sed nobis illatas, non posse se continere, quin puniat Audite Chrysostomum.

D. Ioann. Chrys. *Vide quomodo Deus, quando in ipsum peccavit Cain peccato non vulgari dimisit, quando autem in fratrem armavit dexteram, maledictionem intulit, & increpavit.*

12. Aliis occasionibus à me plures esse adductas rationes, cur Christus diris devoverit illam ficum, & comâ exuerit, recordor. *Et arefacta est continuo ficulnea.* Non

Matt. 21. possum mihi imaginari, quare hanc arborem aggressus sit, forsan quia diu jejunaverat (refert namque textus quod esuriit) & nullum fructum invenit? verum quia non erat tempus ficorum hanc pœnam non merebatur. Ego credo ficum fuisse sterilem, nec unquam protulisse fructus. Hinc Christus eam non maledixit ob nullas repertas ficus solandæ fami, sed quia omnes labores quolibet anno ab agricolâ impensos frustravit. Hoc confirmo similitudine, quam à Salvatore datam, san-

Lucæ 13. ctus Lucas recenset: *Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea sua, & venit quærens fructum in illa, & non invenit.* Per tres annos non protulit fructus. Dominus vinitori præcepit, ut eam evelleret: *Succide illam.* Gravis quidam author caussam hujus inquirit, & respondet id factum, non quod nullos produxerit fructus, sed quia

Didac. Ponfer. t 4 lib 6 cap 11 in c. 13. D. Luc. § 2. terram inutiliter occupavit *Vt quid terram occupat. Infrugiferam ficum succidi jubet Dominus & cur eam succidi mandat? an quia sibi aliquod damnum importat? Absit; sed quia terræ detrimentosa est, illam inutiliter occupans: quippe ait, ut quid etiam terram occupat?* hac similitudine humanata sapientia ostendere voluit se acrius animadvertere in noxas nobis illatas, quam sibi.

Matt. 18. 13 Hanc veritatem clarius expressit per illam parabolam, quam sanctus Matthæus scripto consignavit. Patremfamilias adduxit, qui servos citavit, ut quantum deberent rationem redderent. Unus comparuit, qui decem millia talenta debebat. Illi significavit Dominus se adamussim omne debitum solvi velle, & si non sit nummatus omnia mobilia, & immobilia vendat: *Iussit venundari omnia quæ habebat, & reddi* Ut mentem Domini percepit in terram se prostravit rogans tempus, & misericordiam sibi præstari se omnia soluturum: *Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.* Non tantum acceptavit hanc oblationem, sed omne debitum illi condonavit: *Misertus est Dominus servi illius, & omne debitum dimisit ei.*

Servus abit contentus, & ante fores palatii conservum invenit, qui sibi centum donarios debebat, eum aggreditur, collo apprehendit, in solum dejicit, genu pectus calcat; & collum stringens eum suffocaturus erat. *Suffocavit eum dicens; redde quod debes* Miser misericordiam flagitabat: *Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi;* sed frustra; vel solve, vel te suffoco, & dum vi evasisset eum carceri conclusit. Nonnulli servi præsentes valde hoc factū admirantes, ex ejus crudelitate scandalizati sunt, & *narraverunt Domino suo, omnia, quæ facta fuerant* Dominus eum citavit, & modum procedendi improbans: *Tradidit eum tortoribus donec redderet universum debitum* Hic vos cupio attentos auditores, Dominus ob proprium debitum, eum non incarcerat, sed debitum condonat, & quia malè tractat conservum tantane bile inflammatur? Ita: ait Chrysosto- *Hom. 26.*
mus: *Cum in se peccatum est, ad nudas tantum preces totum dimittit, cum autem in conservum, ut crudelis, & inhumanus suam revocat liberalitatem*

14. Tanto affectu ferebatur Christus erga Hierosolymam, a qua tamen erat crucifigendus, ut damna inferenda illi à Tito, & Vespasiano sibimet irrogari puta- *Psalm. 50*
rit. *Flevit super illam,* ac si flevisset super se. Damna, quæ inferuntur suis amicis, & fidelibus ea sibi inferri censet. David errata agnoscens actum cōtritionis elicuit, dum humiliter ad divinam majestatem conversus illachrimans dixit: *Tibi soli peccavi, & malum coram te feci: Tibi soli?* an solum ostendisti Deum? an non nocuisti Uriæ ejus uxorem rapiendo? nonne injuriam intu-

listi

listi Berthsabeæ ejus virum occidendo? ergo *tibi soli peccavi*? en Bellarminum. *Peccaverat, etiam contra Vriam, quem occiderat, & contra Berthsabaam quam adulteraverat, & contra populum, quem scandalizaverat.* Et sanctus Pater Augustinus hunc modum loquendi admiratur. *Quid est hoc? nonne erat adulterata uxor aliena, & maritus occisus? nonne omnes noverant, quid David fecerat? quid est, tibi soli peccavi, & malum coram te feci?* Ah dicit David Uriæ quidem nocui in vita, & Berthsabeæ in honore, sed Deo hoc ita displicuit, ac si ipsum solum offendissem. *Tibi soli peccavi.* In persona propria læsus est. Oculo Prophetico omnia adversa Hierosolymæ eventura prævidit, ex intimo cordis illa sensit, ac veluti propria illa deploravit, & flevit ac si Titus, & Vespasianus arma contra se sumpsissent: *Flevit super illam.*

Cardin. Bellar. in Psal 50. Num 5. D. August. ibidem. Psalm. 50

15. Nos idem creatori nostro exhibere deberemus, hoc est injurias quas peccatores ipsi inferunt æstimare ac si nobis irrogarentur. Ad filium pertinet sentire inimicus illatas patri. Nec sumus filii Dei, audimus illum sceleratum Deo maledicere, eum blasphemare, honorem Dei lædere, & ridemus, quot sunt Prælati, qui subditos habent discolos, scandalosos, & pessimos, quique quotidie Deum offendunt? & tamen connivent, & ostendunt se non videre, ac scire, & si hæc illis referantur nolunt credere, vel si videant tolerant: videntur non habere linguam ad eos arguendos, manus ad castigandos, auctoritatem, ut sibi obedientiam exhiberi faciant. Et tamen dissolutiones eorum sunt offensæ Dei, quas superior flocci pendit. Sed si subditus, semel unico verbo eorum personam tangat, & reputationem lædat, fiunt Argi ad videndos omnes defectus, & Briarei ad illos puniendos, minus æstimant, quod Deum blasphemiis, & maledictione petierint, quam quod unico verbo læsi sint. Hic non est modus agendi boni Prælati. Ruat cœlum, pereat mundus, dignitas, imo vita amittatur, ut honor Dei conservetur.

Hom. 26. Psalmo 50

16. Ad nostrum ruborem sanctus Ambrosius Antiochiæ quendam nobilem proditoriè occisum, eoque necato canem immobiliter cadaveri adhæsisse commemorat. Multi ad hunc casum accurrerunt, & inter illos occisor necem dissimulans. Canis homicidâ viso eum latratu petiit, & vestibus apprehendens vindictam inclamavit. *Canis sequestrato paulis per quæstu doloris arma ultionis assumpsit.* O Deus tantine facit unus canis Dominum, & homo videns honorem Dei lædi tacet, & dissimulat? erubescamus, dum majori zelo bestiam erga Dominum, quam Christianum erga Deum ferri videmus. Dum hoc cogito horreo, nec alios terminos invenire possum, quibus in has inconvenientias inveham. Dicta sufficiant, & quiesco.

D. Ambr. lib. 9. exam. c. 4.

ALTERA PARS.

Venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo, & circumdabunt te, & coangustabunt te undique, & ad terram prosternent te, & filios tuos, qui in te sunt & non relinquent in te lapidem super lapidem.

17 O Quot adversitates infœlici Hierosolymæ imminent? erit, cum cingeris ab hostibus, qui te angustiabunt, & oppriment, solo æquaberis, & funditus destrueris, multi filiorum tuorum captivabuntur, multi per mundum errabundi vagabuntur. Verbo; adeo desolaberis, & destrueris ut nec lapis super lapidem mansurus sit. Et si caussam harum adversitatum scire velitis audite salvatorem plangentem *Eo quod non cognoveris tempus visitationis tuæ*, ob scelera civium Hinc Origenes, *Non nego igitur & illam Hierusalem propter habitatorum scelera fuisse destructam.* Et eousque redacta est ab obsidentibus Tito, & Vespasiano, ut fuerit civium carcer, ut fame, & siti tabuerint, & omnes præ necessitate perierint, illis angustiis fuerunt involuti ut matres ne morirentur fame proprias proles devorarint. An potest audiri calamitas major? *Coangustabunt te undique*, hoc est inquit Dionysius Carthusianus, *Sic obsidebunt, ut egredi non possis, nec audeas sed fame, & siti, ac aliis modis gravissimè affligeris. Ad tantam enim angustiam habitatores Hierusalem devenerunt, ut mulieres proprios pueros comederent.* Jure itaque dici potest à nostris peccatis nostra mala provenire.

Origen. in Cat. D. Th ibid. Dionys. Cart. in c. 19 D. Luc art. 41. f. 244. Ioseph de bello Iudaico.

Propter peccata veniunt adversa. Hinc Chrysippus miseriis involutos falso, & contra rationem originem miseriarum, adversæ fortunæ, vel constellationi cœli attribuere asserit, imo potius illas sibi ipsis, & propriis peccatis asscribere debere.

Chrysippus *—— Quam falso accusent superos, stultique queruntur*
Mortales; etenim nostrorum caussa malorum.
Ipsi nos sumus, & sua quemque vecordia lædit.

Et sanctus Gregorius. *Mala, quæ patimur, peccata nostra meruerunt.* Hoc noster Salvator curans Paraliticum docuisse videtur, dum dixit, *Confide fili remittuntur tibi peccata.* Sed quid peccatis, cum Paralisi? hæc infirmitas ab ejus peccatis processerat. Idcirco Doctor Angelicus dixit, *quid est quod iste petebat, sanitatem corporis, & Dominus dat sanitatem animæ? ratio est, quia peccatum erat caussa ægritudinis, sicut in psalmo: propter iniquitates eorum multiplicatæ sunt infirmitates eorum.*

D. Matth. c. 9. D. Thom. in c. 9 D. Matth f. 27 col. 4. Psal. 15. Dionys. Carth ibidem.

Et Dionysius Carthusianus hoc confirmat *Remittuntur tibi peccata tua, propter quæ hanc sustines infirmitatem.*

18. Auditores faciamus opus misericordiæ, visitemus miserum infirmum nomine Job abysso miseriarum immerso. O Job quî tecum agitur? Peius mecum agi non potest, collo tenus miseriis sum immersus, patientiam habere debeo; quia hi sunt fructus hujus mundi. Quis sibi persuasisset hominem adeò opulentum, tantis miseriis involvendum? mala tua ossa penetrant, es vera idæa mortis. Hæc lepra ad animam usque pertingit. Et ad minus non est tibi lectus in quo quiescas? hæc putredo tibi ingeritur ex eo solum, quod in hoc loco immundo sis. Dic quonam abierunt tot tuæ opes? omnia mihi adversa fuerunt. Annon tibi fuerunt multæ proles, quomodo te ergo ab omnibus derelictum video? omnes miserè obierunt, ut meæ miseriæ augerentur. Miror tot tua mala, nec cogitare possum unde processerint. Sed auditores Jobum assignantem caussam audite. *Respondens Iob dixit utinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui, & calamitas, quam patior in staterâ.* Proprio ore hæc adversa à peccatis orta fatetur, ejusque opinioni adhæserunt tres ejus amici qui eum inviserunt. Nempe Eliphaz Themanites, Baldad, Suhites, Sophar Naamathites Sic Ambrosius, *Tres illi Reges amici Iob, propterea eum peccatorem pronuntiabant, quia inopem factum ex divite; orbatum liberis ex fœcundo parente, perfusum ulceribus, in horrentem vibicibus, exaratum vulneribus à capite usque ad pedes videbant:* & esto esset justus, & amicus Dei tamen à posteriori ejus adversa à peccatis processisse intulerunt.

Iob. c. 6. Ambrosius

19. Quis unquam miserias, quibus involutus est Cain ob fratricidium recensere possit? Primo omnibus bonis fortunæ exutus fuit: *Cum operatus fueris terram non dabit tibi fructus suos.* Secundo *eris vagus, & profugus super terram.* Procopius. *Eris mobilis, & instabilis.* Galatinus *Eris vagus, & inquietus* Georgius Venetus, *eris nutans.* Sanctus Macharius, *Angustia, & tremore teneberis, atque tremore agitaberis super terram.* Septuaginta: *Eris gemens, & tremens super terram.* Chaldaica, *Eris instabilis, & transmigrans in terra.* Nunc has omnes versiones jungite, & quot adversitates infœlici Caino ob peccatum evenerint videbitis. Hinc dixit Divus Ambrosius: *Omni improbo mala adsunt, & affatura sunt: quæ adsunt, tristitiam operantur, quæ futura sunt, formidinem, sed improbum plus præsentia, quam futura sollicitant.* Et sanctus Pontifex Gregorius: *Mens prava est semper in laboribus, quia aut molitur mala quæ inferat, aut metuit ne hæc sibi ab aliis inferantur: cui ergo tranquillitati securitas deest, huic procul dubio terroris sonitus semper in auribus est.*

Gen c 4. Proco. Galat. Georg. Ven. D. Machar. Septu Chaldaica D. Ambr. D. Greg lib 13. Mor. c. 12.

20. Cui datum fuisset videre urbes illas Pentapoli, illas judicasset hortos deliciosos. In vere terra pomposa pallium floribus ornatum ostentabat, campi virentes nudis agricolis, abundantiam fructuum vini, & frugum, grando nunquam messem auream in campis conquassavit, venti Aquilonares nunquam comparere sunt ausi, ut læderent plantas, fructus ex iis excuterent, germinibus novellis, & ramis prodeuntibus nunquam obfuit gelu: sufficit dicere, quod scriptura illam terram ob amœnitatem, & copiam rerum vocet paradysum Dei: *Sicut paradysus Domini.* Sed qui postea eas vidisset, miserandam metamorphosin conspexisset. Intuitus fuisset civita-

Gen. c. 13.

civitates solo æquatas, ædificia destructa, terram inhabitabilem, agros redditos steriles, campos in cinerem redactos, acervos petrarum fumo obductas. Lapides, qui supererant à voracibus flammis mutati sunt in carbones. Hic apparent voragines, illic videbantur exhalari vapores sulphurii, è visceribus illius terræ ambustæ fumus nigerrimus assurgere cernitur. O quot malorum ipsorum peccata fuêre caussa. *Qui (id est peccatores) per sua scelera non solum se ipsos, sed & talem regionem sæculo perdiderunt; erat nempe magnarum latitiarum, in qua habitatores gaudere possent, & frui bonis hujus sæculi, à Deo concessis, illi autem infelices caussa extiterunt, & bona naturalia, quæ Deus omnibus hominibus utenda concesserat; illis agentibus tolerantur.* Ad hunc statum filius Dei civitatem Hierusalem redigendam prævidit, & prædixit, sceptro, sacerdotio, sacrificiis, templo spolianda erat, & Hebræi omnibus bonis temporalibus, & spiritualibus exuendi erant *eo quod non cognoverint tempus visitationis.* Hinc sequitur *venient dies in te*, vel ut explanat Dionysius Carthusianus *contra te.* Imo: nam quicquid peccator facit in ejus damnum redundat. Hinc dixit Salvianus: *Ipse sibi parat peccator: quisque quid patitur, nos calamitatum nostrarum auctores sumus, nos ergo adversum nos omnia facimus, nos inquam nos Deo nolente cruciamus.* Abul. ib. Salvia. lib 8. de prov.

21. Cæso exercitu Saulis à Philistæis ipse desperatus nonneminem, qui sibi mortem inferret quæsivit, sed cum nullum reperiret in montibus Gelboë seipsum ferro necavit. Quidam Amalecita Davidi fausta se nuntiaturum sperans, & munus reportaturum Davidem coronam, & clypeum in veritatis testimonium portans accessit & dixit: *Stans super eum occidi illum*: mors Saul Davidi maximum dolorem intulit, vestes laceravit, planxit, & jejunavit. David adolescentem interrogat, *unde es tu?* respondit *Filius hominis advenæ Amalecitæ. Ego sum.* Intelligens eum Amalecitam servum vocavit, & ut in suâ præsentiâ eum trucidaret præcepit: *Accedens irrue in eum, qui percussit illum, & mortuus est.* De hoc bene dici potest, quod malum instar medici hic miser quæsierit, & quod mortem secum gestarit, & quod malitiosè egit contra eum redundavit. *Erat*, (inquit Theodoretus) *Amalecita, in quem universorum jam tulerat sententiam mortis.* 1.Reg.c.31 2 Reg.1. Theod.q.1. in l.2.Reg.

22. David de peccatore loquens dixit. *Incidit in foveam; quam fecit.* Idcirco Bellarminus, *aperuit, lacum, seu cisternam, ut justus nesciens ibi esse foveam in eam caderet, sed ipse prior in eam incidit, qui eam foderet.* Psal.7. Bellar ib. f.31.N.16

Sic Aman patibulũ exstruxit Mardochæo, in quo tamẽ ipse fuit suspensus. Perillus excellens fusor metallorum gratiam Phaleridis Tyranni venari sperans taurum æneũ, quo Rex cruciare posset reos invenit. Sed Phalerides voluit, ut Perillus primo experimentum sumeret. Huc volens alludere, Poëta cecinit:

Non est lex æquior ulla. Ovid.
Quam necis artificem fraude perire sua.
Et gemere in tauro sæpe Perille suo.

Non secus, ac ille, qui ex arcu sagittas in solem emisit, sed supra eum relapsæ sunt. Goliath gladium gestavit, sed David eo usus est in ipsius necem. Hinc scripsit Basilius Seleucus, *Cum Goliath arma fabricaret, id se in usus Davidis facere, & proprii jugulatoris bajulum, & in adversarii habitu se Davidi venire subsidio ignorabat.* D. Basil. Seleuc.

Præterea Icarus dedit vinum rusticis, sed vino se putantes gravatos Icarum occiderunt; *Ferunt Icarum à Bacho utrem vini accepisse, ut ejus usum mortalibus communicaret. Quare cum rusticos quosdam ab bibendum invitasset, illi potus suavitate capti, aquâ largius hauserunt; qua ex re, cùm crapulæ incommodum sentirent, malum sibi medicamentum datum rati Icarum interfecerunt.* Amb Ca... lep. verbo virgo.

Erit dies cum peccator videbit omnia ejus opera mala contra se insurrectura: *Venient dies contra te.* Dies tui, omniaque scelera tua tibi anteponentur, animam tuam cingent, ut te invadant. *Et coangustabunt te undique. Eo quod non cognoveris tempus visitationis tuæ.*

DOMINICA DECIMA

POST PENTECOSTEN.

Omnis qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur, Lucæ cap. 8.

ARGVMENTVM.

Ostenditur quam stupenda sint portenta sanctæ humilitatis, dum humiles exaltat.

Petrus Servius in Vng. arm f 10. N. 2.

1. Effectus naturæ, & artis sunt adeo miri, ut judicium humanum, eos reputet incredibiles. Quis unquam sibi persuadere possit arenam Nili, quæ semper servatur in eodem pondere decimâ septimâ Junii reddi ponderosiorem? ut affirmant scriptores, in monte Heclo ignis reperitur, qui stuppâ extinguitur; & alius in monte Chimerâ est, qui restinguitur feno. In insula Gimbubona arbor nascitur, cujus folia in terram lapsa à se ipsis vento non agitata moventur, ac si vitam haberent, & si quis ea velit accipere velocius fugiunt. In Malaco quædam viret planta, cujus radices, quæ sunt versus orientem virtuosissimæ sunt contra venenum, illæ vero, quæ sunt versus occidentem sunt pejores aconico, & cicutâ herba Achimeni injecta gladiis hostium iis timorem, & tremorem incutit, eosque dat in fugam. Sic perhibentibus Democrito, & Theophrasto. Æthiopis seram quantumvis fortem aperit. Alia quæ nomen ab effectu habet, ab equis calcata, ac si se vindicare vellet clavos & soleas ferreas iis detrahit. In Atamasia in quodam templo Nymphis dedicato fons scaturit, cujus aquæ sunt frigidissimæ, & tamen lignum, vel aliud combustibile iis injectum comburunt, Leo decimus annulo insertam gemmam habuit, quæ lunâ crescente crescebat, decrescebat. Quis majora portenta naturæ audivit?

Idem ibid. N 4.

Idem N. 11

Idem N 12

Plin. apud Baltha de Vias destru Sanat fol 102. Demo. Theof. Paul. Ares .6 impr. 70. n. 7.

Antigonus Carist c. 163. f. 120

2. Nec opera humana arte inventa minus stupenda sunt. Albertus Magnus formavit caput ligneum, quod instar vivi verba proferebat. Prisci confecerunt Lucernam, quæ mille septingentis annis continuo arsit. Archimedes speculum invenit quod suis radiis in exercitu Romano procul dissito flammas accendebat. Et cœlos, quos Deus fabricavit, esto naturâ non sint incorruptibiles, tamen in mente hominum perpetuantur. O prodigia artis humanam capacitatem excedentia.

Idem ib.

Idem ib. v. 54.

Fortu. licetus de Lucernis.

Pluta. Cicer de Nat. Deo. l. 2. 64.

Sed quid sunt stupores prædicti, si comparentur cum miraculis gratiæ in animâ ab humilitate causatis? partus hujus virtutis omnes alios præcellit. De eo dixit Gregorius: *Est origo virtutum* Sanctus Ambrosius *nihil excellentius humilitate* Divus Bernardus, *virtutum stabile fundamentum.* Eusebius Emissenus, *custos omnium virtutum.* D. Joannes Chrysostomus, *Bona omnia ex humilitate procedunt*, & alibi subdit, *nihil humilitate potentius, petra est fortior, adamante solidior* Emanuel Imperator, *humilitas divinum quidam virtutum terminus, requies, & portus salutis.*

Et sanctus Pater Augustinus ô verè beata humilitas, quæ Deus hominibus peperit, vitam mortalibus edidit, cœlos innovavit, mundum purificavit, paradysum aperuit, hominem ab inferis liberavit.

D Greg. 7. moral. D. Ambr. Luc c. 7. Euseb. Luc c 18 Chrys hom. 39. Hom 21. in Epist. ad Rom. Later Iust. de hom. c. 3. Manuel impe. orat. 7. D. P Aug. serm 2. de assumpt.

Sed

Sed ne abeamus à textu repetendo verba Christi, *qui se humiliat exaltabitur.* Ostendam, quam sint stupenda portenta hujus sanctæ virtutis dum humiles exaltat, uti hodie contigit publicano in Evangelio, de quo scripsit Eusebius Gallicanus: *Se humiliando exaltatus est.* Interim dum ego discurrendo ad infimum humilitatis descendo, vos ad summitatem attentionis ascendite, & incipio.

Eusebius Gallic. in Luc. cap. 18. Ps. 74.

PARS PRIMA.

Qui se humiliat exaltabitur.

3. HAnc parabolam à Salvatore propositam, à Davide diu ante prædictam, dum dixit. *Hunc humiliat, hunc exaltat, credo.* Pharisæus fuit humiliatus, publicanus exaltatus. Hinc Remigius Antisiodorensis: *Hunc videlicet Iudaicum populum se exaltantem, & de se præsumentem, humiliat, & hunc, id est, gentilem populum se humiliantem exaltat; quod notatum est, per publicanum & pharisæum, quia publicanus se humiliavit, & exaltatus est: Pharisæus se extulit, & humiliatus est; quod dicit: hunc humiliat, & hunc exaltat.*

Remigius Antis. in Psalm. 74 in Bibl. vet. PP. Tom. 11. part. 2. fol. 764. col. 1. lit. B.

Sed depressionem superborum linquamus, & exaltationem humilium primo ex testamento prisco, dein ex novo probemus.

4. Deus trinus, & unus Abrahamo in Valle Mambre sole calidissimo circa meridiem quiescenti comparuit. Sanctus Patriarcha surrexit, & maximâ comitate, ut domum suam ingressu dignetur, rogavit: *Domine, si inveni gratiam in oculis tuis, ne transeas servum tuum.* Deus invitationem acceptavit, & affectum Abrahami admisit, qui credens tres personas divinas fuisse tres peregrinos convivium exquisitis ferculis instruxit. Mensæ assident, gustant cibos, & prandio finito ei filium ex Sara uxore in decrepita senectute Deus promittit: *Habebit filium Sara uxor tua.* Et præterea, quod eum facturus sit patrem multarum generationum, & quod propter eum omnes nationes sint benedicendæ pollicetur: *Dixitque Dominus; num celare potero Abraham, quæ gesturus sum? cum futurus sit in gentem magnam, ac robustissimam, benedicendæ sint in illo, omnes nationes terræ.*

Gen. c. 18.

Hic sistit Procopius, causamque cur Deus Abrahamum tot favoribus, & eminentiis dignum judicarit indagat. Et ab eo duos actus humilitatis elicitos observat, primò: *Dum adoravit in terra*, secundò: dum dixit: *Ponam buccellam panis*; sed si dicat Scriptura, *quod tulit vitulum tenerrimum? tulit quoque butirum, & lac, & posuit coram eis*; quomodo ait, *buccellam panis*? respondet Thomas Angelicus: *Buccellam dicit ex humilitate*, & Abulensis: *Per hoc significabat omnes cibos, quos eis daturus erat, sed loquitur humiliter, non jactans res suas, sed solum nominat buccellam panis, humiliando alia, quasi modica sint.*

Thom. Angel. Abulens. ibid. fol. 490 col. 2. lit. K.

Quia ergo Abraham, se factis, & verbis humilem præbuit, adeò exaltari, & honorari à Deo meruit. *Hunc exaltat. Quid facit,* verba sunt Procopii, *nempe Deus, quasi plurimum amaret Abrahamum, quod venerabundus in terram procidisset, seu eo opere gratiam divinam sibi conciliasset tam mira humilitatis ostensionem exspectaret, ut humilem statim amplissimis donis coronaret; nam Deus, aut illius dona non requiescunt nisi super humilem.*

Procop. in cap. 18. Gen.

5. Ab Abrahamo priusquam vobis aliam ejus exaltationem adferam discedere nolo. Et tempus, occasioque, ob quam Deus adeò evexit hunc Patriarcham, ut illum regionum illarum Australium nobilissimum, & ditissimum creare voluerit, observandum est: *Omnem terram, quam conspicis tibi dabo*; descendentes tuos, nunquam fames torquebit, tellus copiosissimè tributum frugum iis pendet, & bona fortunæ ubertim iis affluent, nullus ab eorum obedientiâ exemptus erit, prosapia tua cum pulvere terræ certabit: *Faciamque semen tuum sicut pulverem terræ.* Unde fit, ut Abraham ita evehatur? nonnulla lis inter ipsum, & Loth nepotem ejus, qui tamen multò inferior erat, versabatur; nihilominus Abraham se Lothi nutibus submisit: *Ecce universa terra coram te est, recede à me obsecro, si ad sinistram ieris, ego dexteram tenebo, si tu dexteram elegeris, ego ad sinistram pergam.*

Gen. c. 28.

Itane ait Deus, major cedit, & cedendo minori se submittit? exaltari meretur. En Chrysostomum: *Eximiam prætulisti humilitatem, ut nihil non potius delegeris, quam esse inter vos contentiones, ea propter illas largas à me retributiones accipe, quia omnem terram quam tu vides, tibi dabo, & semini tuo usque in sæculum.*

D. Ioan. Chrysost. hom. 34.

6. Agar se malè haberi à Sara putans
Gen. c.15. fugam capessivit : *Fugam iniit*. Et dum in nemore vagaretur , fontem vicinum adiit , ut labores in itinere passos leniret. Illico ei apparuit Angelus , eamque solari volens, prius ad domum Saræ redeat, seque humiliet, suasit. *Revertere ad domum tuam, & humiliare sub manu illius.*

Sed misera Agar quale commodum ex hac humilitate reportabit? audite. *Multiplicans multiplicabo semen tuum , & non numerabitur præ multitudine.* Humilitas Agar antecedens esse videbatur ex quo consequentia induci poterat , quod Deus ejus stirpem esset aucturus, & in posteris ejus famam perpetuaturus. Audiatur Tertul-
Tertull. lib de Trinitat. lianus: *Agar ancillam Saræ de domo ejectam pariter, & fugatam Angelus convenit, fugæ caussas interrogat, atque accipit , postquam humilitatis consilia porrigit, spem præterea illi nominis facit, quodque ex utero ejus , multum semen esse futurum spondet.* Hoc est lucrum , quod hæc mulier humilitate retulit. En Ferum : *Ad*
Ioa. Ferus Ap. Ioan. Hay. in Gen. c.17. v.11. fol. 897. nu. 105. *promissiones Dei non prius venitur, nisi prius duo priora verba audiamus? nempe revertere, & humiliare Errant igitur, qui priora duo negligunt, & tamen promissiones ex Scripturæ attendunt.* Verbo; qui non amat humilitatem inhabilis est ad exaltationem.

7. Rebecca filia Bathelis, & uxor Isaac duos gemellos utero gerebat. Ut parturiit primogenitus, Esau, & secundus Jacob est nuncupatus. Deus huic fœminæ revelavit Jacobum evehendum, leges laturum, & sibi obedientes habiturum. *Major serviet*
Gen. c.25. *minori.* Hæc dignitas, & exaltatio juxta legem, & consuetudinem Judæorum debebatur Esau; an ergo Deum injustum dicemus? minimè; nam injustitiam non potest committere, qui injustus non est ; dicit namque Deus; *Non enim viæ meæ, viæ vestræ.*
Isa. c.55. Mundus majores , ego minores exalto: ecce Esau *major* serviet, ecce *minor* Jacob instar Domini habebit servos. Fœlix ergo, qui est abjectus, beatus qui est minor, fortunatus, qui est humilis. *Cur interrogat* quidam modernus: *Esau primogenitum Isaaci*
Ioan. de la Hay in c. 25. Gen. v 25. nu. 152. *non constituit, sed ætate minorem? quia Deus minores, & præ aliis infimos extollit, & exaltat; stupenda valdè sunt judicia Dei, ut Israel magis Deo gratus esset, noluit eum primogenitum facere, sed eum extollere ad primogenituram : non solet Dominus alta elevare, sed infima.* *Tract. 2. Arb. vitæ.*

8. Josephus Prorex Ægypti parentem malè haberi audiens , eum priusquam fatis concederet invisere resolvit , & secum duos filios Manassen natu majorem, & Ephraim juniorem, ut ab avo benedictionem reciperent, duxit. Ad domum patris moribundi perveniunt, eum decumbentem visitant , amboque nepotes, sed Ephraim minor ad sinistram , Manasses senior ad dexteram coram avo se prosternunt. Sanctus Senex brachia in modum crucis composuit, & dexterâ minori, sinistrâ majori benedixit : *Qui extendens manum dexteram, posuit super caput Ephraim minoris fratris , sinistram autem super caput Manasse, qui major natus erat , commutans manus.* *Gen. c.48.* Valdè id miratus est Joseph , & errorem ob cæcitatem hoc esse putans , quia *oculi ejus caligabant præ nimiâ senectute* patrem admonuit dicens: *Non ita convenit.* Sed sanctus Patriarcha respondit se non errasse , sed optimè scivisse quid fecerit : *Scio fili mi, scio.* Hæc benedictio est artificiosa, & mysteriosa: ac si diceret, hic qui est natu junior, & stat ad sinistram loco humilitatis , fratribus præferri debet. *Major erit illo & semen ejus crescet in gentes.* Benedictio dexteræ, sinistræ majores felicitates , & exaltationes adfert. *Et constituit Ephraim ante Manasse* Ergo humilitatem & minoritatem Ephraim fuisse medium ad ejus exaltationem constat. Observatio est Odonis Mo-
Odon. Morim in aleg Tilm. Ioan. de la Hay Tom. 3. in Gen. cap. 48. v. 15. nu. 36. rim: *Major est natu Manasses Ephraim, dignior manus ponitur supra Ephraim , minus digna supra Manassen*: Et Auctor supradictus, noster scilicet Joannes de la Hay subjungit: *Hujusmodi manus impositione eum fratri anteponit, cum ei tanquam inferior deberet subesse. Deus enim gaudet ex minoribus, majores facere : sic & nunc Ephraim præ Manasse extollit.*

9. Vates David de adversitatibus, quas Joseph per manus fratrum suorum, & falsæ imputationis impudicitiæ illius fœminæ , quæ eum in carcerem compedibus vinctum conjecit loquens sic dixit: *Humiliaverunt in compedibus pedes ejus.* Quænam *Psal. 104.* est hæc phrasis loquendi ? cur non potius dicit : pedes ejus ferreis vinculis oppressi sunt, vel compedibus pedes ejus strinxerunt

runt? quinimò juxta interpretationem Bellarmini nil aliud vates dicere voluit. *In Ægyptum positus Ioseph, & accusatus falsi criminis ab uxore Domini sui conjectus fuit in carcerem, pedes compedibus ferreis alligatus*; ergo debuit dicere *ligaverunt*, & non *humiliaverunt*. Dicite an non Joseph ad dignitates, purpuras, prælaturas, sceptra, solia, serta evectus fuit? hinc Propheta, ut ejus exaltationem tribueret humilitati benè dixit: *Humiliaverunt in compedibus pedes ejus*. Hinc Lippomanus: *Humiliatur castus adolescens, ut exaltetur, captivatur, ut regnet, patitur ut glorificetur.*

Bellarm. in Psalm. 104. fol. 662. col. 1 num. 17.

Lippomanus.

An non dicetis facem extingui, dum terræ opponitur? sed quis ignorat eam tunc magis vigorari? *Vires inclinata resumo.* Poëta ille canens hoc symbolum declaravit:

It quando mas, obscura nos pacce,
Entonces cobra fuerca ii resplendece.

quod sic Latinè reddo: *dum nobis extingui videtur, vires resumit, & magis relucet.*

Ioan. de Horozco lib. 2 Emble. 2 fol. 3

10. Quæ hucusque dixi prodigia minus stupenda sunt, & exaltationes maximè ordinariæ, quas gratia per humilitatem producere possit. Humilitas suas usque ad sublimitatem divinitatis evehit, & id efficit, ut vel Deus se deprimat, donec æquetur humilibus, vel humilis elevetur. Donec fiat similis Deo.

Dum Jacob in campo circa Mesopotamiam ad domum patris rediens cubaret, Deus in forma Angeli (ita asserentibus plurimis sacris Scriptoribus Justino Martyre, Tertulliano, Eusebio, Cyrillo, Theodoreto, & aliis) comparuit, eumque excitando ad certamen provocavit: *Et ecce vir luctabatur cum eo usque mane*, quid cogitat Deus dum certamen cum Jacob init? ubi est respectus majestatis divinæ? rex ille, qui duellum cum persona vili iniret, dignitati regali maximè injurius esset. Et tamen Deus hunc punctum honoris non attendit. *Iacob*, verba sunt divi Ambrosii, *mansit, & luctatus est cum Deo.* Sacri Scriptores plures causas hujus pugnæ adferunt. *Ecce vir*, scribit noster Paez: *id est, luctabatur cum eo, vel eodem pulvere respersus est cum eo. Pulvis enim, & caro in hac materia idem sunt; voluit itaque Deus, eum hominem, quem beneficiis non potuit devincere & superare, ut ad Deum confugeret, voluit jaculis immissis, tandem ad se attrahere, suumque reddere.* Cyrillus: *Homo luctans contra Iacob est unigenitum Dei verbum, quomodo futurum esset suo tempore in specie nostra, præmonstrans sanctis Patribus.*

Iustin. mart. tert. Euseb. Cyrill. Theod. D. Ambr. l. 2. de Iacob cap. 7. Cyrill. l. 9. contra Iul. Paez in Cant. Moysi. text. 3. annot. 1.

Cyrill. ubi supra.

Omnium opiniones hic linquere volo, & solius Gregorii Nazianzeni sensum affero. Qui major est statura, dum pugnat cum minore, prius se inclinat, & æquare se adversario studet. Brachiis se complectuntur, pectora jungunt, humeros componunt, nullus cedit, viribus certant, & victoriam ambiunt; hinc Deus cum Jacobo duellare voluit nescio an dicam, ut statura, & viribus se ei æquaret, vel ut se Jacobo redderet minorem, & ille Deo superior evaderet. Hinc D. Joannes Chrysostomus: *Magnâ Domini misericordiâ, totum hoc factum est, ut se illius humilitati obtemperaret.* Et Gregorius Nazianzenus: *Hæc Iacobi cum Deo colluctatio, quæcunque illa erat, ut ego ipse opinor, humani moduli cum divina sublimitate comparatio, & contentio est.*

Chrysost.

D. Greg. Naz. orat. de S. Basilio.

Omnia verba hujus sancti, imò mira inaudita, à virtute humilitatis sanctæ causata? *Humani moduli cum divina humilitate comparatio.* An plus dici potest? humilis est bilanx, hæc quo ab una parte imius deprimitur, eò ab altera magis attollitur. Aqua, quæ descendit majori impetu, & vigore ascendit. Hinc Juvenalis:

Ex humili magna ad fastigia rerum
Extollit.

Iuvenalis apud Psal. 130.

Verba Davidis dum ad Deum conversus dixit: *Domine non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei*, ponderare volo. Dicere voluit, adeò exhorrui superbiam, ut semper oculos, & cor humilitate mortificaverim.

Hinc Bellarminus: *David autem neque cor altum, neque elatos oculos gerebat, sed erat humilis corde, & eam humilitatem oculis præferebat.*

Cardin. Bellarm. ibid. fol. 809. col. 1.

Sed cur tot humiliationes, cum sis Rex, & majestas, eminentiaque foveri debeat? Remigius Antisiodorensis in persona Davidis respondet: *Vt conservarem humilitatem meam.* Tantine facis humilitatem? edic; quid illâ prætendis, vel expectas? audite; certus sum animam meam sublimandam:

Remig. Antisiod. ibid.

Sed exaltavi animam meam. O insigne stratagema oculos deprimere, cor flectere, ut anima exaltetur: *Cordis oculorumque depressio via erat ad exaltationem animæ: quo magis minuit se David, & corde respuit mundi magnalia, eò clariorem exaltationem, & magnitudinem acquirit anima. Excelsus eris apud Deum, ubi submissus fueris, dum te dimiseris usque ad ima, cælorum excelsa pertinges.*

Didac. Ponf. tom. 3. l. 14. c. 12.

12. Sed tempus est, ut è portentis testamenti veteris ad stupores novi transeamus. Præcursor Joannes Baptista qualitates, & conditiones filii Dei recensens sic dixit; *Ipse est, qui post me venturus est, qui ante me factus est, cujus ego non sum dignus, ut solvam ejus corrigiam calceamenti.* Adeò eum eminentem sanctitate, & merito sciatis ut hæc manus non sit digna, quæ ejus soleas tangat. Divus Marcus vero postea adventum Christi, & Joannis annuntians dixit: *Et factum est in diebus illis, venit IESVS à Nazareth Galileæ & baptizatus est à Ioanne in Iordano* Quæso vos, qualiter Evangelista hujus, & illius adventum referat, audite. Eodem momento, quo Joannes digitos suos tactu pedum Salvatoris indignos fatetur, illico Jesus venit: *In diebus illis venit IESVS;* & curaut manum, quæ se humiliavit ad imitatem pedum supra caput divinum exaltaret: *Et baptizatus est à Ioanne.* Totum id agi oportuit ut vaticinium Evangelii: *Qui se humiliat exaltabitur,* adimpleretur. Id notavit divus Joannes Chrysostomus: *Ioannes dixit non sum dignus solvere corrigiam calceamentorum ejus: & ideo amicus quoque fuit sponsi: & manum quam esse calcea mentorum dixit indignam hanc super caput suum Christus attraxit, quando ad baptismum Ioannis verticem inclinavit.* Verum namque est, quod dixit divus Bernardus: *Humiliatus ab imis ad alta levat.*

D. Ioan. cap. 1.

D. Marc. cap. 1.

D. Ioan. Chrysost. hom. 38. ad pop.

D. Bern.

13. Divus Petrus bonam prædam piscium ceperat, & ad littus veniens Christum Redemptorem vidit, ad quem conversus sic exclamavit. *Exi à me Domine, quia homo peccator sum:* ac si diceret, ô mi Deus tot, & tam enormia mea peccata esse agnosco, ut me indignum, qui tua fruar præsentia, tuisque favoribus afficiar, confitear. O magnam humilitatem hujus peccatoris? nonnulli Authores Petrum tunc ad Apostolatum evectum asserunt. *Petro dicente humiliter Christo exi à me quia peccator sum ergo, ex hoc officium Apostolatus ipsi Dominus benigne commisit.* Imò divus Chrysostomus asserit Christum, dum vidit Petrum sibi adgeniculatum, atque dicentem: *Exi à me quia peccator sum,* & se submittentem, verbaque humilitatis proferentem eum aliis prætulisse, ac omnibus hominibus totius mundi præposuisse, & principem, atque magnum Pontificem Ecclesiæ creasse. *Sic etiam Petrus ait, exi à me Domine, quia homo peccator sum, & propterea factus est Ecclesiæ fundamentum. Nihil enim sic est amicum Deo, quam si quis se minimis annumeret; hoc est enim caput totius Philosophiæ atque fastigium.*

D. Luc. c. 5

Ampigellius in sua Bibl. aurea cap. 59

D. Ioan. Chrysost. hom. 3 in Matth ap. nova in umbra Virgin. nu. 1566.

14. Auditores eminentias Beatissimæ Virginis à quanam virtute ortum duxisse creditis? cur tot portenta stupenda in Maria est operatus Deus, ut illum præ omnibus creaturis, magis sanctam eligeret, supra choros Angelicos sublimaret, & ad maternitatem Dei, quæ est maxima dignitas reperiri potens exaltaret? ego ob humilitatem profundam tot insignes prærogativas à Deo ipsi communicatas credo? Et quidem Spiritus Sanctus illo passu Canticorum, *capilli tui sicut greges caprarum quæ ascenderunt de monte Galaad.* Difficili, & obscuro, sed mysteriis gravido concentu hoc voluisse persuadere mihi videtur. Quomodo verificentur, *ascenderunt, & de monte*? dicere potius debebat: *Ascenderunt ad montem, vel descenderunt de monte* Richardus à sancto Laurentio hanc Scripturam de Maria explicat. Capilli ejus sunt cogitationes humiles, & conceptus, quibus de se ipsa humiliter sentiebat, ideo Angelo respondit: *Ecce ancilla Domini Capilli isti sunt cogitationes humiles, quæ de corde veluti de capite oriuntur, & ascenderunt de monte Galaad; id est, de sublimitate perfectionis suæ.* Illa ergo dum ad imum humilitatis descenderet, se servam abjectam Domini reputans, descendit Deus, & ad maximas eminentias dignitatum cæli, & terræ eam evexit. *Bene autem,* prosequitur Richardus: *Ascenderunt, licet descenderunt, quia hujus descensus in oculis suis, ante oculos Domini erat quidam magnus ascensus.*

Cant. c. 4.

Richard à S. Laurentio li 4. de laudib. Virgin.

Hinc bene quadrat, quod Marsilius scribit: *Inter omnes homines post Christum Maria fuit humillima, quia nunquam super omnes cæli-*

Marsil. 3. Sent qu. 5. art. 3.

cælicolas ascendisset, nisi mentis humilitate prius sub omnibus descendisset, eò quod vis ad ascensum sit humilitas.

S. Brigit. l. 2. revel. cap. 23.

Ipsamet Beata Virgo sanctæ Brigittæ hoc revelavit. *Vt quid enim ego me tantum humiliabam, aut unde promerui tantam gratiam, nisi quia cogitavi, & scivi me nihil à me esse, aut habere?* Et divus Bernardus has eminentias Mariæ per humilitatem obtentas attendens exclamavit: *O verè cælestis planta, pretiosior cunctis, sanctior universis! O verè lignum vitæ, quod solum fuit dignum portare salutis fructum! O Virgo virga sublimis, quam in sublime verticem sanctum erigis, usque ad sedentem in throno, usque ad Dominum majestatis, neque enim id mirum, quoniam in altum mittis radices humilitatis.*

D Bern. ap la tom. 2. de humi prop 3.

15. Nos non posse ad abyssum humilitatis Virginis pervenire, & consequenter non esse possibile, quod ad ejus eminentias attingamus, scio. Nihilominus illas humiliationes omittere non debemus (suppositâ divinâ gratiâ) quas vires nostræ ferre possunt, quia ad minus Deus illâ gloriâ nos donabit, quàm alias non obtineremus, si actus contrarios humilitati eliceremus. Audite Scripturam. Apostoli hanc virtutem conculcarunt, dum quilibet prælaturam ambiret, & nullus subesse vellet: *Facta est contentio inter eos, quis eorum videretur esse major.* Dominus occasionem discursum instituendi sumpsit, quo iis non præesse, sed subesse suaderet: *Qui major est in vobis, fiat sicut junior, & qui præcessor est, sicut ministrator.* Finito discursu de humilitate, illico subjunxit: *Ego dispono vobis regnum, ut edatis, & bibatis super mensam meam in regno meo, & sedeatis super thronos judicantes duodecim tribus Israel.* Deus immortalis quæ connectio hæc est, subjectionis cum prælatione, virtutum cum solio, humilitatis cum gloria, vilitatis cum regno? dicere voluit, quod quò minores fuerint in terra, eò majores futuros in cælo. Ad hoc propositum credo dixisse Isaac presbyterum: *Vilipende te ipsum, & videbis gloriam Dei in temetipso, nam ubicunque humilitas nascitur, ibi gloria oritur Dei; quod si habes humilitatem in corde tuo, ostendit tibi Deus gloriam in corde tuo*

D Lucas cap 22.

S. Isaac ac presb lib. de contemptu mundi cap. 12.

16. Poëta, & Propheta David in spiritu prævidens triumphum, quo filius Dei post sacrosanctam resurrectionem astra petiturus erat, hunc Psalmum in ejus laudem composuit: *Domini est terra, &c.* Sic affirmant SS. Cyprianus, Hieronymus, Gregorius Nyssenus, Augustinus, Leo, & alii. Et specialiter Vates adventum Christi ad portas cælestes describit, & more Poëtarum prosopopejam adhibens Christum quasi alloqueretur Angelos portarum custodiæ deputatos introducit: Angeli has januas pandite, quia intrare volo: *Attollite portas principes vestras.* *Quis es tu* replicant Angeli, ut adeò imperiosè mandes? an non ex his splendoribus me cognoscitis? sum Rex gloriæ, moras ergo non nectite, sed subitò aperite: *Elevamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ.* Sed, *quis est iste Rex gloriæ?* nos nullum regem, nisi nostrum Deum agnoscimus. An forsan rumor mearum victoriarum, & fama, triumphorum ad has portas non pervolavit? ego ille sum, qui pro homine certans hostes stigios devici, copias peccatorum prostravi, & mortem valore hujus dexteræ subjugavi. Sum dux generalis exercitus, & in aula paradisi ovaturus venio. Sum ille, qui vires dæmonis debilitavi, & eum in abyssum relegavi. Ne ergo cunctemini: *Attollite portas*: Angeli necdum consentiunt, sed iterum quærunt; quis est iste bellator Angelis incognitus, qui tot hæroica gesta patravit, ut portas ei reserandas necdum judicent? *Quis est iste Rex gloriæ*, imò obstupescunt, ait Bellarminus: *Quod corpus terrenum supra corpus cæleste, & caro humana supra ipsos Angelicos spiritus cum incredibili totius naturæ admiratione, & quasi stupore conscendat.*

Psalm. 23. S. Cyprian. serm. de Ascens. Hieron. epist. 142. ad Dam. Ruff in exposit. symb. Greg. Nyssen Chrysost augu. Leo serm. de Ascens. Remig. Antis. Bellarm. in Psalm.

Bellarm. in Psal 24 v. 10 fol. 109. col 1.

Facite finem, ait Christus, Domino virtutum aperite. *Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ.* Dominus virtutum? Regina virtutum est humilitas. Ergo Rex est humilitatis, non amplius cunctemur; Et en illico portas apertas. Hinc Gregorius Nyssenus: *Scala cæli secura, clavisque vera paradisi est humilitas Regina omnium virtutum.* Illæ gloriæ, quæ ipsi fuerunt negatæ tanquam grandi, concessæ fuerunt ut humili.

Gregor. Nyssen. Serm. de Assumpt. Dom.

17. Sed video, quod humilitas Christum ad sublimiora evehat. David in Psalmis de excellentiis hominis, & specialiter Christi loquens, sic ait: *Minuisti eum paulò minùs ab Angelis.* Hinc Remigius: *Quia mortalem fecisti, quia passibilem: ideò paulò minùs,* quia

Psalm. 8. Remigius Antis in Psalm. 8.

quia non necessitate mortalis, vel passibilis fuit, ut cæteri hominum, qui longè inferiores sunt Angelis, sed propria voluntate. Sufficit quod sit inferior. Sed sanctus Paulus ad Hebræos scribens directè contrarium asserit: *Tanto melior Angelis effectus, quantò differentiùs præ illis nomen hæreditavit.* Quod sine comparatione sit superior Angelis, quoad humanitatem asserit, ergo Davidi contradicit. Cui ergo, an Davidi, an Paulo fidem adhibeamus? utrique; *Nec enim non melior, quia minor, nec contraria sunt locuti Apostolus, & Propheta.* Ac si apertè inferre voluisset eminentiam, quâ Christus superavit Angelos, ab humilitate provenisse: *Minuisti eum paulò minùs ab Angelis.* Ex hoc concludit sanctus Paulus: *Tantò melior Angelis effectus, quantò differentiùs præ illis nomen hæreditavit.* Divo Bernardo accinit sanctus Pater Augustinus: *Rectè dicitur minuisti eum paulò minùs ab Angelis, sed additur illa clarificatio, quâ resurgens ascendit in cœlum; gloriâ inquit, & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum. Quandoquidem, & Angeli sunt opera manuum Dei: etiam supra Angelos constitutum accipimus unigenitum filium, quem minutum paulò minùs ab Angelis per humilitatem carnalis generationis, atque passionis audimus, & credimus.*

Ad Hebr. 1

D. Bern. serm 73. in Cant.

D. P. Augustin in Psalm 8. fol. 18. col. 1. lit. H.

Et sanctus Bernardus pro divo Paulo infert: *Quanquam nec Apostolus tacuit hoc magnum pietatis arcanum, sed ait: eum qui modico, quam Angeli minoratus est, videmus gloriâ, & honore coronatum.*

D. Bern. ubi supra.

18. Sed quod humilitas, Deum quatenus hominem adeò sublimarit non miror, quia humanitas capax fuit. Sed quid dicetis, si id de Deo, quatenus Deo probem? nec dicatis eminentias ejus fuisse infinitas, adeoque non potuisse augeri, quia omnem regulam pati exceptionem, contrariumque ostendi experientiâ respondebo si Scripturæ credamus. Plangens Magdalena unguenta pretiosa cadaveri Salvatoris inungendo conferens ad sepulchrum perrexit; sed duos Angelos vestimentis albis amictos, quorum unus ad pedes, alter ad caput assedit, invenit. *Vidit duos Angelos in albis sedentes, unum ad caput, & unum ad pedes, ubi positum fuerat corpus IESV.* Hi eam desolatam, & lachrimantem conspicientes caussam hujus luctus interrogarunt. *Mulier quid ploras?* Illa respondet, quia contra spem cadaver sui Redemptoris non invenit, nec sibi constat, quo illud ab iis, qui illud surripuerunt sit collocatum: *Tulerunt Dominum meum, & nescio ubi posuerunt eum.* Et dum ita discurrit cum Angelis, oculis retrospicit, & resuscitatum magistrum sibi ignotum videt: *Conversa est retrorsum, & vidit Iesum stantem, & nesciebat quia Iesus est.* Sed si hæc fæmina, oculis intuebatur Angelos quomodo Dominum à tergo constitutum videre potuit? experientia hic nil verisimilitudinis adesse mihi suadet. Os aureum citatum à divo Thoma ait, Magdalenam vidisse, quod Angeli se moverent, & surgerent, & in genua procubuisse ut Christum adorarent. Hinc retrospexit ut videret, quem venerarentur. *Et vidit Iesum stantem. Mulier, quæ loquebatur cum Angelis, quare non exspectabat eorum responsum de hoc quod dixit, sed retrorsum convertitur? dicendum, quod Christus advenit, cui Angeli reverentiam exhibentes, assurrexerunt, quod videns mulier admirans respexit retro, ut sciret ad quid assurrexissent.* Hic sistere, & à vobis interrogare cogor. An non Angeli Deum semper vident clarè, & intuitive? cur ergo ad conspectum Christi genua flectunt? nonne est idem Deus? quare ergo exuviis mortalibus amictum conspicientes, tam profundè inclinantur? forsitanne dignior erat? dicerem, quod sic, quia Deus erat, qui se ad vilitates nostræ humanitatis depresserat. *Porro dũ Angeli ad sepulchrum sederent, Deum claro intuitu videbant, & tamen sedebant, & cumprimum Iesum accedentem vident, statim assurgunt, & figura, & motu corporis novam animi reverentiam notantes: cur hoc? an humilitas Salvatoris, & vilitas nostræ carnis Deum venerabiliorem, & gloriosiorem reddebant Angelis? ita planè.*

D. Ioan. cap. 20.

D. Ioan. Chryso. in Caten. D. Thom in cap. 20. Ioan lect. 3. l. c fol. 104. col. 1.

Didac. Pont tom. 1. in Evang. l. 5. c. 2.

19. Sed quænam sublimitas in nos redundabit, si hanc sanctam virtutem amemus, cum dicat Ambrosius: *Accipe argutis auribus, si putas, quod Christo profuit humilitas sua, cui ergo non proderit? si illum exaltavit, quem non augebit?* Scio sanctum Patrem Augustinum dicere: *Humilitas homines sanctis Angelis similes facit.* Sanctus Gregorius humilem magis exaltat, eumque Deo æquat:

D. Ambr. serm. 10. Psalm. 118

D. P. Augustin.

D. Gregor.

Deum non nisi humiles contemplari possunt, qui dum se dejiciunt, ad Dei similitudinem ascendunt.

Hæc doctrina cum Pontificia sit meo calculo hanc propositionem sufficienter authentizaret, sed ego Scriptura eam corroborare volo. Dum Christus supremo judicii die reprobos damnaturus, justosque præmiaturus aderit ad damnatos se vertens iis crudelitatem erga pauperes exprobrabit, & dicet: *Quod uni ex minimis fratribus meis fecistis, mihi fecistis.* Hæc verba prima fronte implicantiam, & contradictionem præ se ferre videntur; quomodo stet simul eos esse minimos, & fratres Christi? quomodo eminentia vilitati, infimitas supremitati componatur? hinc os aureum admirans ipsum Deum interrogat. *Quid ais? si fratres tui sunt, quomodo minimos eos appellas?* Idcirco respondeo eos esse fratres, & idem cum Deo, quia minimi sunt: *Iam verò ideo fratres, quia humiles, quia abjecti.* Qui tantum est humilis se similem, & fratrem Dei vocare potest. Et Pachasius Ratbertus: *Minimos quoslibet eorum ideo vocat, vel quia in mundo minimi sunt æstimati, vel quia apud semetipsos minimos judicaverunt, eo quod essent in oculis suis humiles, ut apud Deum invenirentur magni, si sequerentur eum, qui dixit. Discite à me quia mitis sum, & humilis corde.* Notetur particula, *ut apud Deum invenirentur magni.* Non dicit apud homines esto hoc sufficeret, sed apud Deum. Lux ut soli sit vicina, nec lumen perdat, sed illud augeatur valdè intensa esse debet. Et quomodo non sit magnus humilis, si ejus sublimitas coram Deo non remittatur, sed augeatur? *Vt apud Deum inveniantur magni* Meo judicio humilis non potest magis exaltari, nec humilitas prodigia majora causare. *Qui se humiliat exaltabitur.* Hinc concludente Eusebio Gallicano publicanus, qui adeò se humiliavit, *dum nolebat oculos ad cælum levare, sed percutiebat pectus suum dicens; Deus propitius esto mihi peccatori, se humiliando exaltatus est.*

Et quiesco.

D. Matth. cap. 25.

D. Ioan. Chrysost. in cap. 25. D. Matth

Paschas. Ratbert in cap 25. D. Matth in Bibl vet. Patrum. Tom 9. p. 2.

Euseb. Gallic.

ALTERA PARS.

20. DEus, ut imitemur publicanum humilem, non Pharisæum superbum vult. Doctor Angelicus super illa verba à Deo homini dicta: *Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, ut sint vobis in escam.* Et dum postea subjungit, *& cunctis animantibus terræ* hominibus & bestiis eadem fuisse pascua concludit. An non homines multò nobiliores sunt bestiis? ergo Deus homini alia pascua, & fercula delicatiora concedere debuit. Caussam idem Author addit: *Ratio quare voluit Deus ut homo, & animalia cibos haberent communes, fuit, quia voluit ei dare occasionem suæ humiliationis, ne nimis superbiret, & de consideratione suæ prælationis, & dignitatis.* Et ne superbiendi ansam haberet ob nobilitatem, Cajetanus animalibus è terra formatis, hominem è luto conditum observat: *Patet differentia inter materiam animalium, & materiam hominis, quia ista de terra, homo autem de pulvere terræ.* Contrarium fieri debuit, ut illa è fece terrena, hic è terra magis nobili formaretur. Minimè: sed fiat è limo terræ; quia si quandoque voluerit superbire ex consideratione vilis materiæ, qua est formatus ansam habeat, se humiliandi. *Quasi diceret, ô homo, noli superbire, cum principium ex quo formatus sis, abjectius sit principio formationis animalium.* Superbia facillimè gignitur, sed difficulter extinguitur, & dum se munit, & in arce virtutum, & meritorum sua labara famosorum titulorum explicat, invicta redditur. *Superbiam quæsitam meritis.*

Gen. c. 2.

Thomas Angelicus cap. 1 Gen. v. 33.

Gen. c. 2. Cajetanus.

Ioan Hay. in Gen c. 2 v. 20 nu. 393.

21. Sed si hominem voluit deprimere, cur eum adeò exaltat? quare ei imaginem, & similitudinem divinam indidit, cum eum ad superbiam pronum, facillimèque à vento superbiæ commovendum, vidit? verùm est, ait Oleaster, sed ut eum in humilitate contineret, *de terra,* imò luto, quod est fex terræ illum composuit: *Fecit enim te è pulvere terræ, suique imaginem dedit, ut si quando Dei imago te inaniter extolleret, pulvis reprimeret,* humilitas electuarium contra venenum superbiæ est. Creaturis productis Deum quamlibet ut bonam ap-

Oleast in ca 2 Gen. fol. 65. col. 2 ad eru. adnot.

probasse est observandum. Idcirco dixit Moyses: *Vidit Deus, quod esset bonum, &c.* Sed homini producto non dedit istum honorem, sed tantum dixit: *Formavit Deus hominem de limo terræ.* Sed si homo sit omnium creaturarum nobilissimus, & in suo genere perfectus debebat Moyses eum laudando, & celebrando dicere. Vidit Deus hominem quod esset bonus. Hinc quidam modernus admirandi ansam sumpsit: *Si homo ita perfectus est, cur eum alia creatura ut ex divino opificio, nova, recenterque procedebant statim à Deo laudabantur: solus homo ex sui artificis manibus abiit illaudatus? ideo Deus eum non laudavit, ut omnem ei adimeret superbiendi occasionem.*

Ioan Haye Gen cap. 5 v. 4. num. 248.

Et respondit. *Ideo Deus eum non laudavit, ut omnem ei adimeret superbiendi occasionem.* Verbo; Deus, qui tantus est hostis superbiæ, nullum intermisit medium, quo persuadere posset homini humilitatem. *Hâc sublatâ*, ait Chrysostomus, *omnia bona, facilè subruuntur, & in malum finem convertuntur, sive jejunium, sive orationem, sive eleemosynam, sive continentiam, sive quid aliud boni congregaveris, absque humilitate defluit, & omnia pereunt.*

D Ioan. Chrysost. hom. ex variis in Matth. locis.

Et loquitur ad propositum Publicani, & Pharisæi: *Quod, & Pharisæo factum fuit, postquam pervenit ad ipsum verticem, omnibus amissis descendit, quoniam bonorum matrem non habebat*: velut vapor, quo altius ascendit eò magis ad præcipitium tendit.

22. Et si humilitas est origo virtutum quomodo non possim dicere, quod superbia sit origo malorum? & sicut humiles exaltantur, sic superbi deprimuntur; idcirco Publ. solebat dicere: *Cito ignominia, fit superbi gloria.* Et Seneca: *Fœlix se erigendo, fœlicitatem amittit.* Et alibi id confirmat: quidquid in altum fortuna, tulit, victura levat, & sanctus Bernardus: *Superbia de superis ad ima præcipitat.*

Publ. Senec. idem in aga. D. Bern.

Rex David loquens de hominibus, qui vento superbiæ inflantur dicebat: *Dejecisti eos dum allevarentur, quomodo facti sunt in desolationem, subitò defecerunt propter iniquitatem suam.* Ut agnoscant in qualia præcipitia eos deturbarit superbia, illos in abyssum miseriarum præcipites egit: *Id est*, interpretatur Cardinalis Bellarminus, *dum extollerentur ad honores, & dignitates, per eas dejecti sunt in præcipitium mortis æternæ justo judicio tuo.*

Psal. 72.

Bellarm. in Psalm. 72. nu. 13.

Sanctus Pater Augustinus modum loquendi Prophetæ ponderat; & observat, quod dicat eos dejici, nondum sunt elevati, sed dum elevantur: *Non dixit dejecisti eos, quia elevati sunt, non quasi postea quam elevati sunt dejecisti eos, sed eo ipso, quod elevati sunt, dejecti sunt. Si enim efferri iam cadere est, dejecisti eos dum extollerentur. Defecerunt verè quomodo fumus, qui dum extollitur deficit.* O malam superbiam, quæ tuos evehis, ut in abyssum præcipites! es monstrum perditionis, quæ dum prætendisti verticem gloriæ, nunc in imo inferni delitescis.

S. P. Augustin in Psalm 62. fol. 263. lit. G.

23. Successum Luciferi, dum superior esse Deo voluit, superbia inflatus dicens: *Super solium Dei exaltabo solium meum.* Audite. Filius Dei hunc casum Discipulis sub metaphora fulguris narrat: *Videbam Sathanam sicut fulgur de cælo cadentem.* Dum Lucifero cogitatio superbiæ incidit, illico velut fulgur è cælo cecidit. Auditores sæpius in diebus solemnitatum, & lætitiæ quosdam radios pulveris formatos videritis. Ut ignis iis applicatus fuit magno impetu in aëra feruntur. Micant, & lucent sicut stellæ, venustatem, & applausum intuentibus ingerunt, eos judicares pulchriores stellis. Acsi imitatem terræ in vili haberent, ad arcem sphærarum sublimiorum tanquam triumphaturi volant. Sed quid. Defectu materiæ combustibilis extinguitur flamma, robur debilitatur, impetus deficit, & pars superior dum se invertit, radii extinguuntur, & præcipites in terram ruunt, accurrunt pueri curiosi, & non nisi chartam nigram, fumigatam, & putridam reperiunt. Casus Luciferi, nec hilo à fulgure differt. *Videbam Sathanam sicut fulgur de cælo cadentem.* Præcipitem de supernis ad ima lapsum: Lucifer in suis exaltationibus præcipitia invenit, & dum voluit ascendere, in profundum abyssi deturbatus est. Hæc fuerunt lucra superbiæ: *Sicut fulgur*, ait Jansenius, *cadit è cælo. Visus est autem Dominus fulguris exemplo, ut significaret velocitatem lapsus ipsius* quod-

Isa c. 14.

D. Luc. cap. 10.

Beda D. Thom in cat. super D. Luc. cap 10.

Iansen.

com in conc Ev. c.80 f. 209.col. 2.l.c. *quodque à summa celsitudine subito sit ejectus, ut ferè evanuerit.* De Lucifero verificatur illud dictum poëtæ.

Hieron. Fenta.l 2. ode.5.

Cade ben si chi pertinace estolle
Di gonfia vanita caduche piume
E dentro; fasti suoi superbo, e folle
A Dio paragonar si ancor presume.

24. O Christiane, dum ergo vides à superbia te deprimi, cur te non humilias cum publicano? audi meum Archi Episcopum Valentinum: *Non est alia via ascendendi, nisi descendendo. Descendam coram te, & ascendes coram Deo: Esto parvus in oculis tuis, & eris magnus in oculis Dei, quia verè, qui descendit, ipse est qui ascendit, & è contrario, qui ascendit, ipse est; qui descendit. Quo majorem te reputas, minor es, & quo minorem te facis major haberis. Disce homo humiliari, ut exalteris, disce contemni, ut sublimeris.* *B.Thom.à Vill.conc.1 de As. Dom f.207. col.1.* *D. Matth. cap.11.*

O stultitiam Christianorum, volumus esse discipuli Christi, qui docet humilitatem: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde*, & tamen in nobis vestigium hujus sanctæ virtutis inveniri nolumus. Militamus sub vexillo sanctæ humilitatis, & Lucifero superbiores sumus: *Quid delirius?* exclamat idem Archi-Episcopus, *quid insanius, quam sub humilitatis vexillo superbiam profiteri?* quam facilis est descensus, tam difficilis est ascensus; nihilominus homines infelices spernentes viam facilem humilitatis, vias difficiles superbiæ eligunt. En Bernardum: *Cum enim descendere facillimum sit, ascendere difficillimum, homines miserandi facilem viam contemnentes, asperam, & difficilem elegerunt.* *B Thom à Vill ubi supra.* *D.Bern in conc Ascen Dom.ubi supra col. 2*

Ad minus Pharisæi, & Publicani finem ante oculos vobis ponere deberetis; Pharisæi veluti superbii jejunia, & eleëmosinæ non fuerunt acceptatæ, sed hujus suspiria, & accusationes propriæ gratæ fuerunt: *Deus propitius esto mihi peccatori.* Hinc obtinuit justificationem, & veniam, *Descendit hic justificatus in domum suam.* Humilitatem amate, & superbiam contemnite. De hac dixit quidam doctus: Crescente superbia demersit fortuna. *Nicol. Reusn. Class 2. sym.4.*

— A cader và chi senza legge, ô freno
A somma altezza ambitioso aspira.





DOMINICA VNDECIMA
POST PENTECOSTEN.

Dum transiret Dominus per medios fines Tyri, surdos fecit audire, & mutos loqui. D. Marc. cap. 7.

ARGVMENTVM.

Ostenditur quam utilis sit gratitudo.

1. BEneficia ut inter homines totaliter perfecta sint, juxta Philosophos duæ conditiones requiruntur: una ex parte benefacientis, altera ex parte recipientis.

Seneca lib. 3 de be. c. 10.

Audite Senecam: *Hæc beneficii inter duos lex est, alter statim oblivisci debet dati, alter accepti nunquam.*

Demo or. pro Ctesip. p 423.

Et Demosthenes dicit: *Hæc mea sententia est, eum qui beneficium acceperit, omni tempore beneficium memoria tenere oportere existimo; eum vero, qui dederit, de memoria statim deponere.*

Sen lib. 1. de benef c. 1.

Qui benefacit nullam nec factorum, nec verborum remunerationem exspectare debet.

Idem lib. 4 be c. 14.

Demus consulit Seneca *beneficia; non fœneremus, dignus est decipi, qui de recipiendo cogitavit, cum daret*; & subdidit. *Non est beneficium, quod in quæstum mittitur, hoc dabo, hoc recipiam, qui beneficium ut reciperet dedit, non dedit*

Lac. de de vero vultu lib. 6 c. 12.

Idem confirmat Lactantius: *Tenendum est omni modo, ut ab officio misericordiæ spes recipiendi absit omnino* Idcirco solebat dicere Chilo:

Chilo ap. Auson in sent Laert c. 4

Tu bene, si quid facias, non meminisse fas est,
Quæ benefacta accipias perpetuo memento.

Nec immerito, quia gratiæ non sunt venales, nec beneficia mercenaria, sed quia manu benignâ favores recipit, aliquo actu gratitudinis correspondere debet.

D. Amb l. 1 offic c. 31.

Vnde verba sunt Divi Patris Ambrosii *imitanda nobis est in hoc quoque natura terrarum, quæ susceptum semen multiplicatiori solent numero reddere, quàm acceperit.*

Salviaum 4. controv avar. p. 251.

Et Salvianus; *Natura ipsa hominum, consuetudoque communis, hac quasi generali cunctos lege constringit, ut à quibus aliquid liberalitatis accepimus, plus eis gratiæ debeamus.*

Seneca 4. ben. c 16. & c. 17.

Nil è sensu Senecæ æquius, nil laudabilius, quàm benefactoribus se gratos exhibere. *Quid tam laudabile, quid tam æqualiter in omnium animos receptum, quàm referre bene meritis gratiam?* utraque conditio à Divo Luca in Evangelio exhibetur. Christus *surdos fecit audire & mutos loqui*, & tamen *præcipit illis ne cui dicerent*: sed ii suæ obligationis conscii: *Quanto eis præcipiebat, tanto magis plus prædicabant* Quilibet, quid gratitudo exigeret cognoscebat.

Iansen. comm. in conc Evang c 61 in c 7. D. Marci p. 3. f. 21. column. 2.

Hinc Jansenius: *ut est hominis verè beneficii non exigere laudem, aut gratiam aliquam pro beneficio* (Et hoc Christus fecit) *Ita grati est hominis hoc impensis referre gratiam*; & hoc prodigio præsentes practicarunt. *Itaque passim de IESV isti prædicabant dicentes. Benè omnia fecit, quod certe elogium in solum Deum competit; nemo est enim mortalium, qui omnia benefaciat* Ut ergo has turbas imitemur ego hoc mane ad actus gratitudinis benefactoribus rependendos vos stimulabo. Pro captatione ergo benevolentiæ non alios terminos adhibebo, quàm utilitatem materiæ vobis proponendo Hoc ad impetrandam vestram attentionem, sufficiens vobis spero, & ut omni efficaciâ mihi faveatis rogo, & incipio.

PARS

PARS PRIMA.

Bene omnia fecit, surdos fecit audire, & mutos loqui.

2. Lingua, & aures, loquela & auditus adeo sibi correspondent, ut fidelitatem mutuam, & fœdus arctum in bono, vel malo, quod casu vel infortunio iis accidere posset, jurejurando inter se iniisse videantur, & quod unum sine altero homini servire nolit juramento ab iis stabilitum dixeris. Hinc à Nativitate surdos, etiam esse cæcos experientia docet. Observatio fuit Lactantii: *Aliquando casu accidit, ut morbo aliquo hic aditus obseptus, vocem non transmittat ad linguam, faciatque de loquentibus mutos, quod cum audierit, auditum quoque obstrui necesse est; ut quia vocem emittere non potest, nec admittere quidem possit.* Hic homo Evangelicus, dum auditu privatus fuit, simul etiam mutus redditus est. *Et adducunt ei surdum, & mutum.* Et linguam, & auditum in infortunio unitos? aures aperit Dominus. *Apertæ sunt aures ejus*: & hæc soluta est: *Solutum est vinculum linguæ illius.* Vix aures inceperunt percipere, & in verba lingua prorupit: *Et loquebatur rectè.* Etsi quæratis, quænam verba protulerit, cum Beda Venerabili respondebo fuisse voces gratitudinis, quibus Deum ob beneficium receptum laudavit. *Solutum est vinculum linguæ ejus, ut in laudem prorumperet Salvatoris.* Gratum se exhibere benefactoribus, humanæ inclinationi valde conforme est; nam ut docet Angelicus: *Gratitudo est virtus specialis, reddens gratiam benefactori.* Et Sabellicus etiam abdidit: *Est laudatissima virtutum omnium res Deo, & hominibus grata, jucunda, gratique nominis.* Nec non Divus Pater Augustinus considerans, quàm eximia sit hæc virtus, hæc scripto reliquit. *Quid melius & animo geramus, & ore promamus & calamo explanemus, quam Deo gratias? hoc nil dici brevius, nec audiri lætius, nec intelligi gratius, nec agi fructuosius potest.* Et Divus Joannes Chrysostomus: *Optima beneficiorum custos est ipsa memoria, & beneficiorum, & perpetua confessio gratiarum.* Sanctus Bernardus: *Disce in serendo gratias non esse tardus, nec segnis disce ad singula dona gratias agere.* Ideo Ovidius quantumvis gentilis se esse amicum gratitudinis protestans cecinit:

Lact. lib. de opific. ho. c. 11.

Beda ibi. in cat. D. Thom.

D. Tho. 2. 2. q. 106. ar. 1.
M. Sabell. l. 7. c. 1.

D. P. Aug. in Epist. ad Marcell.
D. Ioann. Chrys. in Mat. hom. 25.
D. Bern. in cant.

Huic igitur meritas grates quascunque licebit
Pro tam mansueto pectore semper agam.

Ovid in Ibid.

Hyppocrates medicorum princeps, si occasio sese offerret, non solum ei, sed & descendentibus ejus, à quo medicinæ artem edoctus fuerat gratitudine corresponsurum juravit. *Sanctè itaque promitto, me loco parentum habiturum hunc, qui me hanc artem docuit, nutritiumque me ei præstiturum, & quibus eget benignè imperititurum. Progeniem ejus germanorum loco repataturum. Et hanc artem si discere ejus posteri voluerint, sine mercede, & absque stipulatione me illos ducturum.* Quid quæso Christianus plus verbis, vel operibus præstare potuisset? Romani statuam Horatio Coclidi, quia generosè pro patriâ vitam profudit erexerunt. Forsan à fundatoribus Romulo, & Remo, qui statuam Lupæ, quæ eos infantes prope Tiberium aluerat posuerunt, grati esse didicerunt: *Ejus beneficii memores Lupæ simulacrum Romæ posuerunt.* Sic testantur Plutarchus, & Titus Livius; iidem Romani Mutio Scevolæ, quia Porsennam agro Romano expulit immensâ hæreditate donarunt. Similiter templum virginibus, quia Coriolanum placarunt erexerunt. Græcis eos agnoscere pro filiis, qui Reipublicæ bene servierunt mos erat. Athenienses senem è stirpe Lycurgi, cui adeo se obligatos sciebãt perpetuo præmio honorabant. Gratitudinem etiam animalibus exhibere congruit. Teste Plutarcho anseres, quia gallorum adventum suis clamoribus deterruerunt, sumptibus reipublicæ semper in capitolio nutriti sunt. Ut testatur Diodorus Siculus, cani quia sacrilegos latratu abegerat semper de pastu provisum fuit. Equus, quia Dominum periculo eripuerat, à fræno & sellâ exemptus est. Imò ipsa animalia ad nostrum ruborem benefactoribus se grata exhibuere. Inter hæc miram se ostendit ciconia de qua scripsit Alciatus:

Hyppoc. in jurejur.
Tit. Liv. lib. 2.
Plutar. Tit. Liv. Tit. Liv. lib. 2.
Arist. l. 1. polit.
Plutar. Diodor. Sicul.

Ærio insignis pietate ciconia nido,
Investes pullos pignora grata fovet.
Taliaque expectat sibi munera, mutua reddi,
Auxilio quoties mater egebit anus.

Andr. Al. Emble. 30.

Nec

Nec pia spem soboles fallit, sed fessa parentum
Corpora fert humeri; praestat & ore cibos.

Ælian. l. 8 c. 22. De hac hoc etiam recenset Ælianus: *Ciconia Tarentinæ mulieri ob vulnus curatum evomuit in sinum lapidem pretiosum.* Aquila messori virus inopinato hausturo vitrum in terram excussit, quia ab eodem paulò ante à morte erepta fuit, dum falce serpentem, à quo arctè complectebatur dissecuit. Vide columbam ad ripam fluminis, vel fontis bibentem, quomodo nunquam rostrum innocens illi liquido elemento intingit, quin postea oculos in cœlum attollat, ac si Deo grates ob aquas solandæ sibi creatas rependere velit. Ad hoc forsan sponsus cœlestis alludere voluit, dum ad sponsam dixit. *Oculi tui columbarum.*

Cant. c. 1. 3. Et revera N. Columba gratitudinis symbolum est. Noë num eluvies aquarum cessasset exploraturus, Columbam ablegavit. *Emisit columbam, ut videret si jam cessassent aquæ.* Hæc porro postquam aliquamdiu per aërem volitasset teste sacro textu: *Reversa est ad eum.* Sed si avibus adeo sit chara libertas, eccur sponte manibus Noë involat, & in captivitatem se conjicit? dicetis ab eâ locum, quo maneret nullum repertum. *Cum non invenisset ubi requiesceret pes ejus.* In hoc ego scripturæ contradicere nolo, quia eam potuisse in verticibus montium jam aqua superstantibus quiescere, scio: *Apparuerunt cacumina montium.* Et concesso, quod locum in quo pedes figeret non reperiret, cur secundâ vice, cum jam aquæ è terra defluxissent, & eam discooperuissent *portans ramum Olivæ* rediit? Noë illam eluvioni eripuerat, & illa ut tanto beneficio se gratam exhiberet, signum boni nuntii aquas cessasse illi apportare voluit. *Cur* quærit quidam modernus, *reverteris, cum nihil pretiosius libertate? ut ex irrationabilibus gratitudinem habere instruamur.* Et Divus Joannes Chrysostomus: *Vide quanta avis sit gratitudo.*

Gen. c. 8.

Io. de La. Haye in Gen. c. 8. n 88.

D Ioann. Chrysost. hom. 26.

4. Noster Deus ab initio mundi mihi gratitudinem docuisse videtur. Ut opera creationis absolvit, septimo die quievit. *Et requievit die septimo ab omni opere, quod patrarat* Et postea: *Benedixit diei septimo, & sanctificavit illum.* Eum sanctificavit, millenisque benedictionibus affecit. Ulterius Hebræis illo die ab operibus vacarent sub reatu offensæ, & severæ punitionis incurrendæ præcepit. Hic duo ponderari possunt. Primo, cur Hebræi ab operibus cessent, nam ut dicit Beatus Laurentius Justinianus: *Sicut aqua, quæ caret decursu, ac jacet in foveis putrescit, ac humano usui aliena efficitur, repleturque animalibus venenatis, & noxiis; ita & corpus otii tabe confectum concupiscentiarum carnalium parit insaniam.* Ergo potius Deus ut continuo laborarent jubere debebat? die Sabbathino ob beneficia aliis diebus septimanæ recepta gratiis reddendis eos occupari voluit. Sic Cajetanus: *De scribit valdè consequenter divinum præceptum, humanumque debitum ad recolenda divina beneficia in aliquâ temporis parte, describendo septimum diem sanctificatum, & benedictum: par enim est, ut post accepta beneficia agnoscamus benefactorem.* Altera ponderatio est; quod Deus hunc diem tot benedictionibus ditans, quod reliquis non fecit, se nimis partialem erga eum exhibuerint: *Benedixit diei septimo, & insuper sanctificavit illum.* Hæc ut dicit Oleaster non fuit partialitas nostri Dei, sed gratitudo; diem à quo quietem receperat tot prærogativis dotare voluit: *Quid aliud locus iste, quàm gratitudinem docet? ut postquam Deus ita gratificatur die, in quo solum ab opere suo quieverat, totque illi bona contulerit, discamus, & nos grati esse illis, qui in nobis beneficia collocarunt, maximè illi, à quo bona cuncta procedunt.*

Gen c. 2.

B Laur. Iust li. de perfectio. gradib. c. 9

Cajet. in c. 2. Gen.

Hieron. Oleast in Gen. c. 2.

5. Deus dum orbem diluvio generali punire decrevit, Noëmo jussit, ut arcam construeret, in qua se salvaret, in eamque omnia animalia induceret, & particulariter ex omni specie mundorum septem eligeret præcepit. *Tolles septena, & septena.* Sic interpretantur Abulensis, & Pererius: *Septena ex hac specie, septena ex aliâ.* Hoc est tres masculos, & tres fœminas, ut species conservarentur. Et ad quid ergo serviebat septimum, quod socio destitutum erat? ergo hoc fuit superfluum? nequaquam ait Divus Hieronymus, sed maxime necessarium illud fuit præ omnibus aliis, ut Noë post diluvium in gratiarum actionē, quia à Deo conservatus erat illud in sacrificio offerre posset. *Ingrediuntur septena, quæ munda sunt, ut haberet Noë post diluvium, quod de impari numero statim Deo posset offerre.* Idem confir-

Abul. c. 7. q 4. Perer. lib. 11. disp. 3 n. 11.

D. Hieron. lib. 1. adv. Iov.

D. Ioann. Chrysost. hom. 24.

confirmat D. Chrysostomus: *Quia cognovit benignus Deus viri virtutum, ubi tanta tempestatis effugisset periculum, liberatusque fuisset, suam gratitudinem declaraturus, & pro gratiarum actione hostias, & sacrificia oblaturus esset, ut ne hoc faciendo mutilaret paria: Ideo Dominus præcisus hujus grata mentis jubet septena introduci ex singulis avium generibus, ut cum cessaret universalis interitus, & suam mentem declararet, & conjugia volatilium, cæterorumque animalium non læderentur* Sed hic una difficultas suboritur. Annon Noë potius exspectare poterat donec fœmellæ parturiissent, & ita Deo primogenitum cujusque speciei litare, quam tanto fastidio septimũ in arcâ conservare & gubernare? Cajetanus grates non differri, sed subito rependi debere respondet

Cajet. in Gen c. 7.

Quia videlicet holocausta Deo offerenda deinceps non erant differenda usquequo animalia munda multiplicata essent à duobus tantum; oportuisset namque differre multum holocausta vel impedire multiplicationem, si duo tantum mundorum remansissent post primum holocaustum.

6. Patriarcha Jacob fatis fermè admotus erat, accersiit itaque filium suum Joseph, eumque instantissimè sollicitavit juramento se astringeret quod defunctum non in Ægypto, sed in propria patria sepulchro avorum inferret:

Gen. c. 47.

si inveni gratiam in conspectu tuo, pone manum tuam sub femore meo, & facies mihi misericordiam, & veritatem, ut non sepelias me in Ægypto, sed dormiam cum patribus meis, & auferas me de terra hac, condasque in sepulchro maiorum meorum. Ego hoc factum satis demiror, nempe quod homo sapiens ubi corpus condendum sit angatur; nam si anima bene defungatur, corpus minimè curandum est Respondere possem cum Oleastro, & Cajetano:

Cajet. Oleast. ubi in c. 47. Gen. Abul. in c. 47. Gen.

Dulcis amor patriæ est, ut non solum vivi eam desideremus dum absumus, sed non nisi in ea mortui nos requiescere putemus. Et Abulensis aliam causam adfert? *Causa, quare volebat in sepulchro illo sepeliri, erat, quia Iacob in spiritu videbat, quod Messias in terra illa conversari debebat, & mori, & resurgere Credidit ergo, quod sicut multa corpora sanctorum cum ipso Christo resurrectura erant, ita ipse posset cum eis resurgere.* Sed has rationes elideret, qui amorem patriæ esse dulcem, sed dum quis vivit assereret. Ad rationem Abulensis dico, quod esto fuisset in Ægypto sepultus, tamen cum Christus, ad limbum descensurus erat, anima etiam liberanda erat. Hinc ait Jansenius:

Iansen. conc. in concor. Evang c. 144. l. 3. f. 500. c. 1. l. B.

Per mortem Christi sancti, qui in inferno (id est in limbo) detinebantur captivi libertatem assequerentur, quodque omnes sancti è sepulchris exeuntes, felici cum Christo donandi essent corporum resurrectione. Ergo esto non fuisset tumulatus in patria, tamen his prærogativis potiturus erat. Imo Rupertus Abbas de hoc facto obstupefactus ait:

Rupert. Abb. l. 9. in Gen. c. 21.

Quid est, quod patriarcha tantus, cui viventi totus mundus exilium fuit, tantopere de corpore suo curavit, & serio scire voluit, quo loco pulvis in pulverem, & cinis reverteretur in cinerem? quidam modernus ad meum propositum respondet, sanctum Patriarcham, ut se gratum patriæ, à quâ ipse sustentationem, & educationem acceperat exhiberet, eidem ossa mortua reddere voluisse.

Paulus Serlo in cant. Anis. l. 10 sec. 6. n. 56.

Debuit igitur corpus terræ Chanaan, quando hæc subministravit escas, quæ in sanguinem, in carnem, in solidiores quoque partes conversæ sunt. Quando ergo ab hac terra acceperit, per quæ materia sustentata est, quo gratum se ostenderet, oportebat benefacienti solo iterum restituisse, ab illa quæ mutuatus esset; accepit autem corpus: hoc ergo ferri in terra in Chanaan præcepit.

7. Venustissimus Adolescens Joseph in domo Putipharis famulabatur Hujus modestia cor uxoris Domini rapuerat, & forma vultus flammas affectus inordinati, & impudici in ejus pectore accenderat; præ omnibus in illa domo charissimus erat, & illa fœmina nubes affectuosorum vaporum erat, gratiasque ubertim manabat, magisque ejus aspectu frui, quam ei dominari apperebat. Verba illius nonnisi ad laudandam industriam juvenis tendebant, nutibus, illam, cui destinatus erat manceps ejus esse adoratricem innuebat. Dolorosis suspiriis à morsibus constantiæ adolescentis se laceratam monstrabat, ejus pudorem execrabatur, & ab eo non rumpi terminos reverentiæ, & legum, ægrè habebat. Et quia anceps hærebat, num renitentia a meticulositate non procederet, apertè desideria, quæ cor tormentabant aperire resolvit; idcirco clarè ei dixit: *Dormi mecum.* Ab hac sollicitatione, ille ut vidit debitum honestatis malè tractari, velut Colossus insensatus hæsit. Im-

Gen.c.39. motus ad tot violentias mansit, oculis se modestum, aspectu se torvum, vultu gravem se exhibebat, & se aures non præbere ejus votis testabatur. Demum paucis verbis sese declaravit dicens: *Quomodo ergo possum hoc malum facere?* illa particula *ergo* ad illud, quod Joseph paulò ante dixerat, refertur; nempe: *Ecce Dominus meus omnibus mihi traditis, ignorat quid habeat in domo sua, nec quicquam est quod in mea sit potestate, ut non tradiderit mihi, quomodo ergo possum hoc malum facere?* ac si diceret. Ego his, pecuniis, tot favoribus à meo Domino, & tuo consorte mihi exhibitis respondeam? actu ingratitudinis tot beneficia præstita rependam? ille me non servum, sed ut Dominum tam mobilium, quàm immobilium totius domus tractat; tuis votis annuere nil est, quam leges gratitudinis destruere. Nunquam fiet, ut hanc maculam incurram. *Quomodo ergo possum hoc malum facere?* *Adverte ad voculam illam ergo. Postquam enim retulit præclara beneficia in se collata, sapienter concludit. Quomodo ergo possum ingratus esse, & petulanter delinquere adversus munificum benefactorem. Hæc tantum renuit adulterium, sed adulterii possibilitatem ferè negat ne constupret virginem gratiam.* Et Lippomannus Josephum sic loquentem introducit: *Ego solus novi omnia, quæ Domini mei sunt fideliter omnia commendata habeo, fidentem mihi fallere non convenit, neminem mihi in tota sua domo prætulit præter te unicam honore, & potestate te afficit excellenti, oportet præstari plurimum fidei ab eo, cui multa fides adhibetur.*

Didac. de Cel. com. in Judith. c.16. v.22 §.38. n. 207.

Lippom. in c.39. Gen.

8. Pharaonis cor obstinatum, & pertinax nolendo populum libertati restituere, erat. Et Deus flumen Ægypti in sanguinem mutare decrevit. Moysen vocat, eique ait, ut, Aaroni virgam prodigiosam sumat, eâque flumen verberet, absque dubio subito aquas in sanguinem vertendas in mandatis det. *Dic ad Aaron; tolle virgam tuam, & extende manum super aquas Ægypti, & super fluvios eorum, ut vertantur in sanguinem.* Sed an Moyses id non præstare poterat? imò id congruebat, quia Moyses junior erat, nec à juniori leges ferri majori decet. Præterea exactius jussionem Dei executus fuisset. Totum hoc est verum, sed quod se ingereret huic operi, non erat conveniens. Ille vitam illi flumini ascribebat; præcipiente enim Pharaone dum cistellæ immissus esset, aquæ ejus vitam salvarunt, & ad ripam super arenas ubi postea fuit repertus à filiâ Pharaonis collocarunt. Deus ergo prævidens Moysen illubenter huic operi se accincturum vertendo sanguinem in aquas, quæ neci eum subtraxerant, ei præcepit ut Aaroni hoc imponeret. *Dic ad Aaron, tolle virgam tuam,* &c. Et observatio Abulensis: *Causa est, quia Moyses fuerat liberatus de aquis ut patet supra capite secundo, ideo non erat rationabile, quod percuteret aquas.*

Exod.8.

Exod.2.

Abul q.7. in c. 7. Exod.

9. Divus Lucas non absimilem casum à casu moderni Evangelii commemorat. Homo quidam leprâ oppressus, se salvatori, ut sanitatem sibi daret, lepramque mundaret commendavit. *Ecce vir plenus leprâ videns Iesum, & procidens in faciem rogavit eum dicens: Domine si vis potes me mundare.* Dominus manum extendit, & solo contactu subito lepram pellit. *Et confestim lepra discessit ab eo.* Ut se sanatum vidit miraculum, gratiamque receptam extollere cœpit. Sed Christus disertè ei silentium, & ne ulli mortalium id propalaret indixit: *Præcepit illi, ut nemini diceret.* Sed teste Bedâ leprosus nec tacere poterat, vel volebat. *Tacere jubet, nec taceri potest.* Ego hic non investigabo, cur ei indictum sit silentium, quia cum Divo Ambrosio respondere potero: *Docet salvator non vulganda nostra beneficia, sed premenda, ut non solum à mercede abstineamus pecuniæ, sed etiam gratiæ.* Sed potius curiositate devotâ sciendi ducor, cur leprosus silere nec velit, nec possit? *Tacere jubet, nec taceri potest.* Si jussio Christi eum obligabat ad silentium, quis eum cogit ut loquatur? gratitudo beneficii recepti. *O inobedientiam? jubetur obstinato tacere, & linguacissimus clamat? præstaret leprosum obedientem esse, an gratum? Non potest gratus animus tacere beneficio accepto. Sic agitur gratitudinis bono fomite erga suum munificum benefactorem, ut si tacere Christus jubeat, taceri non possit.*

D. Luc. cap.5.

Beda apud Str ibi.

D. Ambr. in c 5. D Luc.

Didac. de cel. com in Iudith. c. 16. v.22. §.38. n. 206.

10. Dum verus sol justitiæ ad occasum mortis declinaret, duo latrones in aspero ligno crucis inter tormenta pendebant. *Crucifixi sunt cum eo duo latrones.* Horum unus, qui a dextris erat, noxarum suarum gravitatem, & sanitatem filii Dei agnovit. Hinc omni submissione ad eum conver-

D. Matth. c.27. D. Marc. c.15.

conversus veniam erratorum, & paradysum rogavit: *Memento mei Domine, dum veneris in regnum tuum.* An unquam casum prodigiosiorem audisti? annon latronum, & assassinorum, quos illa patria habebat Dux erat? annon mille infernos promerebatur? & tamen unico verbo paradysum, & quidquid petit obtinet. Ego hic scire aveo, cur Christus non solum non neget ipsi gratiam, quâ ejus ignoscit erratis, & eum è manibus inferni, & Dœmoniorum eripiat, sed absque ullâ punitione noxarum, eum paradyso donet. Forsan actus contritionis fuit ita perfectus, ut enormitatem defectuum æquare posset? Hic vos attentos ad id, quod Ludolphus Carthusianus recenset volo.

11. Hic refert, quod dum Josephus cum virgine, & puero Jesu declinans persecutionem tyranni Herodis juxta monitum Angeli in Ægyptum fugeret. *Surge, & accipe puerum, & matrem ejus, & fuge in Ægyptum.* D Matth. c. 2. Per nemus iter agendo eum in quosdam latrones (inter quos, & hic erat) qui è latebris illac transeuntes observabant, atque malè tractabant incidisse: hi Josephum, & Mariam aggressi sunt, ut exiguâ supellectile, quam secum asportarunt spoliarent, unde latro hic aspectum gratiosum Dei genitricis, & sancti Josephi pietate commotus, at sodalibus, ut liberè eos demitterent impetravit, sicque eos è manibus latronum liberavit. *Beatam Virginem cum filio & sponso fugientem, in Ægyptum, & latrones incidentem, bonus hic latro ab eorum manibus liberavit, sanctitate motus, & divinitatem filii admiratus.* Ludolph. Cart de vita Christi p 1. c. 13 Multos post annos hic latro in justitiæ ministros incidit, & captus cruci à judice adjudicatus est. Beatissima ergo virgo ad dextram Christi consistens, prope eum astabat, & vultum ejus observans, eum agnovit, & ut gratam se exhiberet ab unigenito suo filio ignoscentiam peccatorum, liberationem ab inferno, ac paradysum ei obtinuit. *Idcirco conclusio est beati Petri Damiani, resipuit bonus latro, quia beata Virgo inter crucem filii & crucem latronis posita, filium pro salute latronis deprecabatur, hoc suo beneficio antiquum latronis obsequium recompensans.* Petrus Dam ap. Salm. to. 10. tr. 40. Ergo jure merito muti, & surdi atque turbæ hocce miraculum spectantes eminentias Christi prædicabant, prodigium patratũ extollebant, & grates tanto beneficio debitas exhibebant. *Quanto autem eis præcipiebat, tanto magis plus prædicabant, & eo amplius admirabantur dicentes: Bene omnia fecit, surdos fecit audire, & mutos loqui* D Ber. Ep. 191

12. Non solum verbis, sed & factis gratias nostro Deo ita docente D. Bernardo: *Facta factis compensare oportet*, reddere debemus. Hoc ab Abrahamo discamus. Hic itinere sibi à Deo imposito absoluto: *Surge, & perambula terram*, ut in vallem Mambre in Hebron sitam pervenit, altare erexit, & Deo sacrificium in gratiarum actionem litavit. *Ædificavitque illi altare Domino*; Gen. c. 13. Deo non tantum gratus esse verbis, sed & factis voluit. Id notat os aureum. *Impendamus gratiarum actione, & corde.* D. Ioann. Chrys ap. Ioa. de la Hay.

Sed quis opera adeo digna eliciat, ut gratiis à Deo præstitis correspondeant? nemo profectò. Et quamvis facto id non possimus, nihilosecius id quod possumus gratitudine verborum omittere non debemus. Arb vitæ, ibi n. 60 Noe certior fieri volens, num aquæ diluvii cessassent, primâ vice corvum emisit: *Aperiut Noe fenestram arcæ, & dimisit corvum.* Gen c 8. Hic avolavit, nec unquam reversus est. *Qui egrediebatur, & non revertebatur.* Hic multi scriptores corvum perstringunt, & quia non rediit ingratitudinis damnant. Et apud plures in proverbium abiit ingratos esse corvinos: *Ingrati corvini dicuntur.* Ego injustè, & sine causâ hanc maculam huic avi affricari censeo. Si enim aquæ necdum cessarant, quomodo redire potuit, ut hoc nuntium referret? ad minus redire, & crocitare ad fenestram arcæ debebat, sic enim Noë illis raucis vocibus satisfactum fuisset, & beneficio recepto, quo à Noë in Arca salvatus fuerat correspondisset. Audite Gregorium Thaumaturgum: *Cum quis beneficio affectus sit, si aliter non potest, agendus saltem verbo gratiis rependere non conari, aut mente capti, & sensum beneficiorum non habentis est hominis, aut immemoris, cui vero & sensus, & cognitio est beneficiorum, nisi memoriam construet in posterum; nisi gratiam etiam aliquo modo referat bonorum auctori, iners ille est, & ingratus, ac impius, cujus criminis reus, quod nec magnus, nec parvus ignoscat.* Gregor. Thau Or. Paneg. ad Orig apud Ioan de la Haye t. 1. in Gen c. 8 v. 7. n. 64.

13. Ad minus promptitudine volun-

tatis, & animi, si nec factis, & multo minus verbis grati esse possimus, Deo grates rependere deberemus. *Æquabo* dicebat D. Bernardus, *beneficia votis, quæ factis non possum.* Et sic reddemus nos capaces ad ulteriores favores recipiendos. Credite Lyrano: *Gratitudo de beneficio accepto reddit hominem idoneum ad aliud recipiendum.* Et quo magis augentur gratiarum actiones, eo magis crescunt beneficia, quæ in nos derivantur. Ita nos assecurat Theodorus Episcopus Anciranus. *Solet uberior gratia illis evenire, qui grato animo gratiam accipiunt; tantum enim plerumque donorum præstatur, quantum eorum est gratitudo, qui hujusmodi donis potiuntur. Quare cum de accepto dono donatoris benignitatem, gratiæ recordatione agnoscis, non modo pro accepto fecisti satis, verum ad majorem quoque beneficiorum largitionem donatorem astrinxisti.*

D. Bern. Ep. 191.

Lyran. in c 46. Gen

Theod. Ancir. Episc. Hom. 2 habita in conc. Ephes. c. 10

14. Divus Pater Bernardus asserit grates habere conditionem fluminum, quæ omnia mari influunt, quod ea quidem admittit, sed rursus ad terram ablegat: *Ad locum unde exeunt revertuntur, ut iterum fluant.* Si nos ad Deum flumina gratiarum mittamus, ille rivis novorum beneficiorum illa nos rursus effundet. En Bernardum: *Si copia aquarum secretis subterraneis recursibus incessanter æquora repetunt, & inde rursus ad usus nostros jugi, & insatigabili erumpant obsequio; cur non etiam spirituales rivi, ut arva montium rigare non desinant, proprio fonti sine fraude, & sine intermissione adduntur? ad locum unde exeunt revertantur flumina gratiarum ut iterum fluant, revertatur ad suum principium cœleste profluvium, quo uberius terræ refundatur.*

Eccl. c. 1.

D. Bern. serm 3. in Cant. Cantico.

Idcirco Divus Marcus postquam miraculum surdorum, & mutorum recensuisset, statim multiplicationem panum, & piscium dum Christus quatuor millia hominum satiavit subnectit. Rectè; nam gratiæ, quas Christo Hebræi rependerunt, flumina fuerunt, quæ beneficiis majoribus exuberantia in Hebræos refluxerunt: *Ut iterum fluant flumina gratiarum.* Sed quid dicemus de illis, qui benefactoribus mercedem ingratitudinis solvunt? ô defectum execrandum! in secundâ parte eum perstringemus. Interim ne prolixitate tædiosus sim, hic quiesco.

ALTERA PARS.

15. Teste Senecâ plura sunt genera ingratorum. *Multa sunt genera ingratorum; ingratus est, qui beneficium accepisse se negat, quod accepit: ingratus est qui dissimulat, ingratus qui non reddit, ingratissimus omnium, qui oblitus est.* Una sors ingratorum beneficia negat, altera benefactorem dissimulat. Multi datâ occasione actibus gratitudinis non correspondent, sed omnium ingratissimi sunt, qui levi negotio beneficiorum obliviscuntur, & benefactoris hostes fiunt. De his Scaliger his versibus scribit:

Senec c. 3. de Ben c 1

Quædam species est hominum, mala, ac maligna.
Cui, quod dederis beneficium, statim peribit.
Verum hoc nihil est, præit abominabile illud.
Fient inimici taciti aut dissimulabunt.
Te noscere, ne quid tibi debere notentur.

Iulius Cæsar Scalig. 4 Epid n. 12 f. 179.

Et Ausonius ingrato nullum esse truculentius monstrum ait.

Auson. Ep 132.

Nil homine terra pejus ingrato creat.

Quid non dixit Plautus de hac ferâ crudeli, & virulentâ.

Plaut. Bacchi. 3.2.10.

Nam pol quidem meo animo, ingrato homine
nil impensius est.
Malefactorem amitti satius, quam relinqui
beneficium.
Nimio præstat impendiosum te,
Quam ingratum dicier.
Illum laudabunt boni, hoc etiam
Ipsi culpabunt mali.

Petrus Crinitus præ aliis vivacissimè depingit abominabiles qualitates eorum. Nullam asserit esse rem magis horrendã, eos vitandos esse velut pestem, eos semper vel quid sinistri moliri, vel agere, esse eos sentinam omnium criminum, & eos nil melius agere quàm mori. En ejus verba.

Petr Cr. l. 2. Poematum de fugiendis ingratis.

Ingratus est vitandus ut dirum scelus,
Nil cogitare pestilentius potest,
Nec esse portentosius quicquam puto.
Ingratus aut malefacit, aut malè cogitat.

Ingra-

Ingratus est seminarium scelerum omnium.
Ingratus hoc unum benefacit cum perit.
Nam tellus ipsa fœdius nihil creat.

16. Scipio Affricanus generositate suâ urbem Romanam ne inimicorum jugo subjiceretur defendit, imò Dominam totius Africæ fecit. Sed videte ingratam compensationem pro præmio in exilium est relegatus. Hinc bile succensus dixit: quia vivens fuisti ingrata, nec cineres tibi relinquam. *Ingrata patria, ne ossa quidem mea habebis*; & ut testatur Valerius Maximus: *Cineres ei suos negavit, quam in cineres collabi passus non fuerat. Igitur hanc unam Scipionis vindictam ingrati animi urbs Roma sensit; majorem me Hercule Coriolani Violentia. Ille enim metu patriam pulsavit, hic verecundiâ.*

Valer. Maxi l 5. de ing n 2. c.3.

Marcus Tullius facundiâ verborum à sententia capitis Pompilium Lenatem liberavit, sed hic postea Sicarios misit, qui Tullium trucidarent. An potest audiri ingratitudo major? *Virum salutis ejus auctorem, jugulum præbere jussit: Ac protinus caput Romanæ eloquentiæ per summum & securum otium amputavit. Eaque sarcina tanquam optimus spoliis alacer in urbem reversus est: Neque ei scelestum portanti onus succurrit, illud se caput ferre, quod pro capite ejus quondam peroraverat.* Gratiæ pariunt odium, & à beneficiis nascuntur proditiones.

Id Va. Max.l 5. c.3.n 4.

17. Sed quid loquor de gentilibus, qui non habent nisi propriam voluntatem, & passiones animi? non scio an David Christianos, vel Hebræos intellexerit dum dixit: *Retribuebant mihi mala pro bonis, sterilitatem animæ meæ.* Loquebatur in personâ Messiæ. Hæc verba explanans Divus Augustinus dixit: *Ego autem attuli fœcunditatem*, en beneficium Dei, *ipsi retribuebant sterilitatem*, & ingratitudinem, & postea subdit: *Ego vitam, ipsi mortem: ego honorem, ipsi contumeliam, ego medicinam, ipsi vulnera, & in his omnibus, quæ retribuebant utique sterilitas erat.* O ingratitudinem inauditam, & incurabilem.

Psalm. 34.

D.P. Aug. conc. 2. de 2 p. 36.

18. In tota passione nulla major injuria inflicta est filio Dei, quam illa alapa, dum servus ille dixit: *Sic respondes Pontifici?* ideo hoc ægrè tulit: *Si malè locutus sum, testimonium perhibe de malo, si autem bene, quid me cædis?* annon potes sufferre colaphum? an nescis tibi plures infligendos in coronatione, uti postea factum Evangelista testatur: *Colaphis eum ceciderunt.* Jansenius respondet: *Quæ ignominia ut in se est maxima, ita erat, & injustissima, non solum quod præter meritum inflicta, sed etiam quod contra omnem judicii æquitatem.* & paulò infrà aliam causam subdit: *Non enim conveniebat, ut tacitus hanc alapam perferret, ne videretur agnoscere se ut criminabatur, indecenter Pontifici respondisse.* Plures aliæ causæ adduci possunt, sed illa, quam adducam principalis erit. Non pauci scriptores sacri hunc servum fuisse Malchum, cui Petrus antea auriculam abscidit putant. Christus miraculo illum sanavit. Hinc filius Dei ingratitudine sibi solvi videns valdè afflictus est. Hinc Cardinalis Marcus Vigerius. Ad sufferendum illum colaphum divinitatem debuisse succurrere humanitati asserit: *Divinitas mea humanitati sociata mihi astat, ut intrepidus tua verbera feram.*

D.Ioan. c.18.

D. Matth. c.26. D. Marc. c.14. Iansen in conc. Evang c. 138 f. 418 col 2 l. A. & C.

Card. Marc. Vig de passio. Christ f. 163.

19. Hic defectus ingratitudinis adeo odiosus est, ut ipsæ bestiæ illum abhorreant. Plinius Labata, & Aresius narrans in domo cujusdam rustici fuisse serpentem, qui cicuratus adeo se familiarem exhibuit, ut rusticus eum non repelleret, sed sæpius cibaret. Contigit ut hoc animal pariret, partusque ejus adultior factus filium rustici morsu necaret. Serpentem hoc ita malè habuit, ut proprio partui succensus, dentibus eum lacerarit, & occiderit. Dein domo aufugit, ac si erubesceret se habuisse filium adeò ingratum, ut nutritoris prolem interemerit.

20. Nos merito confundi deberemus. Habemus Deum qui nos creavit, qui nos sustentat, & conservat, imo proprio corpore, & sanguine pascit. Et tamen toties ingrati sumus, quoties eum mortaliter offẽdimus. Hinc exclamat meus B. Thomas. *O ingratitudo filiorum Adam, omnes feræ sentiunt beneficium, & beneficiis mansuescerunt. Videas leonem ferocissimum suo magistro colludentem; ursum indomitum ludentem cum eo, à quo pascitur; Elephantem monstruosum obedientem sessori Omnes bestiæ benefactorem agnoscunt, & beneficiorum gratiam reddunt.*

D Tho. à Villa Nova in Dom. 4. advent.

Et dein ad hominem conversus, quem

quem feris pejorem in hoc videt, cohibere se nequit, quin eum perstringat: *Tu solus homo rationalis, ut fera truculenta, ut vipera venenata, & basiliscus pascentem mordes. Benefactori tuo adversaris, non recognoscis benefactorem tuum, blasphemas, & offendis. O ferocitatem supplicio ultimo dignam?* Hoc vitium ingratitudinis, quis acrius verberare posset? & tamen verum est, feras esse gratiores hominibus. Et illæ videntur esse magis humanæ, quam bestiales.

Idem ibid.

21. Et si dicerem homines magis participare de natura Diaboli, quam ipsos Diabolos non errarem. Me hyperbolicè, & exaggerativè loqui diceres, nisi id evidenter ex Scriptura probarem. Dæmon obsidens Saulem vehementer eum agitabat. Dulcem somnum capere non poterat, quies è pectore exulabat, & velut tyrannus crudelis ejus viscera torquebat. *Et factus est spiritus Domini malus in Saul.* David ergo inter maximas ejus furias adveniens plectrum arripuit, & tam dulcem sonum formavit, ut melodiæ suavitas procellas sensuum mitigaret, & tempestates animæ pacaret, affunderetque ei tantum levamen, quantum eum Dæmon tormentabat. Magnum factum N. dum David suavi melos regem solari studebat, ille hastam apprehendit, Davidemque eâ petit, ut cor transfigat. Quod & fuisset factum, nisi David ictum prævisum declinasset. *Porro David psallebat manu suâ, nisusque est Saul configere David lancea in pariete.* Hic quærunt interpretes, an Saul Davidem confodere voluerit à Dæmone agitatus, vel postquam Dæmon ab eo recesserat.

1. Reg. cap. 19.

Sanctus Basilius Seleuciensis respondet hæc facta post Dæmonis discessum. Credo ego Dæmonem noluisse ingrato cooperari, & ad ejus necem, qui sono vitam Saulo dabat concurrere. *Malus Dæmon maturè antevertit exitum à corpore Saulis, ne ingratissimo Sauli cooperari palam videretur. Indecorum sibi reputat vitio ingratitudinis notari, qui omnibus vitiorum notis deturpatus est? intermittit esse malignus, ne videatur ingratus? eligit haberi negligentiæ, quam ingratitudinis reus? sic satagit non diffamari apud homines, non amore virtutis, sed ut hominibus plus noceat.*

Didac. de Celada in Iud. cap. 5. v. 2. §. 11. num. 38.

Nunc liceat mihi argumentum à fortiori. Si Dæmon erubescit esse complex ingrati Saul, quantò magis homo confundi deberet, dum ingratus est Deo? finio cum Chrysostomo: *Optima beneficiorum custos est memoria, & perpetua confessio gratiarum: Ite in pace.*

D. Ioann. Chrysost. hom. 25. in D. Matth.

DOMI-

DOMINICA DVODECIMA
POST PENTECOSTEN.

Didac de Celada in Iud. cap. 5. v. 2. §. 11. num. 58.

Homo quidam descendebat ab Ierusalem in Iericho, & incidit in latrones, &c. Samaritanus autem quidam iter faciens venit secus eum, & videns eum misericordia motus est. D. Luc. cap. 10.

ARGVMENTVM.

Ostenditur quam sint Angeli custodes diligentes, vigilantes in nostra custodia, & quanta compassione ducantur, ut nobis succurrant in nostris adversitatibus.

D. Ioan. Chrysost. hom. 25. in D. Matth.

1. Miseriæ non comparantur pretio. Tota hæc vita mortalis infortuniis plena est. Ubi te putas securum, ibi insidias reperis, & pericula quæ homini imminent innumera sunt. Experientia id ostendit, & Scriptores hoc manifestant.

Io. Fr. Quint. in deli. Ital. p. 1 fol. 501.

Quantis vita malis nostra revolvitur.
Hinc bella horrisonis ducta tumultibus.
Vastant, quod cumulat perpetuus labor.
Hinc insidiæ, rixæ, furor, doli,
Humanum exagitant, ac lacerant genus.

2. Cor. c. 7. Idcirco Apostolum dixisse credo; *foris pugna, intus timoris.* Quotidie namque persecutiones inter adversarios, proditiones inter amicos oriri videmus. Idcirco Thraces hominis ortum deflebant, sed ei mortem invidebant.

Fr. Belli. Car. in deliciis p. 1. fol. 492.

Infantem Thraces lugent, ut matris ab alvo
Prodiit: hos animos quo quis honore colat?
Ast homines in morte beant, laudantque sepultos,
Traxit imperium, quos fera parca suum.

Et ubi divus Paulus iter agebat, sive in terra, sive in mari, sive in solitudine, sive in urbibus, an non miseriis, ac infortuniis objiciebatur? *Periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in civitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus.* Quo terrarum loco securitas reperitur? *Hic*, inquit os aureum, *morbi, hic insectationes, præmaturæ mortes, calumniæ, invidiæ, perturbationes, innumerabiles insidiæ, quotidianæ solitudines, perpetua sibique succedentia mala sunt, innumeros ex omni parte dolores afferentia.* Quocunque vos vertatis cum Rege Saul dolere, & suspirando dicere debebitis. *Angustiæ mihi sunt undique.* Sententia namque Theognis irrefragibilis est: *Cunctis rebus inest periculum.* Theog.

2. Cor. cap. 11.

D. Ioan. Chrysost. in orat. de sanct. Philo. Tom. 5.

2. Sed divina providentia Angelos ordinavit, qui nos custodirent, & ab omnibus periculis, in quæ prolabi sive ex nostra fragilitate, sive ex diabolica suggestione possumus præservarent. Id ego servatorem voluisse exprimere sub homine Evangelico & pio Samaritano credo. Ille Hierosolymâ ad urbem Jericho se conferens, à latronibus invaditur, spoliatur, & vulnere lethali saucius, exanguis, & moribundus in terra relinquitur. *Incidit in latrones, despoliaverunt eum, & plagis impositis abierunt semivivo relicto.* O miserum viatorem! an infortunium periculosius ei accidere pote-

poterat: sed ejus bono *Samaritanus quidam*, hoc est, Angelus custos (quia juxta divum Ambrosium: *Samaritani nomine, & vocabulo custos significatur*, & divum Augustinum: *Samaritanus custos interpretatur.*) *Venit secus eum, & videns eum misericordiâ motus est*, & omnem diligentiam possibilem adhibuit, ut ei succurreret: *Et curam ejus egit.* O benignum Samaritanum? ô custodem amorosum? ô Angelum compatientem? ergo ne ægrè feratis N. quod hodie discurrendo de custodia Angelica, vobis quam sint diligentes, vigilantes: *Curam illius egit*, & compatientes ut in nostris adversitatibus nobis opitulentur, demonstrem; *Misericordia motus est.*

D. Ambr. apud Alvia in Dom. 14. post Pent. D. Aug. ibi in Cat. D. Thom.

PARS PRIMA.

Samaritanus quidam iter faciens venit secus eum; & curam illius egit.

3. NE exspectetis N. me hoc mane terminis Metaphysicis, vel discursibus Theologicis quæsiturum num Angeli sint creati in gratia, vel non, num sint substantiæ, vel accidentia, num corporei, vel incorporei, corruptibiles, vel incorruptibiles ab intrinseco, vel ab extrinseco, num simplices, vel compositi. Physicè, vel Metaphysicè, ex materia, vel forma, essentia, vel existentia; si sint finiti, vel infiniti, an eorum numerus possit investigari, num unus distinguatur ab altero numericè, vel specificè, an omnia illa habeant, quæ requirantur ad constitutionem speciei, an possint assumere corpora aërea, naturalia, vel phantastica; an in illis possint operari actiones vitales; num sint in loco per operationem, vel definitivè, aut circumscriptivè, an plures possint simul esse in eodem loco, an Angelus eodem instanti possit esse simul in pluribus locis distantibus, an moveantur, & quo motu, num Physico, vel Metaphysico, an transeant per medium, si compleant motum in tempore, vel instanti. Num motus eorum sit continuus, vel discretus, an seipsos moveant, vel ab aliis moveantur. An unus alium illuminet, hoc est, num inferior illuminetur à superiori, num seipsos cognoscant per propriam essentiam, num res ab eis distinctas cognoscant per proprias essentias, num omnes cognoscant simul, vel successivè; an intelligant objecta singularia, vel universalia futura, præsentia, præterita, contingentia, possibilia, & impossibilia, num habeant intellectum possibilem, & agentem, num penetrent cogitationes internas cordis humani. An possint aliquid in liberum arbitrium, num intelligant per species acceptas à rebus, num habeant species congenitas, connaturales, infusas, vel acquisitas, num superiores intelligant per minores species, quam inferiores; an sint deputati ad custodiam hominis, an custodire iis competat ex ordine gratiæ, vel naturæ; num cuilibet homini sit Angelus custos, num fœtus in utero matris habeat suum Angelum custodem particularem, vel custodiatur ab Angelo custode matris. Has quæstiones, quia potius spectant ad scholas, quam ad pulpitum omitto.

Nec etiam dignitatum, eminentiarum, excellentiarum Angelicarum apparatum instituere intendo, dicens cum beato Thoma à Villa nova; *Natura illa angelica sublimis, & excelsa, sicut à sensu, & intuitu nostro, sic quoque ab intellectu, & judicio longè semota est, neque de illius gloria, & celsitudine quidpiam affirmare possumus, quod aut ratione certâ, aut firmo Scripturæ testimonio roboretur.* Et subdit: *Magna felicitas Angeli: intellectus non discurrit, neque laborat, neque inquirit, sed unico intuitu omnia, quorum naturaliter est capax perspicit & cognoscit. Quidquid etiam intelligendo percipit, nunquam labitur à memoria, fixum, & immobile in eo perseverat, quod semel impressum est: voluntas quoque illius, omnino invertibilis est, tenaciter tenet omnem affectum, quem suscipit, non potest ei displicere quod placuit, neque valet à semel placito resilire, fixa, & immobilis perseverat in eo quod diligit.*

B. Thom. à Villa conc. 1. de sanct. Michael. Archang. fol. 406 col. 1. Idem ibid. inferius.

Præterea hic sciscitari nolo cur Deus Angelos nostræ custodiæ deputarit, cum causæ hujus ab omnibus doctis præsertim tradantur. Et Bellarminus spesialiter principalem assignat: *Præcipua causa est cur Angeli diligentissimè nos custodiant, quia videlicet Deus id eis mandavit, quamvis enim libenter id faciant, quia nos amant, & quia malos Angelos oderunt, & quia cupiunt instaurari sedes cælestis Hierusalem, & quia sciunt id esse gratissimum*

Card. Bellarm. in Psalm. 90 num. 11. fol. 576. col. 1.

mum Regi suo Christo Domino: tamen nihil eos magis movet, quam præceptum Domini, intelligunt enim se esse ministros Dei, & Deum nihil magis requirere à ministris suis, quam promptam, ac simplicem obedientiam. Has speculationes omitto, & solum ad punctum principale mei discursus, nempe de vigilantia, & promptitudine quibus nos custodiunt transeo: *Curam illius egit.*

4. Sanctus Pater Chrysostomus ponderat verba illa Jobi: *Venerunt filii Dei, ut assisterent coram Domino.* Per hos filios Dei intelligi Angelos res est certissima; difficultatem solum movet super τὸ *assisterent.* (Iob, 1.) Cur non dicit potius, *ut manerent, essent, quiescerent, &c. Quid tandem est, cur Angeli quotidie assistentes, inducantur?* ad demonstrandum eos continuò contueri essentiam divinam, in qua velut in speculo omnes necessitates nostras contuentur. Idcirco dixit Christus: *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei.* (D. Matth. cap. 18.) Ut omni celeritate, ad nostras necessitates properare, iisque succurrere possint. *Ut intelligamus rebus nostratibus semper vigilanter consulent.* (D. Ioan. Chrysost. in Caten.)

5. Sancto Patriarcha Jacob in agro dormienti scala in ostento objecta fuit, quæ terræ innixâ supremitate suâ cælos tangebat: *Vidit Iacob scalam summitas ejus cælos tangebat:* (Gen. 28.) Et insuper vidit *Angelos ascendentes, & descendentes.* Non tot gradus fuisse illi scalæ, quot ponderationibus sancti Patres illam Scripturam observarint mihi creditore. Divus Zenon: *Ascendentes sunt justi, qui probis moribus per gradus divinorum observantia præceptorum, quotidie spiritualis itineris gloriâ feruntur in cælum.* (D. Zenon. serm. de S. Iose.) Sanctus Bruno: *Quod descendere dicuntur, hoc significat, quia sancti viri in hac vita sine peccato esse non possunt.* (D. Bruno, in alle. Tilm.) Galfridius: *Descendunt dum sectatores Angelicæ puritatis, quantò magis proficiunt, tantò humiliores existunt.* (Galph. in alle. Tilm.) Oleaster. *Vigilat super nos indefessus ille divinæ providentiæ oculus, mittens, & remittens administratorios spiritus, qui nos custodiant in omnibus viis nostris.* (Hiero. ab Oleast.) Chrysostomus: *Ut multum Dei erga nos honorem ostendat, siquidem constituit, ut Angeli nobis superiores hoc habeant pro nobis ministerium, propter nos laborent, circa nos cursitent, & ut ita dicam nobis inserviant.* (D. Ioan. Chrysost. hom. 3. in Epist. ad Hebr.) Et Cajetanus. *In ea nempe scala continuò Angeli descendunt à nobis referendo nostra in Deum, & ascendunt ad nos adferendo divina nobis.* (Cajetan.) Huic opinioni etiam subscribens Doctor mellifluus asserit Angelos, qui cælum scandunt nostras Deo præsentare preces, suas etiam interponendo, ut nobis necessarium subsidium impetrent; dein verò gratiis, & favoribus in nostrum bonum oneratos descendere. *Ascendunt igitur Angeli nostras orationes ad Deum deferentes, quibus suas intermiscent, Dominum deprecantes, ut nos exaudire dignetur: descendunt verò cum à Deo impetrant, quæ nobis expediunt, & cum aliis divinis misericordiis onusti ad nos ipsos ditandos veniunt, donaque nobis ferentes, & deferentes.* (D. Bern. serm. 19. in Cant.) Idem sanctus Pater Bernardus considerationis gradus sistit, ut eorum gressus observet, & statim nullum ex iis quiescere, vel otiari, sed continuò quemlibet moveri conspicit. *Ascendentes, & descendentes.* Non quiescunt in terra, non hærent in cælo, non sistunt in gradibus scalæ ut demonstrent, se dum agitur de eorum obsequio impendendo in bonum nostrum, non quiescere, nec firmari, quinimò semper occupatos in nostro servitio esse velle. *Vidit Angelos ascendentes, & descendentes, nullum verò eorum stantem aut sedentem, sed semper vigilant in opere salutis nostræ.* (D. Bern. ibid.)

6. Ad specialia descendamus, nec opus misericordiæ miserum visitando incarceratum divum nempe Petrum exercere dedignemini. Eum dormiisse sacer Scriptor recenset: *Erat Petrus dormiens inter duos milites vinctus catenis duabus: dormiens?* (Act. Apostol. cap. 12.) Petrus dormit? an tempus est somno indulgendi, dum omni momento lictor exspectatur, qui carcerem reseret, & Petrum è medio tollat? sanctus Senex, ac si in lecto, vel propriâ domo quiesceret sine cura quiescit. An dormit, quia somnus est forsan imago mortis illius, quâ paulò pòst enecandus erat? sanè N. magnum mihi hoc videtur, quod aliquis inter ipsas excubias catenis vinctus, tyranni potestati consignatus absque anxietate cubet? in historiis Philippum Macedonum Regem dum cum exercitu in campo degeret, quadam vice cum dimicandum esset illum in utramque aurem in tentorio dormiisse legimus; & cum hostis tubarum fragore equos animaret, & tympanorum boatu animi excitarentur Philippus subitò expergefactus, & de hostium adventu admonitus fuit. Philippus mora-

morabatur, & surgens ad se excitantes dixit: parcat vobis Deus, ego quiete mente, & animo dormiebam, quia Antipater pro me vigilabat. *Tutè dormiebam, nam pro me vigilabat Antipater.* Idem ergo à divo Petro responsum credo. Ne miremini, quod ego sine timore dormiam; *Tutè dormiebam.* Meus Antipater, hoc est, Angelus custos mihi vigilat *Nam pro me vigilabat Angelus.* Dicat id sanctus Paschasius: *Nec admiror, si animadvertero, quod Angelum Dei sibi mittendum Petrus exspectet.* Nec ejus spes vana fuit. *Nunc scio verè, quia misit Dominus Angelum suum, & liberavit me de manu Herodis.*

Pluto. in Apopht. Tom. I. num. 312. lit. A. fol. 305.

D. Pasch.

7. Angelus ergo diligens in eripiendo divum Petrum è carcere, & liberando à periculo mortis fuit: *Curam illius egit.* Sacer textus Petro egresso è carcere, Angelum ejus comitem fuisse usq; ad certam quandam plateam narrat. *Processit vicum unum;* dein ei valedicens monuit ut tuto loco se reciperet. Ille ad domum personæ sibi notæ perrexit. *Venit ad domum Mariæ matris Ioannis, qui cognominatus est Marcus.* Ad illam venit, pulsat, & quædam ancilla Rhodis fenestræ se acclinat, quæ Petri voce agnitâ, domesticis Petrum ad januam esse, & admitti velle nuntiat. *Et ut cognovit vocem Petri, præ gaudio non aperuit januam, sed intro currens nuntiavit stare Petrum ante januam.* Verum cùm omnes scirent eum jussu Herodis in vincula actum fuisse fidem præbere noluerunt. Imò ancillam quasi cerebro vacuam perstrinxerunt: *Insanis;* illa nihilosecius rem sic se habere, nec se minimum errasse, sed Petrum adesse replicavit: *Illa autem affirmabat sic se habere.* Nunc N. audite qualem conclusionem domestici inter se formarint. *Angelus ejus,* inquiunt, *est.* Revera debet esse Angelus ejus custos; ego ex quibus præmissis hanc conclusionem inferant scire vellem. Audite antecedens: *Petrus servabatur in carcere, vinctus catenis duabus.* Ita? Petrus est incarceratus, vinctus, & in periculo amittendæ vitæ? ergo Angelus ejus est; consequentia hæc est infallibilis, nec negari potest. Angelum æstimarunt ad domum illam accedendo aliquam industriam adhibuisse, ut incarcerato aliquod subsidium obtineret, ne pateretur, vel ut aliquod medium inveniret, quo eum apud Herodem morti surriperet. Meo conceptui favet Pater Fernandez. *Unde venit illis in mentem tunc Angelum esse? à tempore illud conjectabant. Est Petrus in carcere, periclitatur, mortem exspectat.* En antecedens. Nunc vide consequentiam. *Ergo Petri Angelus, ut periclitanti opem ferat, vinctum liberet, & à mortis faucibus eripiat, vigilat Angelus & circumcursat.* O diligentem Angelum? *Curam illius egit.*

Actuum Apost. cap. 12.

Fernandez in Gen. cap. 32. v. 52.

8. Et ut citiùs nobis succurrere possint semper adsunt. Salvator id testatur, dum loquens de Samaritano, ait: *Venit secus eum:* & Chronologus Moyses hoc in Genesi comprobat Dum sanctus Patriarcha Abraham ante domum aërem capturus sederet, tres Angeli in specie viatorum illi sese objecerunt. *Apparuerunt ei tres viri stantes propè eum:* si apparenter erant viatores, quare non dicit, quod à longè venerint, sed erant *stantes propè eum?* Fuerunt Angeli, ergo quomodo poterant longè distare ab Abrahamo? *Propè, propè eum.* Angelus semper homini adest. *Venit secus eum,* ut in qualicunque necessitate ipsi assistere possit: *Hi tres viri Angeli fuerunt, rectè igitur non dicuntur à longè visi, sed propè Abraham stantes apparuisse, ut cognosceremus Angelos se præsentes alicui loco exhibere cum illis libuerit.*

Hay Tom. 1. in Gen. cap. 8. v. 2 nu. 36.

9. Populus Israëliticus egreditur è dura servitute Ægypti, & ne in illo deserto aberraret à via, Angelus illum præcedebat, ut incolumem eum ad locum tutum duceret. Sed sacer textus nonnulla verba profert, quæ difficultatem, & stuporem ingerunt. *Tollens se,* inquit, *Angelus Dei, qui præcedebat castra Israel, abiit post eos.* Cur locum mutet scire vellem. An forsan vias illarum regionum ignorabat? an forsan præeundo aliquod infortunium timebat, & tamen *abiit post eos,* & ut legit Arias Montanus: *Abiit à tergo eorum.* Sed nunquam vidi, vel audivi viæ ducem alios sequi. Causam hujus ex illo, quod paulò infrà Chronista Moyses subjungit adduci credo: *Persequentesque Ægyptii ingressi sunt post eos.* A tergo eos insequebantur copiæ Pharaonis, ut eosdem occiderent, & in frusta dilaniarent *Dixit inimicus: persequar, & comprehendam, dividam spolia, implebitur anima mea, evaginabo gladium meum, interficiet eos manus mea.*

Exod cap. 14.

Arias Montan.

Angelus ergo, ut repelleret Pharaonem,

-nem; & populum Israeliticum defenderet à tergo veniebat, ut ipsi quasi scutum esset. *Ambulavit post eos*, inquit Oleaster, *ut metum Israelitis aufferret prohibendo accessum Pharaonis ad populum.* Hinc deducit sanctus Basilius Angelos circa nos semper vigilare, ut in omnibus necessitatibus nos protegant. *Sic, & Angelus te præmunit à fronte, à tergo te custodit, & nihil incustoditum relinquit.*

Oleaster ibid.

D Basch. in Psalm. 33.

10 Dæmon Salvatori suadens ut è vertice templi se præcipitem daret dicebat: *Mitte te deorsum.* Et statim subdit: *Scriptum est enim, quia Angelis suis mandavit de te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum.* Hic observat Glossa a Dæmone non fuisse prolata hæc verba, sed à Davide, qui illorum fuit inventor. Nempe à Deo amandandos Angelos, qui ejus curam gerant, ne in illa præcipitatione lædatur, vel moriatur. Scio Christum non indigere Angelo custode; ideo dicit: *Ne fortè offendas, &c.* Ac si diceret; tam prompti erunt, ut te adjuvent, ut nullum sit periculum, ne vel in minima parte aliquid patiaris. Sic quidam modernus: *Id est, ne malum aliquid, vel minimum patiatur. Itaque non modo avertunt à nobis Angeli ingentia mala, verum etiam ea, quæ minima sunt, & quæ vel tantillum lædere possunt homines, ne scilicet pes, minima videlicet, & extrema pars hominum lapide conteratur in via, ne vel minimam læsuram patiatur.*

D Matth. cap. 4. Gloss. apud D.Thom. in Cat.

Ioan. Pin. com in Ecc. ca 23 Eth. 706. nu 5 fol. 393. col. 1.

11. Si vera sint, quæ hucusque dixi occasionem sumo paradoxum formandi, sed volo ut sanè intelligatur, cum loquar exaggerativè, nec intendo præjudicare pietati nostri Redemptoris, sed excessus ejus divinæ providentiæ celebrando custodiam Angelicam extollere volo. Si mihi daretur optio, vel stare sub custodia Christi, aut Angeli, resolverem quasi potius eligere hanc, quam illam. Intrat Christus hortum olivarum, & à Discipulis abit patrem æternum rogaturus. Et sacri Evangelistæ hic eum tanto mœrore oppressum dicunt, ut cor mœrore exuberans, illum per viscera diffunderet. *Cæpit tædere, pavere, & mœstus esse; tristis est anima mea usque ad mortem.* Unde processerit hic timor, vel mœror scire vellem. Non à morte, nam *oblatus est, quia ipse voluit.* & si hæc fuisset causa dixisset *propter mortem*, & non *usque ad mortem.* Certum ergo est hoc non provenisse ab apprehensione mortis. Sanctus Hilarius dicit: *Non de eo orta est, sed de his, quos assumpserat mœstitudo.* Non de se, sed propter Apostolos angebatur, ne se mortuo Dæmon aliqua tentatione iis noceret. Hinc post primam orationem eos adit, & dormientes excitat: *Vigilate, & orate ne intretis in tentationem.* Orat secundâ vice, revertensque ad Apostolos, eos excitat: *Vigilate, & orate, &c.* Ter orationem repetit, & Angelus ei adest, qui eum confortat: *Apparuit autem illi Angelus, de cælo confortans eum.* Sed quale dedit ipsi confortativum? scio respondere doctissimum Carthusianum: *Confortavit eum, hoc est, verba consolatoria, & confortatoria laude plena loquebatur ad Christum, dicendo: O Domine, tu modò liberaturus es totum mundum: hanc horam, tuamque saluberrimam passionem Prophetæ prænuntiaverunt, & Sancti exspectant in limbo.* Et meus beatus Simon à Cassia subjungit. *Verba fortassis erant de amore paterno, de firma victoria, de resurrectione festina, de gloria post sepulchrum, de conscensione superna, de subjectione cælestium, terrestrium, & infernorum, & his similia.*

Marc. cap. 14.

D.Hilar. serm 31. in Matth.

D.Luc. cap. 22.

D.Dio. Cart ibid. in cap 22. Luc. art. 48 fol. 261.

B Simon de Cassia de Passion. D. lib 13. fol. 734.

Sed quis nescit N. remedium infirmitati, confortativum mœrori correspondere? si Christus angebatur ob Apostolos, ne Dæmon illis noceret, confortativum huic angori quadrare debuit. Credo ergo Angelum Christo solando dixisse. O magne fili Dei, scio te mœstum esse, & anxium ob Discipulos ne a Diabolo debellentur. Sed lætus, ac promptus vade ad mortem, ego illos defendam, meum erit illos curare, sic disparuit Angelus, & Christus consolatus redit ad Apostolos, eosque excitatos invenit. Audite nunc quid iis dicat: *Dormite jam, & quiescite.* Quomodo? antea bis iis præcepit ut vigilarent, nunc mandat ut dormiant? Ita; antea timebat, quia erant sub sua custodia, sed postquam Angelus suam custodiam obtulit, securè dormire possunt. *Dormite jam, & quiescite* Doctissimus Interpres Christum ad propositum nostrum sic loquentem inducit: *Nuper, & si ego custos vestri eram; impensè tamen angebar de vestra salute, & sollicitè prævidebam*

Didac. Mont in

d. cap. 13 nu. 11. §. 24. nu. 113. *incursus Dæmonum: at cùm video vos sub Angeli custodia, securos reputo. Quid? securiores ne sunt Apostoli sub Angeli custodia, quam sub Christi Dei patrocinio?* O exaggerationem! Quid plus potest dici de vigilantia, & promptitudine Angelorum custodum? *Curam illius egit.*

12. Nunc dicendum est de compassione, quam habent, dum nos vident in adversitatem lapsos: *Et videns eum, misericordiâ motus est.* Et vellent omne subsidium ferre. Divina justitia omnes creaturas viventes delere decrevit. Noemo præcipit, ut arcam fabricet, in eamque omnes species animalium introducat. Noe exactissimè quidquid Deus mandavit executus est, cum tota familia, & animalibus cujuscunque speciei arcam intrat, & postea ipsemet Deus arcam clave obserare voluit. *Et clausit à foris ostium Dominus, vel inclusit eum Dominus de foris.* (Gen. c. 7.) Sed cur Deus ipsemet hunc laborem subire voluit? an non Angelo hoc committere potuit? primo possem respondere cum Glossa Morali: (Gl. Moral.) *Inclusit eum Dominus de foris, per quæ significatur quod nullus perfectionem virtutum ingreditur, nec in ea permanet, nisi gratia Dei adjuvetur.*

(Hug Cardinal.) Vel cum Hugone Cardinali. *In hoc innuit nobis Dominus, quod semper est murus, & juvamen suorum.* Verum divus Joannes Chrysostomus opinatur Deum Angelum commissurum fuisse ut mortem feraret, & clavem teneret. Nisi Angelus dum esset visurus hic miseros aliquos natantes in undis, ibi scandentes arbores, hic fugientes supra montes, ibi inclamantes suppetias ne submergerentur fuisset compassione motus, & tot intromisisset, quot arca caperet, clavem ergo Angelo committere noluit. (D. Ioan. Chrysost.) *Ne verba sunt Chrysostomi: indiscretâ pietate commotus aliquem introduceret.*

13. Sed ab aquis ad ignem transeamus: *Duo Angeli* ut executores divinæ justitiæ (Gen. c. 19.) essent ad civitates Pentapoli eos flammis hausturi perrexerunt. *Venerunt duo Angeli Sodomam vesperè.* Cur advenerunt tam tardè, annon erant Angeli? nonnè ergo per brevissimum temporis spatium illud iter agere potuerunt? respondet Lyranus Abrahamum rogasse, ut Deus gratiam faceret; quia ergo Angeli compassione movebantur moras nexuerunt sperantes Abrahamum voti compotem fore, & illos miseros flammis subducendos. *Tantum tardaverunt ut viderent, si parceret terræ propter preces Abrahæ, quia erant Angeli boni expectantes.* (Nicol. de Lyra ibid.)

14. Deus ob gravitatem culparum urbi Jerosolymæ indignatus eam flammis mergere decrevit. Sic prævidit Zacharias oculo prophetico: *Iniquitas domus Israel, & domus Iuda magna est nimis valde, & repleta est terra sanguinibus.* (Zacharias cap. 9.) Idcirco Deus Angelo mandavit, ut ignem urbi injiceret *Ingredere in medio rotarum, & imple manum tuam prunis ignis & effunde super civitatem.* Paruit Angelus Deo, & dum venisset ante rotas, de eo ait vates. *Ille autem ingressus stetit ante rotam* Stetit ideo forsan, quia juxta sanctum Patrem Augustinum, *stare adjuvantis est.* Compatiebatur urbi, eique succurrere voluisset operando, ut Deus pœnam cohiberet. Ideo subjunxit Zacharias: *Et apparuit manus hominis sub pennis eorum.* Hæc est monstruositas esse Angelum, & habere manus hominis. Cur ergo non dicit: *Et apparuit manus Angeli?* Angelicum brachium sit manus humana? perquam maximè. Angelica manus exactè divinas vindictas exequitur, unde si coactus fuisset divinæ obedire voluntati præ compassione voluisset manum humanam ut supplicium leniret: *Angelica manus fortis est, & in puniendo gravis, ideo ut pœnam citra condignum, & leviorem culpam futuram significaret, hominum manum ostendit.* (Mend. fer. 6 Dom. 1. Quadrag.)

15 Omittere nolo, quin eandem Scripturam aliâ ponderatione observem. Zacharias dicit illam manum, occultatam sub alis: *Sub pennis eorum.* Apud Regem otiosorum habere manus absconditas in labore. Idem est, ac inerter, & involuntariè operari: *Abscondit piger manum suam.* (Proverb. 9) Per hoc voluit demonstrare Angelus tantam se habuisse compassionem erga civitatem, ut nisi divina jussio obstaret promptissimè exceptâ castigatione se quodcunque opus aggressurum: *In flagellandis hominibus Angelica velocitas torpescit. Quid plura? manus Angelica, quæ exorta esse solet facta languidior ad puniendum otiatur, ideo apparet sub pennis latens.* (Mend. ubi suprà.)

16. Lia erat turpis, & parum gratiosa. Ideo vilipendebatur, nec erat, qui illam in uxorem cuperet. Tandem per stratagema Laban, Jacobo cessit. Sed quia erat sterilis venustatibus, Deus illam prolibus fœcundare voluit. Post editum ergo in lucem Simeonem; Deo his verbis gratias egit: *Quoniam audivit me Dominus haberi contemptui, dedit etiam istum mihi, vocavitque nomen ejus Simeon.* Dionysius Carthusianus Liam fuisse naturaliter sterilem, sed ob preces ab Angelo custode fusas fœcundatam respondet. Lia dolebat se esse turpem, sed Angelus valde ei compatiebatur, ut dici posset: *Videns eam misericordia motus est.* Ut ergo contentaretur, à Deo ornatum fœcunditatis ei impetravit. *Forsan* inquit Carthusianus *Angelus ejus oravit pro ejus fœcunditate, quasi compatiens contemptui ejus, ejusque aspernationem, qua aspernabatur injustè coram Deo commemoravit, ut impetraret gratiam Dei.*

Nicol. de Lyra ibid.

Gen. c. 29.

Zacharias cap. 9.

Dionysius Car. ap. Io. Haye in Gen. c. 29. v. 33 n. 171

17. Ab Abrahamo Agar cum filio suo Ismaële dimissa fuit. Discesserunt ergo nonnisi pane, & aquâ provisi. Verum aqua in deserto iis defecit, & sitim intolerabilem Ismaëli reddidit. Per plures horas necessitate urgente eam pertulit, demum faucibus arefactis gressus movere non poterat, imo moribundus se brachiis matris commisit, quæ ne videret eum morientem sub umbra arboris eum reposuit, & afflicta abivit. Mater itaque gemuit, & doluit, & filius spirabat, & moriebatur. Sed quis in fundo miseriarum filio agonizanti inter ulnas mortis, & fœminæ afflictæ suam, & filii vitam desperantis solamen præbeat vitale? ô Angelum compatientem miseriis humanis afflictæ apparuit, eamque bono esse animo jussit: Infans non morietur, eum leva, & accipe. Vide illum rivulum, qui suavi murmure quasi voce animatâ te invitat ut eum refocilles, & illâ aquâ vitali eum recrea. Eodem tempore: *Vocavit Angelus Dei Agar dicens: Quid agis? noli timere: Surge tolle puerum, & tene manum illius: quæ videns puteum aquæ abiit, & implevit utrem, deditque puero bibere.* Hæc super verba sic discurrit Fernandez. *Angelus forma visibili apparens, vocat mulierem nomine proprio, & quærit quid agat. Lia (inquit) surge mulier, revertere ad filium, quem reliquisti moribundum, tolle ab humo recentum languidum, semimortuum, leva ut vivat, tene manum ejus. Denique monstravit Angelus puteum, at illa jam à priori perturbatione recreata, ac timore, oculos huc illuc attollens, conspicata est puteum.* Et Dionysius Carthusianus subdit: *Omnia ista erant Angeli consolatoria verba.* O Angelum humanis calamitatibus compatientem? ô Samaritanum gratiosum: *Videns eum misericordia motus est.*

Mend. ser. 6 Dom. 1. Quadrag.

Proverb. 9

Gen. c. 21.

Mend. ubi suprà.

Fernan. in Gen. ibi sec. 2. §. 13.

18. Hanc primam partem conceptus sancti Panthaleonis Diaconi claudere volo. Deus crimen Adami hac pœna flagellavit: *In sudore vultus tui vesceris pane tuo.* Adamus hanc sententiam quo ad substantiam quidem intellexit, sed non quo ad modum. Hinc eum quidem fames torquebat, sed quomodo decretum Dei executurus victum sibi procurare deberet, non scivit. Sed Angelus ejus custos, ejus Samaritanus: *Videns illum misericordia motus est*, & illum terram colere, serere, & metere docuit. *Adam è paradyso ejectum fraude Dæmonis, Angelus direxit: & eum terram ligone docuit colere, seminare, & metere, ut qui ex injuria ei contigerat lapsus post laboriosam, & Deo gratam vivendi rationem, rursus corrigeretur.* Sed quia Angeli suâ oportunâ promptitudine nos consolantur, ego mea importuna prolixitate vos molestare nolo. Quiescamus.

Gen. 3.

D. Pan. Diac. apud Vegam in ap. com. 1. sec. 17. c. 12.

ALTERA PARS.

19. Quod homo sit inferior Angelo non est dubium. *Minuisti eum paulò minus ab Angelis.* Hæc sic explicat Remigius Antisiodorensis: *Quantum ad humanam naturam, quia mortalem fecisti, quia passibilem.* Quomodo ergo vult divina providentia, ut creatura superior vigilet, & parata sit ad custodiam, & servitium inferioris? Angeli ad nutum Dei hærent, & sine respectu propriæ dignitatis, & excellentiæ paratissimè voluntatem Dei nos custodiendo exequuntur.

Ps. 8. Remig. Altis. To. 9 p. 2. Bibl. ve. Patrum. f. 644.

Apostolus ad Corinthios scribens sic dixit: *Cum tradiderit regnum Deo Patri, cum evacuaverit omnem principatum, potestatem, & virtutem.* Hunc unum è difficilioribus lo-

1. Cor. c. 15

Lyran. Dionys. Carth ibi, & D. Tho. apud eund.

cis Apostoli putem. Eum examinemus. Lyranus cum Dionysio Carthusiano, & Doctore Angelico per hos principatus, virtutes, & potestates intelligit Angelos. Per τὸ eum, quod connotat tempus, S. Augustinus judicii diem intelligit. Voluit ergo dicere Divus Augustinus juxta expositionem Carthusiani. *Cum in die judicii cessare facies Deus Angelos ab officio id est custodiendi homines.* Sed quid eveniet cum *evacuaverit*? vel cum sancto Ambrosio *si aboleverit, exinaniverit*? Angeli erunt annihilati. Ego hoc non intelligo, cum pro certo sciam, quod sint incorruptibiles, & æterni ab intrinseco. *A parte post.* Multo minus id potest intelligi de gratiâ in quâ fuerunt confirmati, & qualem non possunt perdere. Hinc Doctor Angelicus. *In ordinibus Angelorum duo pensantur, videlicet distinctio, seu gradus perfectionum secundum differentiam naturæ, & gratiæ, & quantum ad hoc, ordines Angelorum nunquam cessabunt, quia natura eorum non corrumpetur, nec gratia auferetur.*

D. P. Aug. 1. de civit. Dei. D. Ambros.

D Th. in P. P. & ap. Dionys Cart in Epis 1. ad Cori. c 15 ar. 15. L. B

Secundario potest considerari executio officiorum, quæ ipsis imposita sunt, & hæc post diem judicii cessabunt Omnia bene, sed quomodo cessante custodiâ erunt vera illa verba, *evacuaverit, exinanierit, aboleverit?* quidam Turanejus, qui per plures annos officium advocati laudabiliter peregit, cum esset senex à Cajo Cæsare depositus fuit, ut tamen ipsum honoraret laureola ipsum donavit. Verum tantum dolorem ex inde hausit, ut domum rediens conclave intraret subterraneum ut in eo velut in sepulchro degeret, imo à servis velut mortuus plangi voluit. Nil aliud dicere intendit, quam quod dum sibi officium fuit ablatum se defunctum censuerit. Hoc credo voluisse dicere sanctum Paulum dum custodia Angelorum in die judicii expirabit, adeo affligentur, ut si essent mortales, non solum morerentur, sed se annihilatas dolerent. Hinc ille doctus Hispanus his verbis, quæ latina reddo, concludit *Si Angeli possent mori, morerentur præ dolore videntes tempus esse absolutum, quo custodire homines iisque benefacere possunt.* Ex hoc concludere possumus quam prompti sint Angeli ad nos custodiendos, esto sint nobis digniores, & nobiliores.

Ioan. Pin. tom in Ec. c. 14 & to. 1 to. 2. fol. 556 n. 1.

20. Imo gaudent, quia nos custodiunt. Dum Tobias filium suum vellet amandare ad Medos, ut ad Agabelo summam decem argentorum talenti reciperet, voluit ut prius per urbem iret, & vice ducem, atque comitem quæreret. Filio per urbem discurrenti Angelus se obtulit, & se fideliter eum ex patria ducturum, & reducturum incolumem promisit, & dum senex Tobias interrogaret. *De qua tribu, aut de qua domo es tu?* respondit. *Ego sum Azarias Ananiæ magni filius.* Si eum interrogavit, cujus esset familiæ, & tribus, cur dixit se esse Azariam? hoc nomen Azarias significat, *auxilium Domini, vel auxiliator.* Dicere voluit. De nulla alia re glorior, quam quod sim à Deo deputatus adjutor hominum. In hoc sola mea gloriatio consistit. *Figurate respondit*, ait Comestor, *quoniam Azarias adjutor interpretatur, quod Angelis competit, qui sunt administratori spiritus.*

Tobias c. 5

Commest. ap Ben. Mend f. 6. Dom. 1. Quad. c. 3. f 52. c. 1.

21. Et jure debetur Angelo hic titulus *Azarias*, vel adjutorium divinum, quia in omni occasione succurrere, & auxilium nobis præbere studet. Hinc Divus Bernardus *Quid sub tantis custodibus timeamus? nec superari, nec seduci, minus autem seducere possunt, qui custodiunt nos in omnibus viis nostris, fideles sunt, prudentes sunt potentes sunt.*

D Ber. ser. 12. in ps. Qui habitat.

Sanctus Cæsarius scribit Angelos nullum subsidium omittere quod pertinet ad salutem animæ nostræ: *Ministrant Trinitati, & nobis, huic quidem, ut erga Deum par est, servientes, nobis vero præstantes ea, quæ ad salutem nostram necessaria certo consilio ipsis ab ea mandantur.*

D Cæs. Dial 1. q. 44.

Sanctus Paschasius asserit illos nostras preces ad Deum deferre, eique nostra desideria pandere, ac rogare, ut nos exaudire dignetur. *Nemo mortalium adhuc in carne peccati per se dignus est; idcirco provisum est à clementissimo Deo, ut per manus Angelorum vota perferantur hominum, & preces ad ipsum æternum invisibilem Deum ambitiosè, & quicquid minus est nobis in natura, fiat acceptum sacrificium nostrum ex Angelico famulatus.* Abulensis ait, eos in nostris itineribus comites esse, ac ab omni infortunio defendere: *Angeli dirigunt vias nostras tollendo nocumenta, quæ magis accidere possunt in itineribus, quam cum manemus in civitatibus.*

D. Pasch. l. 8 in c 17. D. Matt.

Jonas Aurelianus perhibet illos nobis in

in omni loco auxilium necessarium præstare: *Vbique nobis frequenter Angeli Dei auxilia præstant.*

Cajetanus dicit, quod serviant nobis pro scuto, ad omnes insultus hostiles reprimendos, sicut repulerunt à Jacobo impetus Esau: *Apparebant ad justitiam tuendam Iacob, imo ad manifestandum ei, quod Angelus Dei justi judicis tanquam exercitus sit, & fuerunt ei præsidio adversus Esau.*

Beatus Laurentius Justinianus comparat illos excubitoribus urbium, qui ab omni imminente periculo nos defendunt: *Quis non ineffabili quondam exuberet gaudio, cum revolvit mente sanctorum adjutorium Angelorum, qui sine fatigatione, atque intervallo exubias celebrant super plebem Dei, cujusque fidelium.*

Laur. Iust. in fascic. amoris c. 17.

Remigius Episcopus Antisiodorensis dicit nos ab illis confortari in nostris miseriis, sicut Salvatorem in horto Olivarum corroborarunt: *Hæc confortatio non fuit ad necessitatem, sed ad servitutis exhibitionem, fuit enim ad nostram doctrinam, quia unusquisque fidelium habet Angelum confortantem se in bonis operibus.*

Remigius Antis. in ps. 90. t. 9. p. 2 Bib. vet pa.

Sanctus Pater Augustinus affirmat eos pro nobis pugnare contra Dæmones, & victoriam obtinere, & in omnibus actionibus nostris ab illis nos doceri: *Ipsi sunt, qui pro nobis contra Dæmones pugnant, & victoriam obtinent, ipsi sunt, qui valde nos diligunt, nos ubique instruunt, in cunctis nos protegunt, nostrum adventum exspectant ad cœlum, & sedes paradysi nos repleri affectum, ipsi sunt sanctissimi spiritus, qui nobis dormientibus custodes adsunt.*

D. August. ser 46. ad frat in Erem.

Sanctus Panthaleon Diaconus astruit, quod si per divinam misericordiam animæ nostræ in purgatorio destinentur, culpas in hac vita commissas expiaturæ, Angelos illas comitari, sæpe illas visitare, consolari, admonere ut illas pœnas atrocissimas patienter tolerent, & pœnis solutis, cum jubilo, & gaudio ad divinam majestatem perducere: *Hi etiam cum ex hac vita migramus nobis assistunt, & animas nostras comitantur si in purgatorium tendant, easdem ibique sæpe visitant & consolantur; si autem ad cælum tendant animæ sanctæ mira quadam occultatione, & jucunditate eas præcedunt, & conspectui offerunt divinæ majestatis.*

D Pant. in ded S. Mic. Basil.

21. Ergo ô devoti monitionem Divi Bernardi acceptemus, & in omnibus nostris necessitatibus ad Angelum custodem recurramus. *Quoties ergo gravissima cernitur urgere tentatio, & tribulatio vehemens imminere, invoca custodem tuum, ductorem tuum, adjutorem tuum in oppertunitatibus, in tribulatione, inclama eum, & dic Domine salva nos, perimus.*

D. Ber. ser. 12. in psal. Qui habitat.

Et sicut Samaritanus specialem egit curam hominis Evangelici à latronibus in terra fermè exanguis relicti, sic non minorem habebit curam Angelus, ut nos in nostris viis custodiat: *Curam illius agit*, ô Samaritanum Amoroson! ô Custodem vigilantem; ô Angelum compatientem!

Merito ergo ipsi attribui potest lemma, quod in scuto Mirtillus, dum in bello ab hostibus fuit servatus, & à naufragio fuit liberatus depinxit. Ut ergo vitam servatam scuto tribueret hoc lemma subscripsit.

Cum premererque solo, cum premererque salo.

Andr. Alcia. Embl.

Vel auxilium nunquam deficiens Cum ergo tot beneficia quotidie ab iis recipiamus vos exhortor, ut quolibet mane, & vesperi hac oratiuncula illos salutteis dicendo.

Angele Dei, qui custos es mei; me tibi commissum pietate superna, hodie illumina, custodi, rege, & guberna.

DOMI-

DOMINICA DECIMATERTIA

POST PENTECOSTEN.

Cum ingrederetur IESVS quoddam castellum, occurrerunt ei decem viri leprosi, qui steterunt à longè, levaverunt vocem dicentes &c. Luc. 17.

ARGVMENTVM.

Ostenditur, quod peccatores à justis, & sanctis debeant degere separati, quia societas prava est periculosa.

1. DUm inter confinia Galilææ, & Samariæ salvator hinc inde discurreret, & velut copiosus, ac fœcundus fons aquas salutiferas gratiarum diffunderet; nunc cæcos illuminando, nunc infirmos sanando, nunc surdis auditum nunc mutis loquelam, nunc mortuis vitam donando, quis N. non obstupescat, si decem leprosi sanitatem desiderantes ad Christum non accedant, nec personaliter eum adeant, sed à conversatione hominum separati degant, cumque solâ voce rogent ut ad eos accedat? *steterunt à longe, levaverunt vocem dicentes: IESV præceptor miserere nostri.*

O inurbani, & rustici leprosi, quis hic est modus procedendi? an sanitas vobis cordi non est? an à filio Dei curari non optatis? cur ergo in propriâ persona eum non aditis? lepra vos non excusat, quia totaliter non impedit, quo minus eum adire posseris? an forsan pigritia, & tædium laboris superat vestrum desiderium, quo sanari cupitis? non quia occurrunt ei; cur erga vos aliis non ingeritis, sed à tam multis, qui eum sequuntur, sequestrati estis? *steterunt à longè, & levaverunt vocem dicentes: IESV præceptor miserere nostri* Non est dubium N. si per pigritiam, aut negligentiam hunc defectum commisissent non eundo in propriâ personâ ad Christum eumque rogando eos vituperio dignos, & sanatione indignos fore, sed lex in Levitico reperitur, quæ eos arcebat, & prohibebat: *Leprosus omni tempore quo leprosus est, & immundus solus habitabit extra castra.* Sic Procopius: *Leprosi juxta legem immundi sunt, & à communi policia separantur.* Et causam dat Glossa Angelica dicens: *Ne tabes in alios diffundatur*, & ut advertit D. Augustinus: *Ne dum lepra serpit, sani inficiantur: ne contagione pestifera plurimos perdat.* Et Ludolphus Carthusianus concludit: *Ritu legis Mosaicæ leprosi immundi erant, & ab oppidis, & urbibus exclusi, nec poterant cum aliis commorari, ideo steterunt à longè quia non debebant appropinquare hominibus ne eos inficerent, eo quod lex Iudæorum lepram immundam non tangendam judicat.* O legem sanctam! ô præceptum salutiferum pro bono communi!

Levit. 13.

Procop. in lib. 2. Regum c. 3.

Aug. in Regulam.

Ludolp. in c. 17. Luc.

Quis non scit lepra peccatum, & leproso peccatorem denotari? ad hujus confirmationem Petrum Blesensem; Theodoretum, & Guerricum Abbatem legite: hinc si leprosi à sanis procul abfuerunt, peccatores ab illis, qui habent sanitatem animæ, & sanctitatem vitæ procul abesse debent. *Ne tabes in alios diffundatur, & ne contagione pestifera plurimos perdat.* Prout in præsenti discursu videbimus. Materia omnibus est utilissima, & consequenter vestra attentione digna: vos solito vestro favore mihi faveatis, & ego debita brevitate vobis serviam, & ordior.

Petrus Blesensis Epist. 3.

Theodoret. q. 10 in Exod.

Guer. serm. 4. in Epiph.

PARS

PARS PRIMA.

Steterunt à longè.

2. SI peccatores non velint à te sequestrari, tu te ab iis sejunge. Qui frequentat commercium malorum seminat zizania malitiæ, sed fugiendo eorum societatem flores meritorum colligit, qui pravorum societati se ingerit, præcipitia, & ruinam invenit, sed si eos vitet per gradus bonorum operum ad verticem vitæ perfectæ ascendit. O Christiane audi monitum Senecæ.

Senec. in Hyppo.

Non alia magis est libera, & vitio carens,
Ritusque melius vita, quæ priscos colat.
Quam, quæ relictis mœnibus sylvas amet.

Levit. 15. Procop. in lib. 2. Regum c. 3. Aug. in Regulam. Ludolp. in c. 17. Luc.

Idem Epist. 7.

Ab homine probo idem interrogatus, à quo deberet cavere, ut benè viveret, respondit. *Quid tibi præcipuè vitandum existimas, quæris? turbam nunquam illi tu te commiseris inimica est multorum conversatio, nam aut aliquid vitii nobis ingerit, aut commodat, aut imprimit, quo major est populus cui miscemur, hic periculi plus est,* & postea in libro suorum moralium subdidit: *solitudinem quærat, qui vult cum innocentibus vivere; optimus animus, & pulcherrimus Dei cultor est.* Pyrrhus interrogatus, quid ageret? respondit: *Meditor esse probus.* Ad quod addidit Laërtius: *Sciens adhoc esse utilem solitudinem; & inutilem turbam* Pythagoras: non nisi se uno anno fuisse fœlicem, quo in subterraneâ speluncâ habitavit, confessus est; Thimonem Nicæum solitudinis amatorem fuisse scribit Laërtius: A Chrysostomo informationem accipite, qui per similitudinem gratiosam arboris juxta viam plantatæ vobis dicet: *Sicut difficile est arborem juxta viam positam fructus usque ad maturitatem servare: sic difficile est virum juxta hunc mundum viventem justitiam immaculatam usque ad finem tenere. Recede ergo de viâ, & planta te in loco secreto, ut nec mundus tecum habeat aliquid commune, nec tu cum mundo.* Similiter dixit Ecclesiasticus: *qui tetigerit picem inquinabitur ab ea.* Et alius subjunxit.

Idem in mor.

Laert.

Petrus Blel. Epist. 3. Theodoret. q. 10 in Exod. Guer. serm. 4. in Epiph.

D. Chrys. in Matt.

Eccl. 13.

Ovid.

Morbida facta pecus totum corrumpit ovile,

Et Cato.

Cato.

Cum pravis ambulas tu quoque pravus eris,

Eo modo quo aquæ dulces mari influentes in amaram salcedinem migrant, & unica vox dissonans totum chorum turbat, & unicum solum membrum infectum totum corpus cantaminat nec aliud medium est, quam illud abscindere, juxta consilium Ovidii.

Ovid.

—— Immedicabile vulnus
Ense recidendum est, ne pars sincera trahatur.

Hinc lex imperialis Gubernatoribus sic præcipit: *Præses provinciæ debet purpurare provinciam malis hominibus.* Lepra peccati, ut quidam dixit Philosophus sui ævi celeberrimus, valde similis est contagioni. *Contagio vitium est quoddam, quo ex alterius contactu simili vitio ægrotantis contrahitur, vel aere ambiente, vel fomite mediante: primum efficitur, si quis vestimenta, vel alia infecta contrectet; hæc enim perosa cum sint, facilè habitum recipiunt.* Hinc qui degit inter pestiferos difficulter sanus manet. Idem judicari, & concludi debet de justo; cum peccatoribus conversante. Idcirco ait Seneca: *Serpunt vitia, & in proximum quemque transiliunt, & contactu nocent, itaque ut in pestilentiâ cavendum est, ne corruptis jam corporibus assideamus, quia pericula trahemus, & afflatu ipso laborabimus.* Verum namque est quod ait S. Isidorus: *Ante ignem consistens etiamsi ferreus sis aliquando dissolveris.* Si Æliano, & experientiæ credimus: pennæ aquilæ aliarum avium pennas contiguas consumit.

Lege congruit ff. de off. Præsid. Zoroas Tinel. de monte Ilaë consul 34.

Senec. lib. 1 de tranq. c. 7.

Isid. lib. 2. Soliloq. Ælian l. 9 Hist. animal. c. 2.

3. Inter antiquos Philosophos famosæ Græciæ, quidnam in orbe esset difficillimum superatu, propositum fuit, & variæ fuerunt responsiones datæ. Aristippus omnium sapientissimus surgens, animum suũ prudenti dicto apperuit: ego censeo nil esse difficilius, quam *virum probum inter improbos probitatem servare.* Id evidentiâ scripturarum probemus.

Arist ap. Strob ser. 35.

Vates, & magnus servus Dei Isaias quadam vice à se servatum silentium, dum loqui debebat ingemuit. *Væ mihi, quia tacui.* & rationem addidit: *Quia vir pollutus labiis ego sum.* Cum esset adeo Deo charus, & gra-

Isai. 6.

gratus: unde hæc immunditics processerit, non adeo faciliter sciri potest. Forsan diceris eum locutum ex humilitate; sed id falsum est, verè enim locutus est; non miror, quia in scripturâ legi, & ipsemet dixit: *Et in medio populi polluta labia habentis ego habito* Conceptus est Nicolai Anapi Episcopi Bizantini *Cum dixisset Isaias vir pollutis labiis ego sum, causam insinuans subdit; in medio populi polluta labia habentis ego habito.* Et tamen erat maximus sanctus illius temporis.

Nicol. Anap. de societat malorum fol. 252.

4. Cain impius contra innocentem fratrem rabie agebatur, eum secum duxit ad agrum, & manu nodoso baculo armata, absque eo, quid illi palpitaret cor, vel minimum vacillaret dextra proditoriè eum percussit & occidit; hinc sanguis è vulneribus profluens, terramque inundans, spiritibus fumantibus, & fumis spirantibus ebulliendo, & spumando, clamabat, & à cœlo vindictam postulabat: nam ideo ei dixit Deus: *Vox sanguinis fratris tui Abel clamat ad me de terra.* N Non adeo demiror scelus Caini, quam sanguinem Abel vindicativum, cum de sanguine Christi, & S. Stephani legatur; *Pater ignosce illis: Domine ne statuas illis hoc peccatum.* Quomodo ergo sanguis justi Abel clamat de terra ad Deum?

Gen. 4. Luc 23. Act. 7.

5. Ut resolutionem hujus facti habeamus gressibus meditationis ab Abele justo ad Christum innocentem, à Caino percussore ad Joannem præcursorem, à sanguine Abel, ad aquas Jordanis transeamus. *Venit Iesus à Galilæa in Iordanem ad Ioannem, ut baptizaretur ab eo.* Christus vult baptizari? quodnam est hoc paradoxon; cum effectus principalis baptismi sit, delectio peccati originalis, & actualium si sit opus, collatioque gratiæ, & Christus non contraxit peccatum originale, nec lactuale commisit, habueritque plenitudinem gratiæ, cur ergo vult baptizari? res quæ & ipsum Joannem in stuporem egit; nam ideo dixit: *Ego à te debeo baptizari; & tu venis ad me?* hinc Paschasius: *Expaverat eum ad se venisse, cui nulla inerat baptizandi necessitas, eo quod ipse tolleret peccata mundi sicut jam idem testatus fuerat.* Et S. Maximus respondet: *Vt sanctificaret aquas.* Huic opinioni etiam subscribit S. Pater Ambrosius: *Ideo baptizatur Christus, non ut sanctificaretur ab aquis, sed ut ipse aquas sanctificaret, & purificatione sui purificet fluenta illa, quæ tangit.* Et en aliam difficultatem. Quando unquam aquæ fuerunt maledictæ, ut re benedici, & resanctificari debeant? ego aquas non secundum se, & immediatè, sed per accidens, & ratione alterius maledictas puto: in principio mundi fuit maledicta terra: *Maledicta terra in opere tuo.* Aqua terræ semper vicina est, & conjuncta; atque terræ maledictiones participat, & ideo sic concludentibus citatis scriptoribus *baptizatus est Christus, ut aquas sanctificaret.*

Matt. 3. Paschas. l. 2 in Matt. in bib. pat. tom. 9. D. Max. hom. ... in Epiph. Iansen. in concord. Evang c. 14. Gen. 3.

6. Hoc modo solvitur alia difficultas de sanguine Abel, qui supplicia, & vindictem à cœlo urgebat: *Vox sanguinis fratris tui Abel clamat ad me de terra.* Propter hominem terra maledicta fuit, & ut se vindicaret in damnum hominis spinas, tribulos, lapides, & ferrum produxit, terræ innatabat sanguis, terræque se commiscuit, & vindicativus est factus per accidens: hinc observat S. Ambrosius Deum dicere sanguinem clamasse à terra, ac si è proximitate cũ terra redditus fuisset vindicativus; *Non dixit clamat ad me de vulnere, sed clamat ad me de terra, & si frater peperit, terra non parcit, si frater tacet, condemnat.*

Gen. 4. Amb. l. 2. de Abel & Cain c. 9.

7. In confirmationem illorum, quæ hucusque dixi de sanguine Abelis, considerandos effectus sanguinis Christi vobis propono. Rupertus Abbas: sanguinem effusum in cruce misericordiam, & veniam rogasse crucifixoribus testatur. *Pro omni mundo interpellat, & universorum peccata excusat, ipsos quoque, qui fuderunt illum ad pœnitentiam invitat.* Idem confirmat S. Paulus: *Accessistis ad novi Testamenti mediatorem Iesum, & sanguinis aspersionem multo melius clamantem quam Abel.* Et merito multo melius clamabat sanguis Christi, quam Abel, quia sanguis hujus justitiam, illius pietatem rogabat; hortum Gethzemani intrat filius Dei, & in oratione patri adgeniculatus stillas sanguinis sudavit, *Et factus est sudor ejus, sicut guttæ sanguinis decurrentis super terram.* Idem Rupertus: hunc sanguinem Christi mortem sollicitasse affirmat: *Verè*

Rupert. l. 4 in Gen. c. 6. Heb. c. 12. Luc. 22.

Rup lib. 12 de vict. verbi c. 12

Verè tantum miraculum sudoris non otiosum fuit, quia contra infelices, & impios homicidas Iudæos, in præsagium Iudicis terribilis, & vindictæ horribilis in terram decurrit. Sanguis redemptoris in cruce, quantum differt à seipso in horto? in cruce petit veniam, in horto vindictam. Ne miremini N. quia *decurrebat super terram*, ut dictum est, unitus est terræ vindicativæ, & factus est vindicativus: *In præsagium vindictæ horribilis in terram decurrit.*

8. Quam sit periculosum, & nocivum commercium cum malis à S. Petro interrogate Ego principem Apostolorum in quatuor locis scilicet in Cæsareâ, Cœnaculo, horto Gethsemani, atrio Pontificis considero: in primo loco Christus discipulos, quid sentiant de sua persona interrogat; *Quem dicunt homines esse filium hominis?* & respondent; *Alii Ioannem Baptistam, alii Eliam, alii verò Ieremiam, aut unum ex Prophetis*: sed S. Petrus omnes anteit, & liberè eum filium Dei confitetur; *Tu es Christus filius Dei vivi.* Melius loqui non poterat. In cœnaculo Apostolis salvator prædicit; *Omnes vos scandalum patiemini in me in istâ nocte.* Petrus surgit, & à se nullatenus deserendum magistrum, imo se ad carceres, & mortem paratum esse jactat: *Tecum paratus sum in carcerem, & in mortem ire* Magno animo pollet S. Petrus. In horto Gethsemani dum milites Christum captivum ducturi accurrunt, Apostolus quendam in particulari scilicet Malchum videns malè præ cæteris tractare suum magistrum, gladium exerit, eique auriculam præscindit, *Simon ergo Petrus habens gladium, eduxit eum, & percussit Pontificis servum, & abscidit auriculam eius dexteram.* O discipulum generosum? qui defendendo Domino non timet copias armatas? demum in aula Principis sacerdotum, cum multis igni astat ad se calefaciendum, & à quadam ancillâ interrogatus, num assecla esset Christi? apertè id negavit: *Mulier non novi illum.* Alius subjunxit: *Et tu de illis es*: & ille rursus negativè respondet *O homo non sum.* Fermè omnes ex voce, & accentu Galilæo eum notum asserebant; *verè ex illis es, nam & Galilæus es.* Et teste D. Marco. *Cœpit anathematizare, & jurare, quia nescio hominem istum, quem dicitis.* Quantum Petrus à seipso abit. *Quantum mutatus ab illo?* in partibus Cæsareæ liberè eum filium Dei agnoscit; in cœnaculo constanter se profitetur fidelem; in horto Gethsemani generosè eum defendit, & tandem in Palatio pertinaciter eum negat. Antea intrepidus, nunc meticulosus, antea generosus leo, nunc timidissimus lepus, dic ô Petre, qualis est hæc mutatio? primo verax, & fidelis, postea blasphemus, & infidelis? N. verba Petri observari debent; *Tecum sum paratus in carcerē, & in mortem ire,* quasi diceret: quādiu tecū ero, constans in tui amore & fidelitate manebo, *Tecum paratus sum* Sed dum fuero inter malos impossibile erit, ut bonus conserver. Dego inter gentem, quæ te blasphemat, & quæ te filium Dei esse non credit, ergo & te nego, & te blasphemo. Audite Glossam Ordinariam: *Quam noxia pravorum colloquia inter infideles homines se negavit nosce, quem inter condiscipulos jam filium Dei fuerat confessus Si à longè stetisset eum non negasset*; id confirmat Archi-Episcopus Constantinopolitanus? *Petrus existens cum discipulis in nocte cœna Domini; multum erat audax, & securus: cum autem venit ad atriam summi sacerdotis Dominum ad vocem unius ancillæ negavit,* totum, commercio pravorum asscribitur.

Matt. 16. — Matt. 26. — Ioan. 18. — Luc. 22. — Marc. 14. — Gloss Ord. in cap. Euch. 22. — Nicol A-nap de societ multorum fol. 253.

9 Dic, quid bonus agendo cum malis proficere potest, forsan eos convertere sperat? miror, imo levi negotio pervertetur bonus: *facilius est,* verba sunt Gregorii Nazianzeni, *vitium contrahere, quam virtutem impertiri, quemadmodum etiam facilius est morbo alieno infici, quam sanitatem largiri* Et D. Joannes Chrysostomus: *Rerum natura sic est, ut quoties bonus malo conjungatur non ex bono malus melioretur, sed ex malo bonus contaminetur* Cum his agendo non lucramur, sed multum perdimus.

Greg. Nazian. — Chrys in Matt.

10. In sacrâ Genesi Moyses loquitur de illo serpente, qui insessus à Diabolo matrem Evam seduxit; & ubi septuaginta legunt: *serpens erat prudentissimus bestiarum,* & Paraphrasis Chaldæa vertit. *Serpens erat sapientior cunctis bestiis agri* Nostra vulgata substituit. *Serpens erat callidior cunctis animantibus terræ.* Sed quomodo sapiens, & prudentia transiit in astutiam? quomodo sapiens virtuosus migravit in vitiosum?

Gen. 3.

Rupert. Abb. Eucher. lib. 1. in Gen. to. 5. Biblioth. vet. PP. Rupertus Abbas, & Eucherius Lugdunensis Episcopus respondent. Diabolum tentandæ Evæ serpentem invasisse, & has miras metamorphoses causasse. Audite Eucherium *Non ex sua natura (serpens erat callidior,) sed ex diabolici spiritus inflatione, qua in illo erat, & per illum dolum agebat: utebatur enim serpente diabolus, quasi organo ad perpetrandam calliditatis suæ malitiam.* Pererius, & A- *Perer. lib 6 disp. 1. fol 608. Abul ibid q. 1. lit. B.* bulensis ejusdem sunt sententiæ. *Subintraverat vero serpentem, sunt verba Tostati, ut in eo verba formaret, & ut vult magister in historiis scholasticis accepit Diabolus quoddam genu serpentis, quod rectè incedit, & adhuc dicunt quosdam serpentes directos incedere, quos Pharias vocant, & dicit, quod ille serpens habuit vultum virgineum, ut magis Evæ complaceret.* Eadem *Aug. l. 11. in Gen. c. 29.* est doctrina mei S. Patris Augustini. *Astutissimus omnium bestiarum dictus est serpens, propter astutiam Diaboli, qui in illo, & de illo agebat dolum.* En conclusionem Ruperti Ab- *Rup. Abb. lib. 3. in Gen. c. 2.* batis: *sciendum, quod serpens antequam fieret organum diaboli ad perditionem hominis sapiens vel prudens poterat dici; postquam autem prudentia ejus malitiæ Diaboli conjuncta est, & opportunum ministerium mortis præbuit, callidus, & nequam, sive versipellis rectius potest nuncupari.* Nunc serpens videat lucrum, quod ex familiaritate cum Dæmone retulit: antea erat sapientissimus, & prudentissimus, nunc callidus nequam, & versipellis.

11. Dum gratiosus magister cum discipulis in cœnaculo ageret, Judæ dixit: *Quod facis fac citius.* Juda proditionem, quam corde concepisti, quantum est possibile accelera; Christus stimulat Judam ad traditionem? Domine, an non sufficit, quod ad hunc actum coopereris permissivè, sed & concurris consultivè, imo imperativè, obfirmatione januæ potius ejus exitum impedire, eumque detinere debebas: vix discipulus ingratus pedem extulerat, *Ioan. 13.* *cum ergo exisset.* Et illico *dixit Iesus nunc clarificatus est filius Dei,* nunc? dum Judas abiit? ergone ante abitum proditoris non erat clarificatus?

12. S. Evangelista Matthæus successus supremo Judicii die eventuros recensens *Matt. 25.* peccatores ab Angelis in orcum deturbandos dicit: *Et mittent eos in caminum ignis, ibi erit fletus, & stridor dentium.* Et postea subdit, malis remotis, justos instar solis micaturos. *Tunc fulgebunt justi sicut sol.* Ego quale obstaculum peccatores posuerint, ne justi relucere possint, imo eorum splendor obfuscetur scire desiderio. Dicat id Joachim Abbas. *In Apoc. c. 21. tex. 15* *Separatis injustis de medio justorũ, fulgebunt justi sicut sol, quia nimirũ non potest dies esse in perfecto splendore, quamdiu pars aliqua tenebrarum lucis crepusculum obfuscando denigrat, sed quomodo discedentibus tenebris dies clarus effulget, ita detrusis impiis in inferno fulgebunt justi.* Idem argumentum de Christo in cænaculo, dum Judas in ejus, & Apostolorum societate erat, formare possumus. Judæ nigredo eorum claritatem inumbrare videbatur, sed dum exivit, & pedem extulit, tunc clarificatus est filius hominis, & ut scribit S. Pater Augustinus: *Aug. tract. 63. in Ioan c. 13.* *Exit Iudas, & clarificatus est Iesus, exit filius perditionis, & clarificatus est filius hominis, exeunte immundo omnes mundi remanserunt.* Doctrinæ S. P. Augustini quidam Auctor modernus accinit: *Celada de bened. Patriarcharum c. 1. v. 1. §. 13.* *Non satis glorificatus est Iesus, quia adhuc est Iudas in ejus contubernio, adhuc non satis clarificatus est Christus, quia in ejus collegio adhuc Iudas numeratur: cũ autem abscedit, & Iesuanæ societatis exgrex fit, sic Iesus cum suis exinde gloriosus effulsit.*

13 Ego cur inter Apostolos solus Judas avaritiæ furtis, proprii lucri commodo, irretitus fuerit quæ omnia sunt vitia enormissima, quæ homo patrare possit scire velim. Erat discipulus Christi sicut & alii, agebat cum bonis, exempla sanctitatis videbat in suo magistro. Dum omnes alii paupertatem, & virtutes amarent, cur Judas totum contrarium facit? si fuisset natus princeps inter delicias nutritus, auro & argento dives, hæc omnia transire potuissent; nam vita Christi, & Apostolorum eum dedecuisset, sed erat pauper, miser, vilis, filius sutoris, ergo suo statu, & vitâ Apostolica contentus, abstinereque à furtis, propriis lucris, & avaritiâ, debuit. Pater Labata causam affert. Dum eum dispẽsatorẽ collegii Apostolici fuisse asserit. Ratione ejus officii cũ opificibus, & institoribus à quibus, vel accipiebat eleëmosynã vel victui, & vestitui necessaria emebat, agere debuit. Hi cũ essent avari, fures, proprio lucro dediti (de bonis non loquor) quid miri si Judæ imperfectiones eædem adfricatæ

catæ sint. Agens cũ claudo, claudicare discit. *Ea qua ab avaris hominibus desumpsit, ita prævaluêre, ut ex sancto Dei Apostolo fur, & proditor, & divinæ majestatis evaserit reus propter lucrũ triginta denariorum; quia scilicet potiùs lucrari à mercatoribus didicerat, quam paupertatem à condiscipulis suis* Præterea Christus timens ne post mortem Judas supervivens, cum Discipulis ageret, ut antea egit, sicque ejus defectus reliquis affricarentur, nonnisi Judâ suspenso, in cruce mori voluit, ut de hoc certus esset. Sic beatus Isaias Abbas: *Nec Dominus IESVS prius ascendit in crucem, quam Iudam expulisset è medio Discipulorum.*

Zabata Tom. 1. verbo societas prop. 2.

Orat. 22. de opere hom. novi.

14. Abraham, & Sara, Isaacum, & Ismaëlem convivere noluerunt, *ejice ancillam, & filium ejus.* Sed si erant fratres, cur sejunguntur? dixit namque Vates: *Ecce quam bonum, & quam jucundum habitare fratres in unum.* Nostrum Salvatorem noluisse esse arbitrum in divisione bonorum inter duos fratres scio, ne occasionem sese separandi haberent; hinc requisitus respondit: *Quis me constituit judicem, & divisorem inter vos.* Cur ergo Abraham hos duos in eadem domo non patitur? respondet D. Bernardus. Per Ismaël peccatores, per Isaac justos intelligi, & quia hi non benè junguntur, eos separavit. *Optimè igitur* (sunt verba cujusdam moderni) ait: *Sara filium ancillæ non futurum hæredem cum libera, quia nulla inter justos, & injustos potest esse conventio.* Et Lyranus. *Percepit quod esset pronus ad luxuriam, & timens ne ad similia induceret filium suum Isaac nunciavit ista Abrahæ petens, ut Ismaelem ejiceret* Et Thomas Angelicus. *Populus illo tempore erat cultor Dei, principaliter servandus, & propagandus: erat de solo Isaac nasciturus; illi autem populo erat valde nociva, & periculosa commixtio cæterorum, si starent cum eis, ut concives, & cohæredes, quia tunc de facili scinderent, & corrumperent veritatem divini cultus.* Omnes concludunt hos duos quantumvis fratres non benè convixisse, quia Ismaël malus facillimè sanctitatem Isaac contaminasset.

Gen. 21.

Psal. 132.

Luc. 12.

Ioan de la Hay. cap. 21. v. 10. nu. 29.

Lyran. ibid.

Thom. Angel. apud de la Hay sup. v. 14. nu. 125.

15. Non credo me errare si peccatorem carbonem esse dixerim, qui accensus adurendo consumit sanctitatem bonorum (ut audivistis) & extinctus eorum honorem, & reputationem commaculat: dicite cur Christus non solus, vel ad partem, sed in medio inter duos latrones fuit crucifixus? Theodoretus hoc fuisse stratagema Diaboli asserit; Christus apud multos in bona existimatione erat, qui eum filium Dei credebant, inter hos erat Centurio, qui *glorificavit eum dicens: verè hic homo justus erat.* Vel ut scribit sanctus Marcus: *Filius Dei erat.* Ut ergo ejus famam tolleret, aliud medium invenire non potuit, quam ut inter duos nebulones crucifigeretur, ut omnes dicerent, cum latronibus est in crucem actus, ergo bonus esse non potest, quia medium participat de extremis; ut reputaretur peccator, & non justus latro, & non sanctus, medium ei locum assignarunt. Audite Theodoretum: *Malam opinionem de Domino innuere volens Diabolus, etiam latrones faciebat crucifigi cum eo.*

Luc. 24.

Cap. 15.

In Catena D. Thom. ibid.

16. Quid? an forsan animus conversandi cum pravis sufficit; ita ut aliquis his periculis non involvatur? si Deus concursu extraordinario tibi non succurrat, ego id sentio impossibile. Divina majestas Abrahæ comparuit dicens: nihil timeat, se ejus specialem Protectorem fore; *Noli timere Abraham, ego Protector tuus sum.* Qualis potuit hic esse metus, ut adjutorio speciali Dei indigeret, quatenus ab eo liberaretur? multi eum tunc inter idololatras vixisse putant, ideo Deus ei protectionem particularem promisit, quia sine illa fidem sibi ab Abrahamo non servandam timebat; perinde ac dixisset, quomodo inter idololatras obsequentiam, reverentiam, & devotionem Deo reddere potero? idcirco dicit Dionysius Carthusianus: *Indiguit Abraham protectione divinâ, quoniam in medio idololatrarum, ac pessimorum tunc morabatur, ne cum perversis illis perverteretur.*

Ibid. apud de la Hay num. 10.

17. Ipsimet beati, ut ita dicam, timebant periculum, si unus peccator in Paradyso eis adesset; David ultimo judicii die asserit, quod beati damnatos atrocissimis pœnis dirè cruciari, videbunt; justosque alloquens, ait: *Veruntamen oculis tuis considerabis, & retributionem peccatorum videbis.* Quin non claritas gloriæ hâc visione horrendâ turbetur; & sanctis incutiatur terror fieri nequit, ergo non totaliter erunt

Psalm. 90.

beati; nam corporales sensationes saltem per redundantiam, animam afficere scio. Erunt glorificati, sed oculi tendentes in objecta adeò horrenda, aliquo modo lædentur. Cur ergo objecta ita horrenda iis objiciuntur? respondet D. Bernardus. Ne suspicentur aliquem damnatum ex inferno liberandum; & in societate eorum cælo admittendum, hinc eos videbunt Paradyso exules, & orco æternaliter addictos: nam si per impossibile imaginari possent damnatorum aliquem ex inferno liberandum, & cælo admittendum, in continuo timore degerent, ejus societatem metuentes: non, non dicit Deus, nolo eos hac turbatione concuti, volo ut in inferno procul à vobis dissitus semper hæreat. En verba Bernardi: *Retributionem peccatorum videbis; securitas perfecta justorum, erit justa retributio peccatorum, qui videlicet nec humanam aliquando, nec diabolicam ultra vereri malitiam possent:* hæc securitas eos perfectè beatos reddet, *hæc est nova lætitia*, concludit Bellarminus, *causa homini justo, cui non solum promittitur victoria, sed etiam quod sit cum magnâ voluptate visurus propriis oculis inimicos suos jacentes, & pro meritis punitos.*

S. Bern in Psalm. 8.

Bellar. in Psalm. 90 v. 8.

18. Hactenus dicta textu sacræ Genesis confirmo. In principio mundi Deus *divisit lucem à tenebris.* Hic Philosophus objiceret; illa tantum posse dividi, quæ antea fuerunt unita, & conjuncta, sed si tenebræ & lux sint contraria, quomodo potuerunt stare simul? multi Scriptores facit, & specialiter Rupertus Abbas, D. Ambrosius, S. P. Augustinus per tenebras dæmones, per lucem Angelos intelligunt. Do verba Ruperti: *Quæ sunt istæ tenebræ, nisi omnes Angeli Sathanæ cum eodem suo principe? has utique tenebras Deus à luce divisit, quia Angelos malos à bonis separavit: divisit, inquam, separatione immutabili, ita ut nec justi qui ceciderant resurgere, nec illi qui cum peccare possent, peccando cadere.* Et cur hæc separatio? illud, quod suprà docui repetere possem; nigredo harum tenebrarum diabolicarum claritatem lucis Angelicæ obfuscasset; sed à doctrina Ruperti discedere nolo. *Divisit separatione immutabili ita ut nec isti &c.* Ut Angeli maximè distantes à dæmonibus semper securi essent.

Gen. 1.

Rup. lib. 1. cap. 3 in Psalm. 75. Ambr de Parad c 2 August. 11 de civit. Dei. c. 19.

19. Ultimò paradoxum vobis aufferre auderem, si uti spero sanctitati Salvatoris me non præjudicaturum censerem. Scio me ad homines discretos perorare, qui ex meo discursu, relictis spinis rosas carpent; maximè cum terminos debitos excedere nolim. Ipsemet filius Dei, qui dæmonibus horrorem, & terrorem incussit, cum malis agere timuit; S. Andreas in crucem est actus, in eaque biduo vivus hæsit: *Biduo pendebat in cruce beatus Andreas.* Christus etiam in trabe est suspensus, & non nisi per tres horas vixit: *Ab hora sexta, usque ad horam nonam.* Quomodo est possibile sanctum Andream senem, & virum simplicem per duos dies restitisse tormentis crucis, & Salvatorem triginta trium annorum hominem, & Deum, cujusque humanitati in infirmitatibus succurrebat divinitas, aspero ligno crucis nonnisi per horas tres obstitisse? ergone miles duce generosior erit? videamus: si causam hujus disparitatis doctrinâ mei S. P. Augustini assignare possimus: ille ait: crucifixum nunc ad latronem bonum, nunc ad malum se convertisse, de bono *cogitabat*, & de malo *recogitabat*, & tacitè latroni bono dixit; felix es tu, qui tuam fortunam invenisti, *recogitabat* malum, & ajebat: O te infœlicem, tibi offero bonum, & illud rennuis! *cogitabat*, ô bone latro, quam prudens fuisti, qui paucis verbis emere Paradysum scivisti *Recogitabat*, & tu unico suspirio illum obtinere potuisti, & noluisti: *Cogitabat*; tu corde es tenero, & me consolaris. *Recogitabat*, tu es obstinatus in malo, & me affligis. *Cogitabat*; tibi aperitur cælum, & Angeli descendunt, ut te laureâ martyrii cingant: *Recogitabat*, tibi panditur infernus & dæmones solvuntur, ut te tormentent. *Cogitabat*, tu venies ut fruaris præmio laborum *Recogitabat*, & tu errata tua dilues. *Cogitabat*, tu æternaliter gaudebis, gloriâ tui Domini. *Recogitabat*, & tu in atrocitate pœnarum morieris vivendo, & privatus Deo moriendo vives. Demum *hora nona inclinato capite emisit spiritum.* Ex hac pia meditatione causa difficultatis propositæ assignari potest. Andreas in crucem actus, nullum peccatorem socium habebat: hinc *triduo vivens in cruce*, sed Christus impio ad ejus

In vita ejus

Matth. 27.

Ioan 19.

ejus sinistram appenso, & in malo obstinato vicinus erat, & quasi dicebat: Ego, hanc proximitatem ferre non valeo ulterius. Magis hac societate, quam clavis crucis torqueor; cor transfigi sentio, & hæc vicinitas mortem accelerat. Augustinus hunc meum discursum claudit, dicens. *Non potuit Christus sustinere commercium peccatoris.* Aug. ad litt.

20. *Steterunt à longè* O quam nociva est societas pravorum? parens ille habet filium timentem Deum, devotum qualibet die templum frequentat, quotidie preces solitas recitat, nonnisi verba sancta profert, est modestus, obediens, cum satisfactione parentum & quia aliquo modo est adultus ad libitum exitus ei conceditur; sed spatio duorum mensium adeò factus est perversus, & malus ut nil plus dici possit; est inobediens lusor, blasphemator, nonnisi impudicæ ab eo audiuntur, est sentina vitiorum, & ex Angelo in Diabolum migravit, quænam est hæc mutatio? in malam societatem incidit, & ita effectus est pravus, ut lepram malitiæ contraxerit, & si stetisset à longè sanctitatem conservasset, tales ergo fuge, & monitum Christi sequere. *Si oculus tuus scandalizat te erue eum, & projice abs te.* Lex est in contrarium: *Nemo videtur Dominus membrorum suorum.* Hæc jussio Christi est nimis paradoxa, & canonibus, atque summistis sic determinantibus, adversatur. *Gravissimum crimen est contra naturam in se manus convertere: Maximè quando membrum habet speciale officium.* Tale membrum est oculus. Nihilominus alii volunt nonnunquam mutilationem esse licitam, dum scilicet salus totius corporis abscissionem requirit; e.g. si auris, manus, pes, toti corpori infectionem minitaretur; quid ergo tibi præcipit Salvator? *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & projice abs te* Qualis est hic oculus te scandalizans, nisi ille amicus pravus cum quo agis: hinc si oculum debeas eruere, ne inficiat caput, & corpus, quantò magis te debes separare ab illa societate, quæ animæ damnationem tibi causare potest? hic est verus intellectus verborum Christi: *Hoc præcepit*, ait Chrysostomus: *ut amicos quos æquè ut oculos charos habes, & ad omnem vitæ usum necessarios, si ad animæ salutem impedimentum afferant, amputes, & abjicias.* Hos ergo leprosos fuge, & certum te reddit Martialis, quod *gaudebis magis, & minus dolebis.* Et quiesco.

Matth. 18 I. lib. homo ff. ad legem aquil. Tolet. lib. 1 c. 62. n. 8. Ghiling de mutil. fol. 252. Diana part. 5. Tract. 4. de homicidio resol. 32. Chrysost. Orat Kalendis Saliæ Tom. 5. Epigram. 24 lib. 12.

ALTERA PARS.

21. Fugâ societatis pravæ plurima pericula evadere possumus. Id specialiter fœminæ à Deipara discant, volo; Elisabeth uxor Zachariæ jam per sex menses uterum gesserat, dum à Maria invisebatur: sic perhibet S. Evangelista Lucas: *Exsurgens MARIA abiit in montana cum festinatione, & salutavit Elisabeth.* Et sacer textus, commemorat eam postquam per tres menses ibidem fuisset commorata ad proprios lares rediisse: *Mansit autem MARIA cum illa quasi mensibus tribus, & reversa est in domum suam.* Jansenius Elisabethâ jam partui vicinâ virginem discessisse observat, idque ex verbis S. Lucæ, *quasi mensibus tribus* deducit. Sexto mense venit, & nono necdum completo dum Joannes in lucem edendus erat, abiit. *Verum cum jam partus tempus adesset, discessit ab ea.* Si tam diu ibi hæserat, cur non exspectat nativitatem? quid importasset, si tribus, vel quatuor diebus ulterius mansisset? ei non fuisse negotia magna, quæ reditum urgerent, credo O abitum mysteriosum! quamprimum Elisabeth prolem in lucem edidisset, omnes consanguinei, vicini Zachariæ, & Elisabeth de prole mascula congratulaturi erant. *Et venerunt vicini, & cognati ejus, & congratulabantur ei.* Ac si diceret: dedecet puellam virginem inter tantum concursum commorari: *discessit ab ea*, dicit Jansenius; *ut multitudinem affluxuram ad puerperam fugeret.* Non abiit, quasi sibi metueret, sed ut exemplum daret, fugiendi homines, illos maximè, quos non novimus. Idem confirmat Victor Antiochenus: *Rediit MARIA, quia circa Elisabethæ partum magna hominum multitudo ad Zachariæ ædes confluxura erat. Virgo autem sacratissima virgineo quodam pudore tincta hominum conspectus declinabat.*

Luc. 1. Cap. 1 in concordia Evang. p. 1. fol 50. Ibidem. Ibidem. Victor Antiochen. in cap. 1. Luc. v. 56.

22. Patriarcha Jacob in Ægypto graviter infirmabatur, & dum se moriturum cognosceret, filiis quatenus ossa in terram Chanaan deportarent, ibique sepelirent, jussit: *Sepelite me cum patribus meis in spelunca* Gen. 41.

dupli-

duplici, quæ est in agro Ephron Hathei contra Mambre in terra Chanaan. Cur non voluit tumulari in Ægypto? dicebat quidam homo probus, dummodo animæ sit bene, ubi corpus sit non curo: Oleaster difficultatem solvit: dicens Ægyptios fuisse idololatras, hinc nec ossa inter eos voluit sepeliri: *Audis hic quam mala sit conjunctio malorum, ut non solum vivi, sed etiam defuncti nolint justi cum eis commorari?* si timeant mortui. Quid agent vivi?

Oleaster hic ad mores.

23. Si ergo conversatio cum pravis sit adeò perniciosa, cur non conversaris cum bonis? ad hoc hortatur Plato, *confuge ad bonorum virorum consuetudines, ubi partim audiam, partim tu quoque dicas justa, honestaque ab omnibus esse colenda.* Basilius Imperator filium ad hoc inducens ajebat: *Si hanc institeris viam, ad solida germanaque virtutis, veros limites brevi pervenire poteris:* Et Seneca inquit. *Satius est cum bonis jacere, quam cum malis vivere* O quam est vita beata, agere cum bonis! quis unquam inter tot angustias depræhendatur, ac bonus latro? peccata eum accusabant, dolores torquebant, conscientia mordebat, Dæmones terrebant, infernus exspectabat, divina justitia minabatur, mors invadebat, fluctuans in mari afflictionum ad crucifixum Redemptorem se vertens petiit suppetias: *Memento mei dum veneris in regnum tuum.* Ego infelicissimus sum peccator mundi, opera mea me damnant, contra me cœlum, terram, orcum, stare video, in oceano meorum dolorum aliud non restat, nisi anchora spei, ideo me tibi commendo: *Memento mei.* Sed ille Deus, qui solandis peccatoribus semper fuit promptus respondit: *Hodie mecum eris in Paradyso.* Hinc meus S.P. Augustinus subintrat, & particulam *mecum* subtiliter ponderat. Primâ fronte hæc superflua videtur, si divina clementia eum eripere inferno, & donare Paradiso voluit, sufficiebat dicere: *Hodie eris in Paradiso.* Esse in Paradiso, & stare cum Deo conjuncta sunt; Christus dicere volebat, ne timeas ô latro, quia hodie te in meum sodalem recipio, hodie dum mecum eris, liberaberis ab omni malo, nemo te offendet, & omnibus bonis frueris; *Hodie,* ait S.P. Augustinus, *mecum eris, ne fortè verearis, ne aliquis tibi hostis in illo beato nemore, ne antiquus ille latro insidietur; possessio tibi illic me introducente firmabitur.*

Plato lib. 8 de leg. princip.

Exhortat. ad filium cap. 7.

Sen. suasoria.

Luc. 23.

S August. serm 120. de tem.

24. Deus Abrahamo sic præcepit: *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & veni in terram, quam monstravero tibi.* Obedivit Abraham, & de necessariis sibi providens, suisque valedicens discessit: *Egressus est Abraham, sicut præceperat ei Dominus.* Hic sacer textus recenset, etiam Loth eum comitari voluisse, *Et ivit cum eo Loth.* Cur Loth domo paternâ, amicis, consanguineis, opibus relictis voluit comitari Abrahamum? Deus hoc ei non mandavit; an non ergo esset melius ut parceret huic labori, & frueretur deliciis patriæ? dubium hoc movet quidam modernus: *Cùm tibi ô Loth jussum non fuerit patriam deserere, quomodo peregrinationi laboriosæ, & difficili te accingis, quieti, & amori parentum præferens iter arduum?* Et idem respondet. *Impellit eum unius justi societas, quæ parentum, & amicorum consortio, & utilitati est præferenda.* Societatem Abrahami amicis, patriæ, opibus prætulit; id confirmat Lyranus: *Voluntariè magis volens esse cum avunculo suo fideli, & justo; quam cum alius remanere.* Forsan nil esse magis proficuum, & bonum, quam agere cum personis bonis, & qui honorem Dei in fronte gestant, scivit: nec in hoc deceptus fuit. In hoc imitemini Loth, & interim vobis documentum Theognidis Philosophi, & Poëtæ linquo

Gen. 12.

Hay. in cap. 12. v. 4 fol. 278

Te coniunge bonis, & ab eis plurima disce,

ac itote in pace.

DOMI-

DOMINICA DECIMAQUARTA

POST PENTECOSTEN.

Non potestis duobus Dominis servire ; Deo & Mammonæ.
D. Matth. cap. 6.

ARGUMENTUM.

Ostenditur quam nocivæ sint divitiæ, & quod homo possit illas tenere, sed non debeat illis servire, verum multi sunt qui pluris illas æstimant quam Deum.

1. Quales sint proprietates, & conditiones divitiarum, de quibus cum loqueretur Evangelista Matthæus, eas vocat *Mammona* (quo nomine teste divo Augustino intelligit divitias) tàm ex Scripturis sacris, quàm profanis discere poterimus. Et quidem primò eum, qui è visceribus terræ illas eduxit, ubi natura diligentiâ bonâ eas recluserat Boetius acri verborum aceto defricat, & perstringit.

Hay. in cap. 12. v. 4 fol. 278

Boet. de conso met. 5 lib 1. ap. Tob. Mag. fol. 144. nu 33.

Heu, qui primus fuit ille
Auri, qui pondera tecti,
Gemmasque latere volenteis
Pretiosa pericula fodit?

Suida hoc eas titulo decorat : *Ventosæ divitiæ, hoc est fallaces, & inconstantes.* Possessorem opum Boetius infelicem proclamat ; quia nemo potest gloriari, quod in gravia incommoda, & miserias ab iis non sit deturbatus. *Divitiæ possidentibus persæpè nocuerunt.* Quintilianus etiam huic veritati subscripsit. *Multa sæpè locupletibus accidunt, sæpè in imum decidunt. Ego vidi pauperem auxilia diviti ferentem.* Sunt velut vas pandoræ, è quo obvia mala scaturiunt. Esiodus finxit, sed Ovidius veritatem dixit;

Boet. l 11. pr. 5.

Quinti. decla. 9 p. 111.

Hesi. in oper. & dies fol. 7.

Ovid. 1. met.

Effodiuntur opes irritamenta malorum.

Hinc Seneca: *Divitiæ inflant animos, superbiam pariunt, invidiam parant, & eo usque mentem alienant, ut fama pecuniæ nos etiam nocitura delectet.* Si Platoni credimus ignis sunt, qui discordias totius orbis accendit. *Omnia bella opum gratiâ fiunt*, & ab antiquis dives, & divitiæ hoc Eulogium retulerunt: *Dives aut iniquus, aut iniqui hæres est.* Et ideo versificator atramento lacrymarum, & pennâ doloris sic scripsit:

Senec. epist 28.

Plato in phæd. fol. 50.

D Tob. Mag. fol. 749. nu. 54.

Quid mihi divitiæ? quarum si dempseris usum,
Quamvis largus opum, semper egenus ero.
Immò etiam pœna est, partis incumbere rebus,
Quas cùm possideas, est violare nefas
Non aliter sitiens vicinas Tantalus undas
Captat, & appositis abstinet ora cibis.

Cornel. Gallus, Elog 1. v. 181.

Et inter Ecclesiasticos Guilielmus Parisiensis hæc scripto consignavit *Divitiæ cum labore acquiruntur, cum timore possidentur, & cum dolore amittuntur* Huic consentit opinioni D Prosper: *Divitias qui habere volunt sine labore non quærunt sine difficultate non inveniunt, sine cura non servant, sine anxia delectatione non possident, sine dolore non perdunt.* Nec non Idiota: *Divitiarum acquisitio magni laboris est, possessio magni timoris, & amissio magni doloris.* Sed si clarius qualitatem opum indagare velitis Dionysium Carthusianum legite. *Fallaces*, inquit, *divitiæ, quæ sufficientiam quandam promittunt, sed conferre non valent, suosque amatores æternis cruciatibus* inge-

Guiliel. Paris lib. de mor c. de laud. paup.

D Prosp. lib 11. de vita cont. cap 3.

Idiot. l. 1. cont c. 33.

Dionys. Carth. c. 13.

ingerunt, imò quò plus crescunt, tantò majus desiderium in corde accendunt, blandiuntur enim, sed pungunt. Et quid aliud poterat exspectari, si juxta divum Thomam Villanovanum sint fex, & spuma terræ? *Quid sunt divitiæ nisi vana de limo metalla?* atque ut fugiamus eas pro conclusione sufficit doctrina Doctoris Angelici, qui eas comparando dæmoni ostendit, quod non minus nociviores sint. *Per Mammonam potest intelligi diabolus, qui praest divitiis, & quasi Deus suus est, non quia possit dare, sed quia nititur divitiis homines decipere, unde sicut est spiritus quidam fornicationis, sic est spiritus divitiarum.*

Matth. art. 25. fol. 51. lit. B. B. Thom. à Vill. in conc. funebri fol. 597 co. 2. D. Thom. Tom. 14. in cap. 6. D. Matth. fol. 23. c. 1.

2. Ex dictis quàm perniciosæ sint opes inferre poteritis; nihilosecius tamen adeo est grandis malitia humana, ut si optio daretur num famulatui Dei, vel divitiarum velit asscribi, liberè quod *mavult servire Mammonæ, quàm Deo*, responderet. In mundo nil esse charius, & pretiosius divitiis ostendere vult. Id præsenti discursu evidentibus scripturis videbimus; vos me attentione dignemini, ego serviam brevitate, & incipio.

PARS PRIMA.

3. QUod divitiæ non debeant amari non veto, sed solum quod aliquis earum servus sit, & mancipium hoc detestandum est. Hinc divus Hieronymus servatorem non dicere: *Non potestis habere divitias, & servire Deo, sed non potestis servire Mammonæ*, observat. Ergo iis dominari, eas subjicere oportet, & non iis subjici. *Patitur*, inquit divus Pater Augustinus, *enim durum dominium quisquis servit Mammonæ*. Personæ prudentes, & doctæ nullam rationem convincentem invenire queunt, cur homo ita se iis subjectum demonstret. Hinc ait ille eruditus.

D. Hier. hic in Catena. D. Thom. D. P. Aug. serm. Do. in mont.

Divitiæ cum sint irritamenta malorum,
Cum secum referant multa pericula, Tubâ,
Cur tamen à cunctis optantur; curve petuntur;
Cur retinent primum semper in orbe locum?

Io. Fr. Apost. in deli. Italor. Epig. ad Lauren. Tubum fol. 253.

Ex horum numero non fuit Pythagoras, qui interrogatus num divitias appeteret respondit: *Divitias contemno habere, quæ liberalitate perduntur, & parcitate putrescunt.* Quod Pythagoras verbis, id Crates Thebanus factis expressit, dum Athenas Philosophiæ operam navaturus se conferens immensam summam auri abjecit impossibile ratus se simul virtutes, & opes possidere posse. *Neque putavit se posse virtutes, & divitias simul possidere.* In ruborem dat Christianos, qui *Deo*, & *Mammonæ* servire volunt; necessario enim coguntur: *Unum odio habere, & alterum diligere.* Odio Deum, & amore divitias prosequuntur. Hasque omnium quæ possident prætiosiores, & chariores censent. Et qui opes possidet potius libertate quæ est maximus thesaurus quem homo habere potest, quam opibus spoliari vellet.

Diog. lae. de vita, & moribus Philos.

4. Illud, quod Joannes Saresberiensis scribit in memoriam revocate. Ptolomæum Regem Cypri ob ingentes divitias hostes insidias struxerunt, & omnimodo eum comprehendere ut eum iis exuerent conabantur. Hujus rei certior factus omne aurum, & argentum navi inferre, ac per foramen in ea factum paulatim monetas mari potius injicere, quam ditare suos hostes judicavit. Sed ut ad mare altum pervenit, ubi eas abjicere decreverat non sumpsit spiritus eas abjiciendi, sed vela, ac proram vertens ad urbem rediit; judicavit namque (si aliter fieri non posset) potius libertate exui, & hostium jugo subjici. *Nam cum anxius sordibus magnas opes Ptolomæus corripuisset propterque eas periturum se videret, & ideo omni pecuniâ impositâ navibus in altum processisset, ut classe perforatâ suo arbitrio perirent, & hostes prædâ carerent. Non sustinuit mergere aurum, & argentum, sed futurum necis suæ præmium domum revexit.* Hic sanè non Dominus, sed opum manceps fuit: *Procul dubio hic non possedit divitias, sed à divitiis possessus est.* Sed ne mihi objiciatur, quod *ad particulare ad universale, non valet consequentia*, particularibus constringere me nolo.

Io Saresb. de nugis curialium l. 8 c. 15. fol 534.

5. Deus sæpius Pharaoni ut populum Israëliticum ex Ægypto liberũ dimitteret significavit. Nebulo ille sæpius jussis cælestibus refractarius fuit. Demũ supplicii ranarum, locustarum, muscarum, pestis, plagarum constrictus, eum libertati restituere decrevit; Moysen ergo & Aaron advocavit, iisque cum toto populo abirent sacri-

Exod. cap. 10.

crificatum Domino jussit. *Ite, sacrificate Domino.* Sed pecudes, & armenta in Ægypto relinquant, vult. *Oves tantum vestræ, & armenta remaneant.* Sed si discessum, & sacrificia indulgeat, cur bestias conduci vetat? & quomodo sine animalibus sacrificent? Abulensis respondet. *Pharao non dicebat hoc, quia intenderet Hebræos dimittere sub hac intentione ad sacrificandum, sed volebat experiri, an vellent recedere totaliter de Ægypto, vel solum ire ad sacrificandum: nam si ipsi intenderent ire ad sacrificandum solum, & postea redire, non multum curarent, an armenta secum portarent, vel dimitterent ea in Ægypto suis pastoribus custodienda. Si autem instarent Israelitæ, quod vellent secum cuncta pecora deducere; satis constabat, velle eos recedere de Ægypto.* Verum quidam modernus opinatur Pharaonem hoc pactum iniisse cum Israëlitis, quia parum æstimatâ libertate eos non abituros absque armentis, sed potius sub tyrannico jugo mansuros perspectum habebat. *Sciebat Ismaelitas tanto amore suarum pecudum teneri, vel certæ pecuniæ ex suis pecudibus colligendæ, ut præoptaturi essent cum illis in servitute remanere, quàm sine illis in libertatem abire, seu cum illis Pharaoni servire in Ægypto captivos, quàm sine illis Deo in deserto liberos sacrificare.* O stultitiam grandem potius cum pecudibus durissimam servitutem sub impio Pharaone, quàm amicam libertatem, & servitutem Dei eligere. Prudentissimè Licurgus hanc legem militibus dedit, ne ullatenus in conflictu spolia hostium arripere auderent, & causam interrogatus respondit, ne spolia appetentes à pugna desistant, & ducibus non pareant. *Ne milites ditescant, & dum prædæ incumbunt pugnam negligant.* Sic etiam discurrit Pharao; adeò afficiuntur bonis ut ne iis priventur libertatem, & sacrificia non curaturi sint. *Præoptaturi cum illis Pharaoni servire in Ægypto captivos, quàm sine illis DEO in deserto liberos satrificare.*

Abul in Exod. cap. 10. v. 25. fol. 115. col. 1 lit. C.

Io. Haye in cap. 10. Ex tom 1. v 25 fol 416. num. 13.

Plut. in Lacon.

6. Tanto affectu serviunt *Divitiis, & Mammonæ*, ut potius vitâ exui, quàm iis privari velint. Chronista Moyses verba, quibus Pharao bilem suam evomuit, dum ad mare rubrum pergens populum Dei fugitivum insequebatur ingentem stragem aditurus scriptis consignavit. Vento superbiæ inflatus, vultu irâ exæstuante, dextrâ minitante arroganter dicebat, si hanc gentem invenero hæc dextra instrumentum mei furoris erit, hoc ferro me vindicabo: *Evaginabo gladium meum, interficiet eos manus mea.* Arias Montanus legit: *Depauperabit eos manus mea.* Quomodo hoc est intelligendum? primò dicit: *Interficiet eos manus mea.* Et dein pœnitentiâ ductus opum ablatione contentari videtur. *Depauperabit eos manus mea.* Pharao Hebræos divitiis privare idem esse, ac neci eos tradere, ac si *interficere, ac depauperare* sinonima essent sciebat. *Rectè dicere possumus idem esse interficere & pauperem facere.* Et me herclè prudentissimè loquebatur. Quis divitias esse cor hominis ignoret? *Ubi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.* Sine corde homo vivere non potest, & opibus ablatis vitâ orbatus est. Hinc Lucilius inter Græcos famosus epigrammatum Scriptor in hujus confirmationem quendam se notabilem jacturam nummorum passum somniasse scribit; excitatus totus in rabiem actus se laqueo enecare voluit, sed dum restem emere non posset adeò indoluit dispendium, ut manibus se suffocarit. Judam sibi laqueum injecisse magis ex dolore, quod nummos abjecisset, quam Christum tradidisset credo. Ille in contemptum sacræ Theologiæ: *Utebatur Deo, & fruebatur pecunia*; ex illis erat, de quibus divus Pater Augustinus: *Non nummum propter Deum impendunt; sed Deum propter nummum colunt.*

Ex. c. 15.

Arias Montan. apud Ioan. de la Haye ibid. v 9. fol. 790. col. 2. lit. A.

Idem ibid. fol 824. col 2. lit. C num. 246

D Matth. cap 6.

Lucil ap. Au Masc. in Tab. Ceb p 2. disc. 5.

D P. Aug. l 11 de civit Dei. cap. 25.

7. Sed quia particularem mentionem Judæ fecimus omittere nequeo, quin erratum (quod revera omnium erratorum genus generalissimum fuit) quod patravit, dum se suspendere voluit demirer. Magna res, in seipsum sævire, sui ipsius carnificem agere, nil optabilius vitâ, nullæ monetæ vita comparari potest. *Non omni pretio vita emenda est*, dicebat Seneca; sicut è contra nil detestabilius ac abominabilius morte. *Magno æstimamus mori tardius*, scripsit idem Philosophus. Et tamen Judas se vitam flocci pendere, & amore prosequi mortem adeò infamem,

Sen. epist. 67.

Sen lib 11. nat q cap ult.

mem, & contumelioſam oſtendit. Econtra nummos, quos à Judæis ob venditum Chriſtum recepit adeò ipſi fuerunt grati, ut illos adoraret, eos velut Deos à ſe adoratos templo inferret, & laqueo ſibi vitam ademit. *Retulit triginta argenteos, & projecit in templo, & abiens laqueo ſe ſuſpendit.* *Seſe arbori ſuſpendendo dabat, & argenteos nonniſi templo reddit; cur miſer non tibi magis conſulis, quàm argenteis? cur potius in argenteos non iraſceris, illiſque in mare projectis, & in templum recipis impetraturus veniam? cur mavis te perditioni, & nummos templo reddere?* Nil miri ait Drogo Epiſcopus Hoſtienſis, denarios vitæ prætulit. *Ecce infelix, qualiter excæcatus eſt. Maluit ſeipſum perdere, quàm denarios perire: denarios templo, ſeipſum laqueo addixit.* Et divus Zeno. *Viliorem habens animam, quam pecuniam.* Et illud dictum beati Simonis à Caſſia verificatum eſt. *Committit plerunque ad plurima pericula ſuam ipſe perſonam, ſed in pecunia cautior eſt. Cuſtos eſt æris ligatus in ære. Non habet æs, ſed habetur ab ære: Non Dominus æris, ſed ſervus æris.*

D. Matth. cap. 27. Didac. Ponſer. tom. 3. l. 14. cap. 16 §. 19. Drog. Epiſc. Hoſtienſ. l. de ſac. Paſſ. S. Zeno ſerm. 2. de Avar. B. Simon de Caſſ. l. 8 cap. 50. de vitiis.

8. Non erravit, qui dixit: *Vita diſpendio emuntur opes.* Sunt enim multi, qui ne facultates erogent, fame perire eligunt. Abſque pueris ſexcenta millia Iſraelitarum ex Ægypto abierunt. *Profectique ſunt filii Iſrael de Ramaſſe in Socoth ſexcenta ferè millia peditum virorum, abſque parvulis.* Omnes unanimiter cælum clamoribus pulſant, & inediâ ſe enecari quæruntur. Lamenta hæc Deus audivit: *Ego audivi vos dicere; quis dabit nobis eſcas carnium; benè nobis erat in Ægypto.* Si teſte ſacro textu: *Vulgus promiſcuum innumerabile aſcendit cum eis, oves, & armenta, & animantia diverſi generis multa nimis?* qui ſe perire fame ob penuriam carnium quærulari poſſunt? ſi innumeras conduxerunt pecudes quomodo aliquas non poterant jugulare, famemque ſolari? *Cur,* verba ſunt alicujus gravis Auctoris, *non mactatis has pecudes? cur non jugulatis hæc armenta? cur hos agnos, hædos, vitulos, quos innumeros vobiſcum de Ægypto extuliſtis, non occiditis? cur lauta convivia non inſtruitis? cur veſtram appetentiam non expletis? cur ad carnes Ægyptiacas nihilo his ſuaviores ſuſpiratis?* O impiam dementiam, armentis parcere, & famem tolerare, quæ iis jam necem inferebat. *Parcebant,* concludit Lyranus, *ſuis animalibus, malebant in fame perire, quàm ſuas pecudes interimere, ne perderent pecunias ex pecudibus colligendas.* Propterea quidam Poeta irriſoriè cecinit.

Iul. Cæſ. Scat. Epidorp. lib. 3. fol. 172. Exod. cap. 12. Num. cap. 11. Exod. cap. 12. Nicol. Lyran.

Divitiæ, & magni, quos vulgus quærit honores,
Exitio Dominis ſæpè fuêre ſuis.

O magnam inſaniam mortalium, quod adeò fidelem famulatum præſtent opibus, ut eas vitæ præponant. Hinc beatus Simon à Caſſia dixit: *Committit plerumque ad pericula plurima ſuam ipſe perſonam ſed in pecunia cautior eſt.* Ad hanc veritatem veſtris cordibus inſculpendam iidem Hebræi mihi novas rationes ſuppeditant, ſub jugo gementes in Ægypto nemo non ſcit, quot moleſtiis, & inſolentiis ab apparitoribus, & qualibet fæce plebeorum anguſtiatus non fuerit; nulla fuit dies, qua aliquâ injuriâ non ſint affecti, & tamen patientiſſimè omnes moleſtias devorarunt, & ne ullam anſam haberent rebellandi aut inſurgendi contra moleſtatores, nulla arma ſive offenſiva, vel defenſiva geſtabant.

Annon hic eſt populus adeò delicatus, ut naturale illi ſit, vel verbo pungentem manu, ferroque aggredi? quomodo ergo à gente viliſſimâ Ægypti ſe vexari ſinit? dextram generoſam ferro armate, & defendite vos. Sed paradoxon audite. Ut ſe in quacunque neceſſitate defendere poſſent, armis, & gladiis ſe munierunt. *Armati aſcenderunt filii Iſrael de terra Ægypti.* Qualis eſt hic populus bardus, & ſingularis? dum inter hoſtes degunt, ab iiſque malè habentur, ne ad arma veniatur inermes ſunt, nec ullum genus armorum habent, & omnes injurias patienter concoquunt. Et in itinere ubi nullus eſt, qui eos offendat, armati pergunt. Unde oritur hæc diverſitas? me errare non putem, ſed in Ægypto omni auro, & argento à Pharaone eos ſpoliatos dixerim; ſpes ergo qua opes recuperandas ſperabant, ad omnes

Exod. cap. 13.

omnes injurias patienter tolerandas eos incitavit, oculos sibi erui, vitam adimi permisissent, & armati iter prosequuntur, non ut vitam contra hostes defendant, sed ut argentum, & aurum, & alia spolia, quæ ab Ægyptiis receperunt uti sacer textus commemorat contra latrones propugnarent. *Petierunt ab Ægyptiis vasa aurea & argentea, vestemque plurimam: Dominus autem dedit gratiam populo coram Ægyptiis, ut commodarent eis & spoliaverunt Ægyptios.* Magis ab eis æstimatum argentum quam vitam argumentum est: *Vehementius formidabant suarum divitiarum jacturam, si fortè ab hostibus invadentibus raperentur, quare suas in discrimen adducebant vitas, ut suas divitias è discrimine vindicarent, ac si opes, quàm vitas pretiosiores esse arbitrarentur.* Ab iis magis æstimatum aurum, quam vitam jure dici potest. *Serviebant Mammonæ.*

Nicol. Lyran. Exod. c.12 Ioan de La Haye in c. 13. Exod. v. 17. f. 666 n.104.

9. Sine dubio magna res est videre, quod homo aurum vitæ præferat, quia semel cum in regno mortis nil sit immortale hæc perdenda est; sed anima, quæ est immortalis, & quæ est optimum bonum stabile, quod creatura habet rationalis credimusne quod vilius æstimetur quàm opes, & bona temporalia? ô stolidos, & insensatos mortales! horreo id dicere, multò magis id probare. Sed ne me putetis loqui hyperbolicè, aut exaggerativè audite scripturam: Cain fratri Abelo secum rus petat persuadet. *Egrediamur in agrum.* Ut ad locum occultissimum in agro pervenerunt, insidiosè innocuum fratrem aggreditur, & capiti ictum infligens turbatum in terram eum dejecit, & ictus repetendo neci eum dedit. *Consurrexit adversus fratrem suum & interfecit eum.* Scelere patrato, Deo qui quomodo Abel haberet, & ubi esset interrogat. *Vbi est Abel frater tuus?* obvius factus est Et ille Deo omnia videnti credens celare delictum respondit: *Nunquid custos fratris mei sum ego?* sed Deus dextrâ cruorem ei monstravit, qui adhuc fumans terræ innatabat, & impietatem crudelem Caini incusando, voces quærulosas auribus Dei ingeminare videbatur: *Vox sanguinis fratris tui Abel clamat ad me de terrâ.* Noxæ tuæ vindicta non deerit. Privatione frugum illam dilues, terra tibi sterilis erit, frustra fruges, & fructus ab eâ exspectabis. *Cum operatus fueris eam non dabit tibi fructus suos.* Hic à vobis verba à Caino subjuncta attentis excipi vellem: audite. *Ecce ejicis me hodie à facie terræ.* O Deus an me meis opibus privare vis? hanc jacturam inconsolabiliter, dum spiro plorabo. *Ero gemens super terram*, ait Divus Eucherius Lugdunensium Episcopus. Fratricidium duobus suppliciis, privatione opum, & perditione, damnationeque animæ Cain persolvit. Hujus non meminit, sed ob illam jacturam magnis suspiriis, & lacrymis se torqueri, ac dolere ostendit. *Ero gemens super terram.* Non damnatio animæ, sed privatio divitiarum me angit. *Quia ejicis me à facie terræ.* Res enim certissima est, quod *proprium est hominis plus dolere bonorum terrestrium amissionem, quàm animæ jacturam sufferre.* Sic Cain sicut fuit primus, ita magister fuit, qui *servire Mammonæ* docuit. Et sanè multos instruxit discipulos, qui ita profecerunt ut magistro non cedant, & de quibus dici potest: *Animæ dispendio emuntur opes ab eis.*

Gen c. 4. Exod cap. 13. D. Euch. Ep Lugdu. in Bib. ve. PP. t. 5. p. 1 l. 1. con. in Gen col. 2. f. 289. l N Arb. vitæ con. in Gen c. 3 v. 14. fol. 429. n. 444.

10. Ad alias comparationes assurgamus. Gloria opponatur divitiis, & hominis optioni tam gloria, quàm opes dentur, certus sum gloriæ, opes anteponendas. Deus mortales in acquirendâ gloriâ tàm inertes videns, ut ad consecutionem supernæ beatitudinis aspirarent eos solicitare voluit. Sed quem modum loquendi adhibeat audite. *Facite vobis sacculos, qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in cælis.* Agedum fideles omnes ad acquirendos thesauros cœlestes animos sumite, in opibus corrogandis, quæ in ærario cœlesti asservantur ne desides sitis. Quid? an forsan in cœlo sacci auro, argentoque pleni sint, aut cistæ thesauris, atque divitiis refertæ? non; quia à beatis in cœlo in vili habentur. Dionysius Carthusianus præfata verba de Christo interpretatur dicens: *Id est nolite in hoc sæculo pecunias congregare, atque in bursis, seu repositoriis corruptibilibus ponere ad commodum privatum, & inordinatum, sed in regno cælorum eas colligite, dando eas modo egenis, ut ibi inveniatis mercedem: quia hi sacculi sunt thesaurus cœlestis nunquam deficiens, hoc est merita copiosa, & divitiæ interiores.* Sic Euthimius: *Per sacculos synecdochicè significatur thesaurus,*

C. Luc. c. 12. D. Dion. Cart in Eva. Luc. c. 12. art. 33. f. 210. col 2. l. F. Euthim. ap. Ians in

conc Ev. c.87.f. 262.col.1. l.D. *saurus, ut non veterascere sit non deficere.* Sed quid sancti istis opibus in paradyso agant? si Deus in terra eas detestetur, quanto magis in cælo in abominatione sint? si non libenter videat divites, quanto minus libenter conspiciat divitias? *Facilius est camelum per foramen acus transire, quàm divitem intrare in regnum cælorum. Dives difficilè in-*
D Matth. c 19. *trabit in regnum cælorum* An non auditur Apostolus dicens: *Qui volunt divites fieri, in-*
1.Thim 6 *cidunt in tentationem, & in laqueum diaboli?*
D. Iacob. 5 & Divus Jacobus: *Agite nunc divites, plorate ululantes in miseriis, quæ advenient vobis.* Nonne ipse Christus iis minitatur dicens: *Væ vobis divitibus.* Et tamen in cœlo esse opes, quæ nunquam exhauriuntur asserit?
D.Luc. c.6. *Thesaurum non deficientem in cælis.* Hoc esse stratagema unum Dei N. scitote. A nobis avidissimè appeti opes terrestres, vix autem, vel nihil desiderari gloriam cœlestem cognoscit, perinde ac diceret: si ego gloriam nudam hoc est quatenus gloriam offero, certo certius eam homo non curabit, sed si eam vestitam divitiis, auro ornatam, & sub specie thesauri propono, sine dubio illam acceptabit. Itaque si recipiatur gloria, quia sub specie exhibetur Mammonæ, inferri licebit, juxta illud:
Arist 2. post. *Propter unumquodque tale, & illud magis.* Hac comparatione majoris æstimari opes, quàm gloriam. Id quod mox dixi eleganter Divus Chrysologus explicat.
D.Petr. Chrys. ser. 25. *Quæ thesaurizantes temporaliter arguebat ad totum cupiditatis fomitem jubet sacculos sine fine perquiri: Christe quo te pertrahit amor tuorum? ut avarum lucrifacias, facis eum quod desiderat, non quod oportet audire, sacculos imperas æternos thesauros, qui non deficiant vis parari, ut dum consueta avarus percurrit ad lucra, aut virtutem capiat, aut à virtute capiatur* Et Deum alloquens idem Archipræsul Ravennensium
Idem ser. 25. subdit: *Imputribiles in cœlo sacculos vis parari, ut qui te non sequitur ad cœlum, sequatur saltem sacculos suos.*

11. In cœlo esse valdè opulentos homines Divus Bernardus testatur.
D.Bern. serm.12. in Cant. *Sunt viri divitiarum in civitate Domini virtutum.* Sed quid importat hocce testimonium? an non melius Deum esse authorem omnis boni, quod glorificat beatos, & videndo Deum eos esse participes omnium delitiarum imaginabilium dixisset? plus dicit justus Orgelitanus in illa verba: *Vir adfert pro* Can c.8.
fructu illius mille argenteos? In mille argenteis plenitudo totius remunerationis ostenditur, & merces consummata justorum. Quid nummi argentei agant in paradyso? in quem usum serviant? me herclè in cœlo non esse opes nostrates, nec nummos aureos, vel argenteos scio. Sed sacros scriptores asserere, quod ibi magnâ copiâ reperiantur credo, quia si homo persuasum haberet in cœlo non reperiri gazas, nec ibi valere nummos, in terra semper manere, & *servire Mammonæ* optaret. Iustus Orgeli in c.8. Cant n. 195.

12. Cajetanus ad aliam insignem, & curiosam ponderationem me invitat, Christus parabolam divitis introducit, qui in oras longinquas discedere volens, tres quos numerabat servos advocans, primo quinque, alteri duo, tertio unum talentum reliquit. *Vni dedit quinque talenta, alii autem duo, alii vero unum, & profectus est statim.* Reversus, ut lucri rationem redderent accersit, Primus se sistit, & quinque alia lucratus est. *Operatus est in eis, & lucratus est alia quinque.* Secundus duobus duo addidit: *Et lucratus est alia duo.* Tertius talentum humo otiosum defodit. *Et abscondit pecuniam Domini sui.* Dominus bile inflammatur, eumque acriter verberans talentum ab eo auferri, & illi, qui decem habebat, dari jubet. *Tollite ab eo talentum, & date ei, qui habet decem talenta* Dionysius Carthusianus per hunc Dominum Christum, qui è terra ad patriam cœlestem redivit, illincque supremo orbis die mundum judicaturus revertetur intelligit; *Per hunc hominem intelligitur Christus qui in Ascensione à terra ad cælum perrexit* Et Divus Gregorius: *Homo iste, qui peregrè proficiscitur Redemptor noster est, qui in ea carne, quam assumpserat abiit in cœlum. Et posuit rationem cum eis.* Hocque erit in ultimo judicii die ait D. Thomas: *In ratione autem ponenda, judicii examen est.* Illis, qui lucrati fuerint meritis, beneque se habuerint hæc talenta dabit. *Nimirum ait quidam modernus numerosam talenti pecuniam in die judicii dicitur Christus daturus Beatis.* Cum in cœlo nil ematur, vel vendatur, erunt superflua hæc talenta, ad quid ergo servient, maximè cum beatis nil desit? Cajetanus sapienter beatis danda respon-

D. Matth. c.25. Dionys. Cart. ibi. art 40.f. 85. col.1. D. Tho. in Cate ibi. f.87.col.2 l H. Didac. Celada in Iud.c.15. v.1.§.10.

Cajet. ibi. respondet, non *quoad usum quia non est amplius tempus meriti sed quoad gaudium* Dicere voluit, beatitudinem, quam Christus dabit mortalibus judicii supremo die non fore perfectam lætitiam, nec omnino beati censerentur, si ad minus nomine talenti, vel divitiarum non vocaretur. *Non*, concludit dictus Judithæ interpres, *ut nummis utatur, sed ut nummis veluti gaudeat, sic homo æstimat pecunias. Quid exaggerat jus? ô infinitam divitiarum cupiditatem, qua flagrant homines!*

Didac. Celad ubi supra.

13. A mundanis gloriam non credi, vel non æstimari non dico, quia sciunt quantum sit bonum, sed comparativè discurro. Respectu divitiarum gloriam ab iis censeri velut lutum, vel rem minus acceptam, quam possident fermè dixerim. Salvatorem quidam adolescens adivit, & beatitudinis æternæ consequendæ se desiderio flagrare ostendens, modum, quo illam obtinere possit interrogavit: *Magister bone, quid faciendo vitam æternam possidebo?* Christus respondit: *serva mandata.* Hæc replicat sanctè ab infantiâ servavi, nec ullum violavi. *Hæc omnia observavi à juventute mea.* Bene egisti subdit Christus, & boni Hebræi partes fecisti, unicum restat, quod si pergeris, vitam æternam, quam flagitas habebis; juvenis ad omnia quantumvis difficilia se promptum exhibet. Magister ait ad omnia, quæ requiruntur sum paratissimus, omni quantumvis arduæ rei me impendam, nec erit quid adeo difficile, quod me terreat, esto etiam mortis periculo me objicere deberem. Agedum ait Christus cum ita resolutus sis: *Vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus.* Egone meis opibus exuar? jam jam cœli cupiditas evanuit. Si ita sit Deo maneat gloria, mihi sint meæ opes, Christum reliquit, & offensus abiit. *Contristatus in verbo abiit tristis. Erat enim habens multas possessiones.* Vitam ludere potius æternam, quàm opibus valedicere statuit. *Cœpit*, ait Origenes, *dives scalpere caput suum, & non placuit ei* Paschasius Ratbertus: *Quia semper carnalia, ac terrena plusquam cœlestia quæsivit, tristis, ac malè offensus recessit à Christo.* Dionysius Carthusianus. *Quia timebat facere, quod audivit. Erat enim habens multas possessiones, hoc est divitias: ex quo patet, quod licet fuerit justus servando præcepta charitatem Dei temporalibus omnibus præferendo, non tamen erat perfectus, quia temporalibus aliqualiter inordinatè adhæsit.* Et demum Cornelius Jansenius concludit: *Quamvis valde avidus esset adolescens iste perfectionis; tamen divitiarum, quas possidebat abundantia, & amor non permisit eum amplecti, quod volebat. Quo enim plura habebat, eo magis servus eorum affectus erat. At quoniam multas habuit possessiones, & dives erat, valdè contristatus est in sermone Domini, dolens, quod nonnisi divitiis abjectis, perfectionem assequi posset, & adeò dolens, ut Christo derelicto abierit.* Hic de iis fuit, qui *volunt servire Mammonæ, & non Deo, odio habent Deum, & diligunt Mammonam Deum contemnunt, & sustinent Mammonam.* O stultos, ô infelices?

D. Marc. c. 10.

Orig. in Catena D. Tho. c. 19. D. Matth. ibi Pasch Rat. ibi.

Dionys. Cart. in c. 19. Matth art 33 f. 68. col. 2. Corn Ians. com in conc. Evāg c. 100 f. 284. col. 2.

14. Et quid demum utilitatis referetis quod opibus subjecti fueritis? an forte duodenes, vel centenarios annos addent? an fortè vitam fœlicem, & tranquillam molestiis expertem, & curis quæ mentem turbant, & cor angunt eximiam concedent? Imò totum contrarium dant; faciũt vos inquietos, suspiciosos, anxios, si opes velis obtinere est opus laboribus, si obtinueris, times ne perdantur, si eas perdis tormentaris, & doles, si alius te sit ditior, invidiâ viscera discerpuntur, si tu sis opulentior elatione, devoraris, opes sunt passiones animi, quæ vitam decurtant. Cur ergo ita mentem infascinari, ac visũm auri splendore obfuscari permittitis? ego mihi periculum, vel infortunium imminere crederem si eas obtinere velle cuperem. Rem verè raram Silvius Geraldus in Hiberniâ expugnatâ, refert. Quidam ditissimus tribus noctibus continuis somniavit prope quendam fontem sub lapide ingentem auri summam latere, eamque se manu eruere posse. Somnio credidit, & totus lætus aurum quæsiturus abiit, manum extendit & viperam quæ morsu digito fatale vulnus intulit, repetiit. O impias? ô fallaces opes, hoc solarium vobis servientibus rependitis. Si de vobis somniantibus adeo sitis exitiales, quales non eritis possidentibus vos vel ut melius dicam iis, qui à vobis possidentur.

Silvius Gerald l. 2 c. 41 ap. Aref. p 2. de vitiis lib. 6. Imp. 185. f. 335.

15. Tyrannidem earum ille prudens optimè cognovit, adeoque divites, qui divi-

divitias vitâ, & animâ chariores habent vilipendens, & perstringens dixit:

Franc. Octavi, ad Iuliam in delit Ital. p.1.f.141.

Quid cumulatis opes? quid pondera vana metalli,
Fulvi? quid argentum nitens, purpureasque togas?
Quid juvat innumeris Ægyptia rura juvencis,
Arare, quæ Nilus suis irrigat arva vadis?
Num vos divitiis plures vivetis in annos,
Ætasve erit felicior, majus & ingenium?
An potius miseros noctesque, diesque labores,
Necesse vos erit pati, perpetuumque malum?
Divitias etenim curæ committantur amorq;,
Et inquieta pectora, sollicitique metus
Ergo quis poterit felicem ducere vitam,
Tantis cruciatus malis? quisve beatus erit?
Non miser est potius (volumus si vera fateri)
Immensa quisquis possidet sollicitudinibus?

De eo, qui opes non possidet velut Dominus, sed iis servit velut servus dici potest, quod *Equum habeat Sejanum*, & qui eas non appetit, sine invidiâ illas teneat. Quiescamus.

ALTERA PARS.

Non potestis duobus Dominis servire, Deo, & Mammonæ.

16. Eousque pertigit humana malitia, ut dum de opibus agitur Deum nihili æstimet: *Diligit Mammonam, & contemnit Deum.* Jacob è domo Labani soceri sui, dum discederet Rachel quæ eum comitabatur nonnulla idola ex auro purissimo fabrefacta sic opinante Oleastro sustulit. *Rachel furata est Idola Patris sui, ex argento, & auro hæc idola conflata erant.* Laban in agro commorabatur, & dum post tres dies inopinatum abitum Jacob, filiorumque ejus intellexit, omnibus neglectis eum insecutus est, quousque spatio septem dierum ad montem Galaad pertingeret, ubi fugitivus Jacob tentoria propulsandis injuriis æris, & quieti capessendæ fixerat Laban genero haud adeo benè affectus fuit, & nisi Deus in itinere comparens vetasset, nocumentum ii intulisset. Sed ægerrimè tulit, quod insalutato hos- pite discessisset, secumque Liam, Rachælem filiosque abduxisset, sed super omnia maximis gemitibus idola oblata quærulabatur: *Cur furatus es Deos meos?* ille se innocentem esse respondit, veniamque fecit intrandi tentoria, cistas aperiendi, omnia invertendi, & si furtum deprehenderit, severè illud vindicet. *Apud quemcunque inveneris Deos tuos, necetur coram fratribus nostris scrutare, quicquid tuorum apud me inveneris, & aufer.* Laban tentorium intrat, diligentiâque possibili omnia lustrat Sed cur adeò afflictus fuit? an forsan alia idola in domo non fuerunt? an terra, vel ligna non fuerunt ex quibus alia fabricare posset? eccur ergo iter adeo prolixum septem dierum suscipiat, & tot difficultatibus, & incommodis se subjicit ut idola recuperet? respondet Abulensis: *Inquirebat idola sua, quia valdè diligebat illa, cum essent pretiosa de auro, & de argento* Sed cur non potius dixit, *quia diligebat ea*: eo quod velut Deos haberet illa, à quibus omne subsidium sperabat, ideoque solicite invigilare debebat ut illa inveniret? *Cur non ait, quia diligebat illa, eo quod vera numina arbitrabatur, non autem ex eo, quod essent de auro & argento confecta?* dubium hoc quidam modernus movet, illudque sic solvit: *Quia Laban majori in pretio habet aurum, quàm ipsummet Deum.* Non quærebat illa quatenus idola, sed quia aurea, & argentea erant.

Oleast. Gen c. 31.

Abul. in c. 31 Gen. f. 602. col. 1 G.

Io de la Haye. ib. tom. 2. in Gen f 641 n. 174.

17. Christus victoriosus Hierosolymam intrat, & templum divinum visitat, sed in illo mercatum animalium, boum, columbarum institutum cernit, flagrum ex restibus, & funibus nectit, ac irâ exæstuans è templo eos abegit, mensasque cum nummis, & pecudibus ejecit. *Cum fecisset quasi flagellum de funiculis, ejecit omnes ementes & vendentes de templo & mensas nummulariorum &c.* Teste auctore imperfecti ministri Ecclesiæ adeo hunc actum molestè tulerunt, ut tunc prius ejus necem molirentur *Tunc præcipuè cogitaverunt eum occidere.* Verum à contrario tanquam ministri Dei, quod Christus reverentiam loci sacri zelaret id iis gratum esse debebat. Ergone ob hoc senatum cogunt, & unà omnes in ejus mortem conspirant? audite causam, quam dictus auctor affert: sic secum discurrebant. Si populus eum esse filium Dei credat, & ut

D. Matth. c. 21.

Auct oper. imper. hom 40. in Matt.

ut talem adoret, ne deinceps pecudes vendantur, & nummi in templo asserventur, vetabit, hunc usum tollet, & nobis reditus succidentur, & lucrum tolletur. Sit ergo, vel non sit filius Dei nostri parum interest, ejus morte nostros reditus stabiliemus. Verùm quidem est eo enecato prodigiis nos privandos, sed reditus infallibiliter habebimus. Ergo agamus, ut ille sine vitâ sit, ne nos nostris gazis orbemur. Audite dictum auctorem: *Postquam Iesus introivit in templum, & omnes vendentes animalia, quæ ad sacrificium vendebantur foras ejecit, in quibus sacerdotes tunc delectabantur, tunc præcipuè cogitaverunt eum occidere, dicentes intra se si populus istum habuerit Deum, necesse est ut dimittat consuetudinem hostiarum, quæ ad nostrum pertinent lucrum & sic jam non erit populus iste possessio nostra, sed Dei, videlicet non ad nostrum quæstum pertinens, sed Dei.* Adjungit modernus Doctor Parisiensis: *Ecce tibi cur vellent perdere Deum, quia nimirum putabant illius esse conditionis, quæ ab aris suis, & templis suis arceret occasiones lucrorum sacerdotum, ubi autem lucra necessum est perdi, magis volunt avari ministri, quod perdatur Deus.*

Idem ubi supra.

Io. de la Haye in Exod c. 15 f. 918. n. 224.

18. Dominus ad urbem Gerasenorum appulit, in illâ duo à dæmonibus infessi erant; porro illi dœmones adeo erant impii, & crudeles, ut non solum illos duos miseros torquerent, sed & omnes transeuntes mille offensis, & injuriis peterent. Christo itaque prætereunte altè vociferabantur: *Quid nobis & tibi Iesu fili Dei, venisti ante tempus torquere nos?* sed Dominus, abirent, illasque miseras creaturas dimitterent jussit. Non obstiterunt, sed hanc sibi gratiam fieri postulabant, ut gregem porcorum invadere liceret: *Mitte nos in porcos.* Filius Dei votis eorum annuit *Ite.* Illa: itaque animalia dum illud lucrum in corpore sentirent, in grunnitus proruperunt, se invicem morsibus petiverunt, unguiculis dilaniarunt, & conturbata fugerunt, & illos diabolos, qui eorum viscera corrodebant sufferre non valentes, in mare ruerunt, & se submerserunt. Subulci hanc rem tragicam conspicientes, desperati ad urbem cucurrerunt, & Dominis successum retulerunt. Magna res N. contigit, nempe: *Et ecce tota civitas exiit obviam Iesu,*

D Matt. c. 8. D Marc c. 5. D. Luc c. 8

& viso eo rogabant eum, ut transiret à finibus eorum. Sed cur ei abitum conceditis, à quo tot beneficia, & miracula obtinetis? infirmos vestros curat, obsessos liberat, & gratias majores præstabit. Totum hoc verum est, sed quia gregem porcorum perdidit, abeat, ejus gratias flocci facimus, si nostræ pecudes interire debeant. Verè bestiales sunt ait Theophylactus, quibus potius amissio porcorum placet, quàm Dei. *Rogaverunt ut discederet, timebant enim ne aliquando tale aliquid paterentur: contristati enim de porcorum perditione, præsentiam renuunt salvatoris.* Idem confirmat Carthusianus: *Ne talia damna amplius paterentur, si Christus plures Dœmoniacos in terra ipsorum curaret. Verumtamen si sapientes fuissent potius Christum rogassent secum manere, quàm omnino terram eorum exire.* Consentit insuper Jansenius: *Horum timor non ex simplici, sinceraque humilitate nascebatur, sed ex nimio amore rerum temporalium, quibus malè timebant.* Et tandem Joannes Lopez Episcopus Monopolitanus: *Considerantes damnum quod perpessi fuerant in subversione porcorum, Iesum rogabant, ut discederet ab eis, magis enim commovebat animos eorum jactura porcorum, quàm salus hominis, maluit sine Christo porcos suos servare, quàm cum Christo eis carere.*

Theop. in Cate. D Marc. f. 110. col. 4 lit. G.

Dionys. Cart. in c. 8. D. Matt art. 17. f. 33. l C.

Iansen. in concor. Evang. c. 31. f 315. col. 1. l C.

Io Lop Ep. Monop in Dom. 18. post Pent.

19. Uerum quidem est à vobis objici posse, quod Geraseni non cognoverint Christum fuisse filium Dei; sed quomodo ex tot prodigiis stupendis, quæ virtutis humanæ vires excedebant id eruere non poterant? attamen concessâ vestrâ instantia ultimo etiam ab iis, qui Christo chari fuerunt, & qui eum Deum esse agnoscebant divitias ei antepositas probare volo. Quidam discipulus hanc veniam à Christo petiit: *Permitte me primum ire, & sepelire patrem meum.* Sed Christus id non concessit: *Sequere me, & permitte mortuos, &c.* Ego non solum demiror, quod ille discipulus, cum alii essent, qui Vespellonis officium agere possent, patrem sepultum ire voluerit, sed & præterea quod Christus id opus misericordiæ, & maximè patri præstari prohibuerit, obstupesco. *Est,* ait Abulensis, *unum de septem operibus misericordiæ corporalibus, quæ non solum sunt laudabilia; sed etiam necessaria.* Chrysostomus totum

D Matth. c. 8.

Abul in c. 8. D. Matt q. 62. f. 256. c. 1.

totum id ex charitate non processisse respondet: sic namque tacitus discurrebat. Meus pater nummatus est, sine dubio testamentum fecerit, num me hæredem instituerit videre cupio, illo sepulto testamentum reserari curabo, & si hæredem me institutum videro, Christum relinquam, meisque opibus, ac gazis intendam *Post sepulturam enim necesse jam erat, & testamenta scrutari, & hæreditatis divisionem, & alia hujusmodi* Et quid postea sequeretur? *Fortè* inquit Abulensis *oriretur occasio ex hoc, ut nunquam ad Christum rediret, scilicet quia cupiditas rerum temporalium ex successione in bonis paternis, & novæ lites ex successione novæ hæreditatis, causarent ei fortè contrarium desiderium, & sic non rediret ad Christum* Revera ait Carthusianus nil perniciosius amore divitiarum. *Nam qui divitiis implicatur, pedes suos mittit in rete, ne possit coram Deo ambulare perfectus, quia divitiæ viscosiores sunt visco, & vix evellitur animus occupatus ab eis.* Quod si tamen divitiis servire velitis, ad minus veris, & non falsis, virtuti, non auro famulemini. Hinc cecinit Poëta:

D. Ioan. Chrys. c. 8. D. Matth. in cate. D. Th. ibi. Abul in c. 8 D. Matt. q. 63. lit. G. col. 2.

Dionys. Cart. de reform. claust ar. 9 f. 430. c. I.

Divitiæ non sunt argenti pondus, & aurum,
Virtutes veras, accipe divitias.
Virtus post funera vivit.

Ioan. Ov. Monos. Eth. & Pol f. 146. n. 36.

Ergo meo consilio acquiescite: *Servite Deo, & non Mammonæ.* Et ite in pace.

DOMINICA DECIMAQVINTA

POST PENTECOSTEN.

***Ibat IESVS in civitatem, quæ vocatur Naim, & ibant cum eo discipuli ejus, & turba copiosa.* Luc. 7.**

ARGVMENTVM.

Ostenditur, quam nociva sit curiositas.

1. A Tribus hominem domo ejici, nempe aqua, fumo, mala muliere fert proverbium: *triplex incommodum ejicit de domo inhabitantem,* sunt verba D. Bernardi, *stillicidium fumus, & mala uxor;* Verum supradictus mellifluus congruè quartum posse addi, scilicet curiositatem censuit. *Egrediatur utique foras necesse est, ut curiosus exteriora consideret, qui sic interna despicit:* horum curiosorum primas ferat, serpens stygius, qui immoderata curiositate actus ad paradysum terrestrem se contulit, & mulierem inveniẽs, magna instantia ab ea quæsivit: *Cur præcepit vobis Deus, ne comederetis de omni ligno paradysi? hoc scire* inquit Diodorus *atque intelligere volens, tanquam curiositatis amator Evam sciscitatur.* Quis, nisi immoderata curiositas scire desideravit, quid Deus ante creationem mundi egerit; Gigantes turrim ad stellas usque pertingentem ædificare non cœpissent nisi ideas fabricarum cœlestium, & immensos globos sphærarum supernarum conspicere averent, Salomon semper id spectavit incredibili cupidine, ut opera omnia creaturarum terrestrium penetrare posset; *Proposui in animo meo quærere, & investigare de omnibus quæ sub sole fiunt.* Regina Saba è regnis suis discessit, ut num sapientia hujus regis famam, quæ totum orbem pervolabat, æquaret, cognoscere posset: *Sed & Regina Saba audita fama Salomonis, venit tentare eum in ænigmatibus.* Innocens

Serm. 7. de donis Sp. S.

Gen. 3. Diodorus apud Haytom. I. in

Gen. c. 3. v 79.

Eccl. I.

3. Reg. 10.

nocens Joseph vultus turbatos servorum Pharaonis secum vinctorum conspiciens se continere nequiit, quin causam interro-
Gen. 40. garet; *Cur tristior est hodie facies vestra?* similiter Jonadab ex signis faciei mœrorem, qui cor Amonis filii David invaserat, con-
2. Reg. 13. clusit: *Quare sic attenuaris macie fili Regis, cur non indicas mihi?* magna curiositate Apostoli à suo magistro diem Judicii sibi reve-
Matt. 24. lari petierant. *Dic nobis quando hæc erunt?* S. P. Augustinus, tria Paulum prædicantem, verbum incarnatum, triumphum imperatorum videre desiderabat. Athenienses nulli adeo rei quam curiositati addicti e-
Arisius de vitiis p. 2. lib. 6. rant: intellectus humani per curiositatem penetrantes secretissima viscera naturæ, scientias Philosophicas, & mathematicas invenerunt; & dum varias experientias rerum fecerunt, & varietatem objectorum pascendis oculis introduxerunt, distinctionem artium invenerunt. Et quod non è laribus paternis curiositate moti abeunt, varietatem regionum, & morum conspecturi? ad civitatem Naim oculos conjicite, & cum Apostolis innumeram turbam Christo adhærere videbitis: *Et ibant cum illo discipuli ejus, & turba copiosa.* An pro obtinendo aliquo favore, vel ut ejus fierent discipuli fidemque veram acceptarent eum sunt secuti? Dionysius Carthusianus opinatur eos motos curiositate ut miracula, quæ quotidiè patrabat, viderent, ei adhæsisse: *Quotidie crevit fama & magnificentia Christi, ita quod frequenter multa millia comitabantur eum, & diversis ex causis diversi secum pergebant, maximè tamen confluebant ad eum propter incomparabilem excellentiam, atque frequentiam ejus in faciendis mira-
In cap. 7. Luc. ar 17 culis* Et dum ego de curiositate discurro, vos curiositate devota cum attentione, & silentio me audite.

PARS PRIMA.

Ibant cum illo discipuli ejus, & turba copiosa.

11. DUo genera curiositatum reperiuntur, prima desiderat, & diligenter res occultas, & dignas scitu, quæque proprium statum concernunt scire flagrat; hæc est bona & laudabilis, vocaturque à Divo Thoma studiositas, *studiosus est cupidus cognoscendi ea, quæ ad animum nutriendum liberaliter, & ordinabiliter pertinent.* Secunda D. Th. 2. 2 dæ q. 167 est desiderium inordinatum sciendi illa, quæ ad nos non pertinent, & specialiter secreta, atque facta alterius, & hæc est vituperanda, ac fugienda, ut monet Ecclesiasticus: *Insuper vacuis rebus, noli scrutari multipliciter, & in pluribus ejus operibus non eris curiosus.* S. Anselmus sic eum definit. *Est* Eccl. 3. *studium perscrutandi ea, quæ scire nulla est utilitas.* Et Hugo Cardinalis: *Est superflua indagatio ad se non pertinentium.* Hanc distin- Lib. de simili. ctionem tradidit S. P. Augustinus; *Distate curiosus à studioso, quod quamvis uterque agatur magna cupiditate noscendi: Curiosus tamen ea cupiditate requirit, quæ nihil ad se attinent.* Lib de utilit credendi c. 9. Et S. Bernardus. *Sunt qui scire volunt eo fine tantum, ut sciant, & turpis curiositas est, & sunt, qui scire volunt, ut sciantur ipsi & turbis vanitas est: Et sunt item, qui scire volunt ut scientiam suam vendant pro pecunia, pro honoribus, & turpis quæstus est Sed sunt quoque, qui scire volunt, ut ædificent, & charitas est,* hæc Serm. 36. in Cant. ultima rara est in hominibus, sed priores satis frequenter; hoc sensu Aristotelem dixisse credo: *Omnis homo natura scire desiderat.* Nullam passionem in corde humano magis dominari putem, quàm curiositatem. Hanc nullus subigere potest, quælibet alia potest instar accidentis separari, sed hæc cum sit nobis facta propria, instar proprietatis juxta Logicos *omni soli, & semper convenit.* Huc spectasse videtur Seneca dicens: *Curiosum nobis natura ingenium dedit, & artificii, & pulchritudinis suæ conscia spectatores nos tantis rerum spectaculis genuit; perditura fructum sui, si tam magna, tam clara, tam subtiliter ducta, tam nitida, & non uno genere formosa solitudini ostenderet;* natura, Lib. de beata vita c. 32. dum spectatores, & admiratores suarum actionum mirandarum desiderat, dedit ingenium curiosum, quod videre desiderat, alias fructus diligentiarum, & artificiorum se perdidisse crederet. Imo Deus cordibus nostris laudabilem, & virtuosam curiositatem cœlestium indidit; sed nos illam negligentes ad inferiorum indagationem, ex quibus nulla resultat utilitas convertimur. Audiamus doctrinam

Laurentii Justiniani Patriarchæ Veneti: *Factus est homo, ut cœlestia consequatur, invisibilia concupiscat, & majora quærat, impellitur igitur à natura, ut summum videre appetat bonum, inferiora ideo tanta cum aviditate perlustrat, ut si quid in illis summi boni vestigium est, percunctando reperiat.* Revera humana curiositas nimis magna est. *Non satiatur oculus visu, nec auris impletur auditu.* Et ego jurem, non esse creaturam in quâ non resideat curiositas.

Lib. de Triumpho. c.18.

Eccl.1.

3. In empyreum sublevemur, & Luciferum creaturam nobilissimam, quam manus divina creavit, consideremus. Sacri Doctores causam inquirunt, quodnam fuerit delictum Luciferi, ut inverteretur tota curia cœlestis, & ipse ab illâ velut indignus à sancto Michaële ejiceretur? A Dionysio Carthusiano multas assignari causas scio, inter quas primatū tenet superbia. *Voluit quippe Angelus præesse, non solum secundum quod Deus instituit, qui eum omnibus prætulit, scilicet, ut eis præesset sub Deo, ita quod ipse Deo subesset, & cæteris ad Dei honorem præesset, sed voluit habere separatum ac proprium principatum, ita quod sibi subessent, tanquam supremo cuidam ad ipsum in omnibus agendis, tanquam ad regulam recurrendo, eo quod sapientior, ac sublimior esset.* Sed D. Bernardus in hoc facto actum maximæ curiositatis notavit: Primo, dum indirectè actu voluntatis similis Deo esse voluit. *Super solium Dei exaltabo solium meum, & similis ero altissimo.* Secundo dum actus intellectus antecedenter curiositate ductus illos terminos, & gradus investigavit, ad quos eum effrenati appetitus, & inordinata desideria portabant. *Per curiositatem à veritate cecidit, quia prius spectavit curiosè, quod affectavit illicitè,* ait Bernardus. Sed nolim ut curiositate nostrâ, ad tantam sublimitatem evehamur, sed dum idem nobis evenit, quod Lucifero, ad nostra deprimamur volo.

In cap. 14. Isai. ar. 31

Isai. 14.

De gradu humilitatis.

4. In pueritiâ ubi necdum micant signa prudentiæ nec germina rationis prodeūt, jam arbor curiositatis crevisse videtur, quidam puer in tenerâ ætate D. Bernardo consignatus fuit, ut ab eo instrueretur in virtutibus, & educaretur in statu religioso. Sanctus omnem diligentiam spondens, ut gradus perfectionis acquireret, eum acceptavit; primis diebus illum probare voluit, ut eum perficeret duabus patinis aviculam vivam imposuit easque puero tradidit ad cellam deportandas, strictè interim præcipiens, ne ullo modo eas discooperiat; hæc verba ferrum fuerunt, quæ petram appetitus percutientes, flammam curiositatis accenderunt, à sancto abivit, atque in via sic secum discurrebat: repetito mandato mihi imposuit magister meus, ne scutellam discooperiam, quis divinare possit quid sub iis lateat; an tantum piaculum sit superiorem scutellam amovere? sed cave, nam ne eas tangas tibi est interdictum; quid aliud latere potest quam ferculum? & si hoc sit, sufficit quod animus mihi sit, quo stimulis gulæ resistam, sed audire videor aliquid se movere. O Deus! & quid sit hoc sit? si pater me non videret, aperirem, nullum est periculum, nescio quid agam, & quid aget si scutellas detexero? & si id viderit, non nisi ferulæ subjiciar, & dum non amplius posset resistere impulsibus curiositatis scutellas detexit, & avicula subitò avolavit, non multo post supervenit S. Bernardus, qui totius quod contigerat certior factus in stuporem est actus in puero adeo juvene tantam curiositatem regnare, eum dimisit, ad domum patris ob curiositatem eum judicans servitio Dei ineptum.

5. Quantò magis crescit ætas, eò plus augetur curiositas; postquam æternus creator grandem machinam cœli formavit, cum ornamentis solis, lunæ, stellarum, planetarum, postquam fundasset terram, congregasset aquas, produxisset pisces, aves, herbas, plantas, flores, ferasque sylvestres, tres divinæ personæ producere hominem, ut horum omnium absolutus esset Dominus decreverunt; jam scitis ad constitutionem hominis duas partes essentiales materiam, & formam, corpus, & animam intervenisse: *Fecit Deus hominem de limo terræ & inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viventem.* En partem corpoream, & spiritualem; hic ordinem, & prioritatem partium formatarum observare debemus; primo format corpus, dein creat animam, si hæc sine comparatione sit nobilior, dignior, cur Deus non dat illi præcedentiam, maximè cum lex mandet digniora

esse

esse præponenda; & si corpus vellet concertare cum animâ, hæc aliquam causam haberet ratione saltem prioritatis, nam lege determinante, dignitas ubi est major, prioritas temporis non attenditur, ingeniosè respondet Procopius Gazzeus: anima si exstitisset ante formationem corporis Adami, tunc vidisset formari manus, & interrogasset curiosè fuisse in quem finem serviret manus, cur haberet tot digitos, & non plures cur duæ manus, & non duo capita, & sic discurrendo de singulis membris cum maximâ curiositate officia eorum interrogasset. Hinc Deus primo voluit formare corpus, & dein animam creando infundere, & infundendo creare. *Nec Deus* (ait Procopius) *animam ante formationem corporis creat, videlicet ne sit eorum, quæ fiebant inspectrix*, Clarius id alius expressit: *Ideo non ante hæc omnia ex nihilo eam creavit, ut inspectricem eorum, quia eam curiosam esse non desiderat.*

Procop. Gazeus ib. Io Haye in c.2. Gen. v.1 n.154 l.B.

6. Et quia loquimur de curiositate, nisi scirem me ut curiosum à vobis traducendum insignis dubii resolutionem flagitarem. Ex paradyso quatuor fluvios scaturiisse scitis. Phison, qui circumfluit totam terram Evilat, Geon, qui currit per Æthiopiam, Tygris, qui irrigat totam Armeniam majorem, Euphrates, qui imo brachio Mesopotamiam, & altero Babyloniam inundat. Nunc mea curiositas prodit: cur incolæ illarum Regionum non navigant, vel tendunt contra fluxum horum fluminum ut sic ad paradysum terrestrem locum adeo deliciosum pertingerent. Deus teste Theodoreto curiositatem hominum prævidit, ex qua ducibus his fluviis hoc attentarent, hinc ut mortificaret eorum curiositatem voluit nominatos fluvios è paradyso per meatus subterraneos scaturire, & postea è visceribus terræ effluere. *Hoc equidem non frustra omnium Deus, ita dispensavit, sed ut amputaret superfluam hominum curiositatem.*

Perer. in Gen. l.3 f. 342. Plin. c.27. l.6.

Idem l.5 c. 24 & 26.

Theod. q. 29. in Gen.

7. Ex scriptoribus profanis hunc defectum esse insertum, & inveteratum in cordibus hominum deduci potest, ut refert Plutarchus quidam Ægyptius, dum nescio quid sub pallio occultatum gestaret, ab amico rogatus, prudenter respondit: *Ideo velatum est ut ignoretur.* Eudoxius Philosophus sæpius se velle comburi instar Pyraustæ ut ad sphæram solis attingere posset, Originem ejus splendorum observaturus. Seneca de quodam Canio Junio narrat, eum libenter mori voluisse, ut num anima esset immortalis cognoscere posset, & num in instanti separationis à corpore posset scire an esset separata. Rex Antigonus per castra exercitus transeuns, scire cupiens, quid ageret Antagoras poëta, ejus tentorium adivit, & videns quod coqueret pisces, dixit: putasne quod Homerus pisces coxerit, gesta Agamemnonis scribendo! Prudenter huic respondit vates, & tu credis Agamemnonem in castris agentem curiosius indagasse num in exercitu coquerentur pisces? nulla est res in mundo vel homine, quæ successu temporis non deficiat, sed curiositas semper crescit, quo magis homo vitam producit, tanto magis curiositas juvenescit. De quodam sene decrepito legitur quod cum animam ageret audiens quosdam mussitantes, caput erexerit, auras arrigendo, ut ut quid dicerent intelligeret. Astantes, putantes eum auxilium petere, quid desideraret interrogarunt. Quibus respondit volebam audire, quid diceretis, & dein mori. Idcirco quidam vates hunc defectum curiosis objiciens sic cecinit.

Plut. de Cur. c.2. l. D. n. 917.

Paul. Aus. de Trin. Lect. 5. f. 68 n.20.

Sen. de Tranq. c. 14.

Apud Steph. Guar. l.1. f.112.

Paul Ares. de vitiis p. 2. lib. 6. de cur. n.13. Lud. Bigius in delit. Ital. p. 1. f. 429. ad Pamphil. Consul.

Quidquid fit ruri, quicquid fit in urbe requiris,
Et quid inops Codrus, quid Mida dives agat.
Quid tibi quæso ferunt aliena negotia rerum?
Anne magistratus Pamphile? nunquid opes?
Qui res alterius propriis indagat omissis,
Blandiri; aut nigro rodere dente cupit.

8. An creditis auditores è horum numero fuisse etiam mulieres, quæ secutæ sunt Salvatorem ob curiositatem, ut miracula ab eo patrata viderent? ego hoc non affirmo; scio id a sancto Lucâ Evangelistâ non specificari, sed eum tantum dicere: *Ibant cum illo discipuli ejus, & turba copiosa.* Sed dato hoc non fuisse factum, ideo non dixerim illas non esse curiosas. Quidam mercator Lusitanus ex Indiâ plurimas gemmas, uniones, adamantes, Rubinos, topazos, smaragdos, & similes uniones contulit. Eas exposuit venales, & brevi

tempore bono lucro illas vendidit. Soli smaragdi, vel quia non placuerunt, vel quia non erant perfecti, nullum emptorem habuerunt. Audite quid fecerit, ut eos venderet? nonnullos selectiores elegit, & deauratos Reginæ misit rogans, ut si in publicum prodiret hanc ei gratiam faceret, ut smaragdos in capillaturâ gestaret. Regina id promisit, & sequenti die promissis stetit. Domicellæ Lusitanæ videntes smaragdæ curiositate ductæ scire cupierunt, quis illos donasset, vel unde eos habuisset, an in urbe reperirentur, ad mercatores miserunt, num illos haberent, & scientes apud illum mercatorem reperiri non curantes pretium, vel expensas ex curiositate unico die omnes emerunt. Sed hæ domicellæ aliquatenus sunt excusabiles, vel quia accommodare se Reginæ voluerunt, vel quia erant juvenes, earumque forma illum ornatum postulabat. Quid diceres si etiam mulieres grandevæ, quæ aptiores potius sunt dare consilium, quàm illud à speculo recipere, in hoc defectuosæ sint?

Gen. c. 18. 9. Sara uxor Abrahæ *erat ætatis provecta*. Sic Genesis: vel ut scribit doctissimus
Gen. ibid. Abulensis, *erant ambo senes* Abraham centum, Sara nonaginta annos numerabat.
Abul. ibid. 491. col. 2 lib. 8. Dum sanctus Patriarcha sole calentissimo ad portam aëris hauriendi gratia sederet tres Angelos à longè, quos peregrinos putavit venire conspexit, & quia erat hospitalis, illis obviam processit, rogavitque ne producerent iter, sed domi suæ diverterent, lassaque membra recrearent, se omni
Gen c. 8. charitate eos excepturos *Confortate cor vestrum, postea transibitis, idcirco enim declinastis ad servum vestrum*. Acceptarunt invitationem, & apud eum manserunt. Abraham totus lætus domum intrat, servis imperat, Saram applicat cibis præparandis, & hospitibus tractandis. Sara nonnullas pastas conficit, servi vitulum tenerrimum, & pinguissimum mactant, Abraham mensam instruit, lac & butyrum affert, convivæ mensam adeunt, ab Abrahamo sub arbore extra tabernaculum non procul à domo instructam, hilariter epulantur. Prandio finito, Angeli ob charitatem exhibitam humanissimè gratias egerunt, eique dixerunt. *Habebit filium Sara uxor tua*. Hic facer textus hanc fœminam auditis his verbis, dum se nonagenariam consideraret, censeretque impossibile se concipere posse, risisse affirmat. *Risit Sara*, hic quoddam dubium moveo. Si Sara non erat præsens sed negotiis occupabatur domesticis, quomodo promissas Angelicas audire potuit ut moveretur ad risum, maximè cum sub meridiem infra arborem manderent? dixerat enim Abraham *Requiescite sub arbore*. Oleaster hic sumit occasionem laudandi modestiam Saræ, fœminasque docendi ut Saram, coram hospitibus non comparendo imitentur. *Docet hic Sara fœminas honestatem, ut non se oculis hospitum ingerant*. Ergo si aberat, quomodo poterat audire, & si non audivit, quomodo risit? N. ubi fuerit Sara observatè, *Post ostium tabernaculi*; clanculum retro ostium curiosa aures arrigebat, ut omnes discursus perciperet, quid nempe dicerent hospites, quidque maritus responderet. Hinc Oleaster affirmat non esse novum, quod videamus fœminam ita curiosam, cum curiositas iis familiarior sit, quam virtus: *Antiquum vitium fœminarum est omnia velle audire, omnes velle videre ex latebris* Hinc quidam modernus Saram interrogat *Si in tabernaculo, quæ mulierem decebant sollicita curabas quomodo audisti te prolem habituram?* & sibi ipsi respondet. *Inspice quidquid dicat textus, risit post ostium tabernaculi. sed cur post ostium quasi absconditur? sine dubio, ut ducta quadam curiositate, quæ dicebantur perciperet.* Et Lippomannus concludit: *Curiosè auscultabat mulierum more curiosior.*

Oleast. hic f 177. col. 1

Oleast ibid.

Io. Haye ibi v 9. n. 199.

Lippo ibid.

10. In ipsis etiam bestiis hic notabilis defectus deprehenditur, & quis unquam hoc crederet? nescio auditores, an audiveritis, vel apud scriptores legeritis, qualiter venatores capiant simias indicas, quæ ibidem maximâ copiâ reperiuntur. Istæ simiæ sunt adeò suspiciosæ ut de noctu in terrâ manere, & dormire nolint, sed altissimas arbores scandant, in earumque ramis quietem capiunt. Venatores itaque qui hanc earum proprietatem norunt arborem in qua dormire solent observant. Luna igitur splendente ad illas arbores se conferunt, finguntque se nescire illas simias in ramis quiescere. Multa paria ocrearum proferunt, & omnibus excepto uno

Paulus Aresi. de vitiis p 2. lib 6. in pre 174 f. 6. n 8.

D. Dion Cart lib. 1 de remed. tent f. 601 col 1. art 9 Tom. Opusc insigniora.

uno pari viscum interius affricant. Et sedendo ocreas quidam induit. Et post aliquod temporis spatium ocreas exuit, & ocreas visco illinitas infra arborem relinquit, & retro dumetum se abscondit, simiæ quæ venatorum actiones omnes observarunt descendunt, & curiositate ductæ omnia quæ viderunt imitantur, num ocreis bene incedatur probant, illas induunt, & quia sunt visco illinitæ subito accurrit venator, & dum nec fugere, nec arborem subire possunt, capiuntur, & curiositatem luunt. Huc alludens ille doctus hoc simbolum formavit, eique tale lemma adjecit: *Seipsam seducit.*

11. Verbo: Non invenietis creaturam sensibilem in qua non regnet curiositas; & esto omnes dedeceat, tamen hominem qui se profitetur servum Christi specialiter ita reddit odiosum, ut si nil aliud esset, tamen quia eam summoperè filius Dei execratur illum abominandum facit. Hoc deducere ex eo quod narrat sanctus Lucas, queo jussu Pilati Salvator à ministris curiæ fuit ductus ad aulam Herodis, hic eo viso mirè est exhilaratus non solum quia dudum ejus colloquium appetiit, sed & quia ex famâ multa heroica ab eo gesta fuisse didicerat, aliquod miraculum videre sperabat: Illum alloquitur, varia quærit, nec ullum responsum refert. *Interrogabat eum multis sermonibus, at ille nihil ipsi respondebat.* Et tamen Herodes se humanum exhibebat, & affabiliter cum eo agebat, eiq; gratiam præstare cupiebat. Si Christus affabilem omnibus etiam sibi non addictis, præstitit, cur Herodi, qui erat persona illustris, non respondet? forsan, quia patrem habuit illum Herodem, qui crudeliter tot innocentes pueros occidit, vel quia suum præcursorem decollari fecit? alii dicunt, quod si Christus respondisset, propalasset suam sanctitatem, & innocentiam, & Herodes eum liberasset à morte, quam ille libenter ob redemptionem mundi subire voluit. Has esse bonas rationes, cur Christus siluerit non nego. Sed, Jansenius, Carthusianus ad meum propositum respondent; Christum tacuisse quia Herodes curiosa, & inutilia scire voluit. Voluit ergo demonstrare hoc silentio, quantum sibi displiceret curiositas, cumque sic mortificare voluit. Hinc Jansenius: *Non merebatur videre, audireve divina, quia tantum ex curiositate signum quærebat responsum:* & Carthusianus, *nihil Iesus respondit, quia Herodes indignus fuit, eo quod ex curiositate fuerat motus.*

D Luc. cap. 13.

Ians in conc Evāg c 141. f 454. col. 1. l B.

Iansen ubi supra.

Noster redemptor gloriosus è tumulo resurrexit, undique circa Jerusalem fama hoc divulgavit, & ad aures Apostolorum detulit, omnesque exhilaravit. Solus Thomas fidem præbere non vult, imo rotundè ait, *Nisi videro, & tetigero, & mittam manum meam in locum clavorum non credam.* Sapientia humana ta cœnaculum in quo erant discipuli, intrat, *venit Iesus, & stetit in medio.* Ad incredulum se vertit, & digito eum vocat, manum ei porrigit ut plagas reconditas melius tangere possit. Deinde dicit Thomæ, *Infer digitum tuum huc.* Partem dexteram, in qua erat vulnus lateris discooperit dicens, *mitte manum tuam in latus meum.* Sed si Christus volebat credi à Thoma suam resurrectionem, cur verbis hoc ei non insinuat, aut cur ejus intellectum splendore gratiæ non illustrat? nonne sufficiebat dicere accedo ô infidelis, me bene intuere, vultum observa, hanc meam humanitatē contemplare, an non vides hæc vulnera, adhuc madida sanguine? sine dubio, ad hæc Thomas credidisset, quod exinde patet, quia sine tactu plagarum, ad solam vocem magistri statim est conversus, & exclamavit, *Dominus meus, & Deus meus.* Cur ergo tactu digitorum cicatrices renovari vult, ac si clavis, & manibus velut latus transfoderentur. Responsum D. Joannis Chrysostomi omitto: *Considera dominatoris clementiam qualiter, & pro unâ animâ ostendit se ipsum vulnera habentem, & accedit ut salvet unum. Sed tamen, quia solus Thomas quæsivit, neque hoc eum privavit Christus.* Sed D Chrysologus non aliam rationem, quàm curiositatem adduxit, dum Thomas dixit: *Nisi videro, & tetigero, & mittam manum meam in loca clavorum non credam.* Nunc videte an non Christus detestetur curiositatem, cum ut illam pelleret è corde Thomæ eum invitavit ad vulnera sancta renovanda? Perinde ac dixisset, ut tua curiositas videndo, & languendo cesset, contentor ut has plagas renoves: *Infer digitum tuum huc, mitte manum tuam in latus meum.* Audiamus S. Chrysologum: *Cur Thomas vestigia fidei, sic requirit? cur*

D. Dion. Cart. ibi. a. 49. l. E.

D. Io. c. 20

D Ioan. Chrys. in Cat.

D. Th. ib. f. 173. l. 1.

D. Petrus Chrys. ser. 84.

tam piè patientem, tam durè discutit resurgentem? cur ea vulnera, quæ manus infixit impia, devotâ dextera sic resedeat? cur latus, quod impii militis lancea patefecit, resodere manus nititur obsequentis? cur dolores persecutorum furoribus irrogatos, famulantis curiositas renovat immitis? & quidam doctissimus scriptor doctrinã Chrysologi confirmans ait: *Ecce tibi curiositatem infidelitatis ream, & resculpentem vulnera à tortoribus in passione Christo inflicta: plane immitis curiositas, mysteria Christianitatis turbat, requirẽs vestigia fidei, resulcans manuum plagas, resodiens lateris vulnus revocans de se tortorum immites dolores. Quid deterius curiositate? quæ Christianæ fidei inquietat sacramenta? Quis crederet à curiositate violari fidem Dei?*

Didac. de Celada in c. 7. Iud. § 47. v. 172

13. Et cur creditis Christum noluisse numero suorum discipulorum asscribi illum, qui non vocatus discipulis aggregari petiit: *Magister sequor te quocunque ieris?* cur repulit eum dicens: *Vulnus foveas habent, & volucres cœli nidos; filius autem hominis non habet ubi reclinet caput suum?* si aliud Christus non intendit, quam sui sequacium numerũ augere, cur hunc abegit, qui in hujus societate vivere, & mori voluit? mille respõsiones adducũt S. Patres. D. Petrus Chrysologus, *Decipit non accedit, qui permittit dominum incautè sequi, sed omnia posse quis promittit: dixisset cautius, sequar te quocunque jusseris.* S. P. Augustinus: *intelligitur miraculis motus propter inanem jactantiam eum sequi voluisse.* S. Dionysius Carthusianus: *Literatus fuit, cogitavit multis infirmis sanitatem à Christo acquirere inducendo ipsum ad sanationem illorum, sicque volebat pecuniam multam à sanatis colligere;* id confirmat beatus Simon de Cassia: *Aliquid iste scriba temporalis emolumenti sperabat ex Christo, aut dolo ista protulerit: propterea hujusmodi responsionem accepit, non quod se quereretur, sed quod Christo nihil aderat commodi temporalis.* Angelicus Doctor à Christo eum rejectum putat, quia curiosus fuit. Non solum cupiebat videre miracula, quæ Christus patrabat, sed & à Christo suum servitium potestate faciendi miracula remunerandum sperabat. Sed filius Dei, ejus curiositatem deprehendens illum abegit; ac si dixisset: curiositatem abhorreo, nec curiosos pati possum, alium quære magistrum, ego te non volo. Ex mala inquit Angelicus, *intentione volebat eum sequi, quia audiebat signum fuisse factum, volebat sequi, ut faceret signa.*

D. Matth. c. 8. — D. Petr. Chryso. ser 19. — D. P. Aug in Cat. — D. Thom. — D. Ilar. ib. — D Dion. Car. in c. 8 D. Matth. art. 17 l. C — B. Sim. de Cas l. 9 c. 16 f. 502. — D Tho in c. 8. D. Matth. f. 26 col. 4. l. K.

14. Locrensibus adeò fuit exosa curiositas, ut ad illam extirpandam sancierint; ut nova referens mulctâ aliquâ puniretur. Lex Plutarcho teste revera celebranda. *Laudanda Locrensium lex quæ si quis peregrè reversus rogasset, nunquid novi? eum mulcta afficiebat.* Si hæc lex a Christianis observaretur, non essent tot curiosi. Et quis N. hanc fecem non abominetur? videre aliquos toto die feriantes in plateis, vel terentes scamna in tabernis, vel circumcursantes, ut audiant nova quæ Româ ex Hispania, Gallia, Germania venerunt, quam non melius facerent si quid agatur in propriâ domo scire conarentur? ego tales temporis prodigos, otiosos, mendaces, fictores appello. Et sane si tantum tempus bono animæ impenderent, quantum perdunt in his curiositatibus vanis, id utile ipsis foret, per duas horas, attenti audient novellas mendaciis fartas, nec illis molestum est tanto tempore stare, sed si per quadrantem horæ debeant interesse missæ, afficiuntur tædio, murmurant, devotionem, & patiẽtiam perdunt. Quantum esset melius ut tales tempus non curiositatibus similibus, sed domesticis negotiis impenderent? Philosophus illum, qui domo exeuns conspicilia assumebat, rediens vero deponebat, objurgavit, quia à contrario egrediens illa domi relinquere, ne foris ad facta aliorum attenderet, revertens vero illa usurpare ut res domesticas curaret, debebat. Docere voluit, homines in observandis actibus proximi oculos habere linceos, esse aquilas, & Argos, ad suas vero actiones esse talpas. Ideo tales interrogavit Plutarchus: *Cur ô homo in alienis malis perspicaces habes oculos, in tuis cæcutis? inverte cognoscendi studium, & istam curiositatem ab externis transfer ad ea, quæ sunt intra te.*

Plut. de curios. — Carol. Sigon l. 2 c. 3 de pœnis. — Plut. de curiosit t. 2. l. D. n. 415.

15. Quæso vos annales vestræ vitæ erroribus refertos, historias vestræ familiæ percurrite, & illas miseriis plenas reperietis. Curiosus oculos semper apertos habet ut videat quid agant vicini, sed cæcus est ut attendat quid agant filii. *Incuria sui curiosum in alios facit,* dicebat S. Bernardus. Et dum curiosi conveniunt, nullus est cujus vitam & mores non examinent. Et quod pejus

D. Bern.

pejus est ad infortunia miserorum exhilarantur, & ad prosperitatem fortunatorum contristantur. Si obvient amico, vice salutationis, quid habeat novi quærunt. Si respondeat se nil scire, replicant, vidi non neminem in foro discurrentem cum exteris, absque dubio aliqua nova habebunt. Audivi bella jam incipere, talem principem conscribere milites. Verbo novellis vivunt, novis nutriuntur, & pascuntur.

Plut. de curios.

Carol. Sigon l. 2. c. 3 de pœnis.

Cur non estis potius curiosi ut sciatis in quo statu sit anima vestra. Num in statu salutis, vel perditionis, vel quam actionem meritoriam, gratam, vel magis, vel minus gratam præstare possitis? de hac sancta, & laudabili curiositate nec vos cogitare credo. Quantum illa vobis nocet, tantum hæc vobis proderit. Etsi hucusque in hoc detestabili defectu fuistis rei, deinceps vos emendate, & quiesco.

ALTERA PARS.

Accepit autem omnes timor.

16. POpulus curiosus tam rarum prodigium, resuscitati filii viduæ videns timere incepit, forsan quia curiositas tandem in miserias migrat, esto per divinum privilegium hæ turbis non evenerint. Hanc veritatem Poëtæ docent. Ulysses ut per longum tempus fluctibus per mare agitatus fuit, tandem ad aulam Aeoli Regis ventorum appulit Humaniter ab hoc exceptus fuit, & per aliquot dies in aula tractatus. Ulyssi valedicenti Rex in sacco, ventos conclusos dono dedit ne undas maris turbarent, & ille fœliciter cursum itineris absolveret. Ulysses saccum acceptavit, & in loco sequestrato navis recondidit. Illo dormiente socios curiositas incessit, videndi, quid in sacco esset, cum enim esset munus Regis, nil nisi rari, & pretiosi illo contineri censebant. Saccum invenerunt, curiosè aperuerunt. Et illico magno impetu venti proruperunt, mare turbarunt, undas fluctus inverterunt, & ita navem concusserunt, ut millies in periculo submersionis essent. Timebat Ulysses, trepidabant navigantes, & nisi fuissent nautæ, & naucleri expertes, omnes fuissent submersi, & jurè causam curiositati attribuere potuissent.

Plut. de curiosit. t. 2. l. D. n. 415.

D. Bern.

17. Quid dicemus de Atheone? hic juvenis venationi valdè deditus erat; & dum quadam vice canibus insequeretur feras, prope fontem aliquem venit, in quo Diana cum aliis Deabus per æstatem se levare solebat. Atheonem invasit curiositas eum videndi, & inter frondes, atque dumeta absconditus ne videretur Deas se levantes observavit. Ejus malo contigit, ut à Diana videretur, quæ indignata in cervum eum mutavit. Canes ut eum viderunt, feramque putarent ejus jugulum petierunt, & unguibus discerpendo occiderunt. Hic fructus fuit suæ curiositatis. Hæ sunt fabulæ N. quas finxerunt Poëtæ ut docerent homines curiositatem velut causam plurium infortuniorum fugere.

18. A fabulis ad historias transeamus. Aristoteles, dum satisfacturus curiositati motus maris Euripi investigare non posset in illud se præcipitem dedit. Similiter Plinium se præcipitasse in voragines montis Vesuvii historiæ referunt. Thales ille Milesius mediâ nocte in plateâ, capite erecto, oculis fixis, mente compositâ cælum serenum contemplabatur, ut ex curiositate sciret dispositionem Planetarum, motum sphærarum, numerum stellarum, velocem cursum primi mobilis ab Oriente in Occidentem, motus inferiorum orbium ab Occidente in Orientem conjunctionem Planetarum, eorum oppositionem an se respicerent, per trinum sestilem an quadratum, an in puncto summo ascensus, vel imò descensus, an versus Septentrionem vel Austrum. Considerabat insignem faciem Zodiaci, lineam eclipticam, per quam continuò ambulat sol. Observabat duos tropicos, duo æquinoctia, constellationes, quæ sunt in polo Boreali, velut ursam majorem, & minorem, Andromedem, coronam Ariadnæ, Bootem, Bifulcum, canes Siri, & Phocionis mirabatur signa Australia, nempe libram, scorpionem, navem Argi, &c. Et dum his curiositatibus intenderet, inopinatò movens gressus in fossam cecidit, cum aliquo suo damno Hinc ab ancilla doctus, & reprehensus fuit: Benè apparet, ô Thales, te cerebrum alio destinasse, curiosus specta cælum, nec vides pericula, quæ tibi in terra immineant Thaleti sunt tales similes, qui

Aresi. de Tribull. Lect. 5. num. 20.

Paulus Aresi de Tribul. Lect. 7. fol. 92. num. 1. in Princ.

qui curiosi alterius actiones observant, esto longè absint, nec vident proprias, quæ domi contingunt, hinc contingit ut in foveam adversitatis, & miseriarum cadant.

19. David tantus sanctus, & Rex in gubernando adeò prudens, ac in observatione præceptorum divinorum tam accuratus, quid quæso in causa fuit, ut offensam Dei incurreret, atque in adulterium cum Bethsabea, & homicidium Uriæ caderet? Tegebat in sua aula & Bethsabeam, quæ in horto obambulabat videndi, eum curiositas vellicavit. Ex hoc ejus miseriæ ortum duxerunt, & væ illi si pœnitentiâ illâ errata non diluisset. Id edicat sanctus Pater Augustinus: *De longe vidit illam David, in qua captus est: mulier longe libido prope, alibi erat, quod videret, in illo quod caderet.* Et sanctus Joannes Chrysostomus curiosis lapsum hujus Regis proponens, ait: *Audiant curiosi, audiant, qui spectaculis insaniunt Theatralibus; David talis, ac tantus læsus est, & tu te putas non posse lædi? & ille quidem non vidit meretricem, sed honestam fœminam in solario domus suæ, tu autem in Theatro, ubi tantæ sunt corruptelæ, tanta præcipitia?* curiositas ante lapsum.

2. Reg. cap. 11.

D. P. Augustin in Psalm. 50.

D. Ioan. Chrysost in Psalm. 50.

20. Scire vellem cur Deus sanctum Petrum in triplicem abyssum negationum labi permiserit. An non antea dixerat: *Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo?* an non antea promiserat. *Tecum paratus sum in carcerem, & in mortem ire?* sane id optimè ante in horto demonstrabat, ubi ad defensionem sui magistri gladium arripuit, & se turbis opposuit. Cur ergo jam tam infeliciter cadit? *Cœpit anathematizare, & jurare, quia non novi hominem illum.*

D. Matth. cap. 26. D. Luc. cap. 22. D. Marc. cap. 14.

Audite quid dicat sanctus Matthæus? dum ex horto Olivarum fugeret, & sequeretur magistrum usque ad Palatium Pontificis, gressibus curiositatis incedebat: *Sequebatur à longe ut videret finem.* Curiosus scire volebat, quo Christum ducerent, cui tribunali eum sisterent, quid cum eo agerent, quis eum examinaret. Curiositas causa hujus lapsus fuit. *Puto Simonem Pontificia atria ingressum non Christi gratiâ, sed curiositate quadam ductum, quo scilicet judicii formam, & quibus modis Christum acciperent hostes illius,*

D. Matth. cap. 25.

Paul. Sherlogus Ant. 2. Sect. 2. num. 11.

21. Non minora infortunia fæminis ob curiositatem contigerunt, duas opiniones referunt Scriptores sacri circa locū, in quo Eva à serpente tentata fuit. Nonnulli serpentem Paradisum intrasse putant, alii inter quos Rupertus Abbas serpentem id non fuisse ausum putat; sed foris ad sepem accessisse, & Evam curiosam ad sepem illam perduxisse, ut loca remota à Paradiso videret, imò se inclinasse sepi, ut qualis esset regio observaret. Serpens ergo ad locum adserpens, cui innitebatur Eva, caput erexit, occasionemque loquendi cum ea sumpsit, verbisque eam decepit, & fictis promissis ad transgressionem præcepti divini induxit, ob quam tam ipsa, quam ejus posteri humanas miserias hæreditarunt. *Mulier,* verba sunt Ruperti, *corpore, & oculis vaga, dum continenter deambulans fortè prospectans, qualis extra Paradisum mundus esset; & dum serpens, utpote astutus dulcedine terræ illius proprius, & ambitiosus inhiat, locus Diabolo datus est, & occasio breviter porrecta, unde tentaret Evam.*

Rupert. Abbas apud Paul. Aresi t. 1. de vitiis, l. 6. imp. 159. n. 33.

O maledicta curiositas, quot malorum fuisti causa & origo!

22. Quodnam putatis fuisse gravius crimen patratum ab uxore Loth dum cum marito proficiscens, ad montem Segor in medio itinere à Deo punita fuit, *& versa est in statuam salis.* Dionysius Carthusianus illud fuisse curiositatem, ait: *Circa ingressum in Segor antequam urbem illam intravit, ex inordinata curiositate respexit, ut videret quid accidisset Pentapoli.* Illi accinit S. Prosper. *Uxor Loth statua salis effecta, exemplo fatuos condivit in proposito sancto, quo tendunt proficientes, noxiâ curiositate retro non debere respicere.*

Dionys. Cart apud Ioan Haye tom 2. in Gen. ibi v. 334. D. Pro. l. 10. de pro. & pro. c. 6

Miseriæ, quibus involuta fuit Dina filia Jacob, ob curiositatem, quando pertingens ad civitatem Salem Sichimitis subjectam formam vestium Regionum illarum videre voluit omnibus notæ sunt. *Tentorium,* ait Lippomannus, *paternum egreditur curiositate adducta ad contemplandum habitum, & mores mulierum regionis illius, & ideo periclitatur de castitate.* Ergo fugite curiositatem, & ite in pace.

Aloys. Lippom. ibid.

DOMI-

DOMINICA DECIMASEXTA

POST PENTECOSTEN.

Cùm intraret IESVS in domum cujusdam Principis Pharisæorum Sabbatho manducare panem, &c. Et ecce quidam hydropicus erat ante illum.
D. Luc. cap. 14.

ARGVMENTVM.

Avari vilipenduntur, quia sunt insatiabiles, cùm enim habeant naturam hydropicorum, qui quo plus bibunt, eò magis acuitur sitis, nunquam dicunt sufficit.

1. FIlius Dei nullum movebat pedem, nullum elevabat oculum, nullum proferebat verbum, quin malevoli Pharisæi in eum curiosius oculos conjicerent, ut ejus gestus observare, ac calumniis petere possent. *Et ipsi observabant eum; de Scribis, & Pharisæis subintelligendum est, qui ad hoc aderant, ut eum potius potuissent reprehendere duplici videlicet malignitate; ut sive curaret hydropicum damnarent illum quasi legis contemptorem, & Sabbathi violatorem; sive non curaret, arguerent eum impietatis, vel impossibilitatis.* Et dum mensæ accumbere vellet, quidam infirmus, qui pluribus annis gravissimis doloribus hydropisis confectus fuerat sese coram illo sistit. Membra ejus tumore inflatissima erant, vultus adeò erat viridis, ac pallidus, ac si fel in faciem fuisset in nativitate ejus perfusum, ægrè respirabat, ac è visceribus flatus fœtorem intolerabilem trahebat. Pars anterior corporis adeò tumebat, ut uter plenus aquâ videretur, ac inhabilis ad motum redderetur. Medici doctrinæ Hippocratis innixi de eo actum proclamaverant. *Hydrops lethalis est ex necessitate.* Et hoc, quia humor aqueus, à quo producitur, ac fovetur abigi non potest. Hinc cecinit Vates:

Ericus apud Alcuinum in Dom. 16. fol. 254. col. 4.

Hippoc. 1. de morbis Tom. 3.

Horat. ad C. Sallust.

Crescit indulgens sibi dirus hydrops
Nec sitim pellit, nisi causa morbi
Fugerit venis, & aquosus albo
Corpore languor.

lib. 2. Ode 2. Stroph. 4.

Sed medicus cælestis, cujus virtuti frustra morbi sese opponunt. *Apprehensum sanavit eum, ac dimisit.* Inter omnes homines defectuosos, nullus æquè benè ac avarus hydropico comparatur. Hinc ille eruditus scripsit.

Injustè partis opibus si fortè beatos
Putas avaros falleris.
Epotis avidè lymphis, quis posse beari
Hydropicos existimet.

Adeoda Seb. in delitiis Emblem. fol. 731.

Et sicut hydropico, quo plus bibit, eo magis accrescit sitis, & redditur inextinguibilis; sic avarus, quo plus argenti, & auri possidet, eo plus possidere appetit, & insatiabilis redditur. *Avaritiâ namque accensi qui sunt, præsentium rerum inexplebiles, nunquam concupiscere desinunt, sed si duplum quippiam habeant, triplum illico student acquirere, triplum nacti, quadruplum appetere incipiunt.* Et huic opinioni maxima pars sacrorum Scriptorum concinit: Beda subscribens, ait: *Proprium est hydropici, quantò magis abundat humore inordinato, tantò amplius sitire: comparatur diviti avaro, qui quantò est copiosior divitiis, tantò ardentiùs talia concupiscit.* Et Ericus ab Albino Flacco citatus: *Sicut enim hydropici sitis est inexplebilis, ita omnis a*

Pasch. Iust. de alea lib 2. fol. 195. v 19.

Beda apud Alcuinum in Dom. 18 post Pent. fol. 54. col. 1.

Ericus apud eundem ibid. fol. 255. col. 1.

varus quandam sitim multiplicat, qui quo ampliora acquisierit, eo plura per fas, & nefas acquirere laborat, & sicut ille aquam, ita iste sitit pecuniam. Dionysius Carthusianus: *Proprium hydropico est, quod quantò plus bibit, tantò plus sitit: Idcirco per eum avari designantur, qui quantò plus rebus acquirendis intendunt, tantò eorum affectus plus ad temporalia inflammantur.* Et beatus Simon de Cassia: *Hydropisis infirmitas est aquatica inflans corporis cutem, quæ cum ingravescit curari nequit, & potu auget ipsa sitim, explicans præsertim avaritiam, quæ quantò magis auget pecuniam, & desiderium plus habendi* Et ut ostendat eam esse morbum incurabilem, subdit: *Constitutus hic erat ante IESVM, ut curationem acciperet; nil aliud sibi poterat esse remedii, nisi staret ante IESVM.* Tandem huic etiam consentit sanctus Pater Augustinus: *Hydropicum rectè comparamus diviti avaro, sicut enim ille quantò magis abundat humore inordinato, tantò ampliùs sitit; & iste quantò est copiosior divitiis, quibus non benè utitur, tantò ardentiùs talia concupiscit.* Videbimus ergò N. avarum esse hydropicum incurabilem, ac insatiabilem. Theoriam, ubi experientia clara est superfluere scio. Scio præterea avaro medelam non prodesse, sed frustraneam esse; nihilosecius obligatio non vult, ut desimus debito charitatis; ergo id executioni ponamus, ego voce, vos silentio, ac ordiar.

Dionys. Cart in cap. 14. D Luc. art. 37. fol 219. lit. A.

B. Simon de Cass lib. 5. cap. 3. fol. 231.

D. P. Aug. quæst. Evang. lib. 2. qu. 29.

PARS PRIMA.

Et ecce quidam hydropicus, &c.

2. OMnes Scriptores sacri, & profani ut insatiabilem aviditatem avari, qui semper metuit ne terra pedibus suis subducatur, & lucrando ardet, augmentando fervet, conservando omnem nisum impendit ostendant, ac declarent nunquam satiantur. *Quotidie,* ait Cicero, *aut fraudat, decipit, poscit, paciscitur, aufert, eripit, aut socios spoliat, ærarium expilat, aut testamenta amicorum exspectat, aut aliud quippiam agit, ut ostendat sibi quæsito opus esse.* Vivit pauper, ut moriatur dives observavit Juvenalis:

Cicero apud Nic. Reusner. classe. 2. symb. 36. fol. 196.

——Manifesta phrenesis,
Vt locuples moriaris egenti vivere fato?

Iuvenal. Sat. 14.

Nulli est bonus, omnibus malus, sibi pessimus scripsit Publius Sirus: *In nullis avarus bonus est, in se pessimus.* Et sanctus Asterius Episcopus Amasiæ: *Avarus propinquis est odiosus, famulis gravis, amicis inutilis, exteris difficilis, & vix affabilis, vicinus molestus, uxori malus contubernalis, liberorum parcus, atque sordidus educator, suiipsius malignus curator, noctu, interdiuque sollicitus, & cogitabundus, secum ipse loquens, ac disserens, eorum more, qui mente exciderunt, & in insaniam lapsi sunt. Denique cum omnibus abundat, tanquam omnium egenus ingemiscit, præsentibus non fruitur, quæ absunt anxiè quæritat, propriis non utitur, & ad aliena oculos adjicit.* Qui sudores fatales ei eliquare vult, aperiendi crumenam occasionem præbeat. *Animam potiùs anhelat, quàm crumenam solvat.* Siti præ inopia animam agere videret, haustum frigidæ non porrigeret quia manus contractiores Milone Crotoniates habet, quem sic depinxit Poëta:

vers. 137. fol. 121. Publius Sir. apud Reusner. class. 2. symb 36. fol 189. D. Asterius Episc. Amas. hom. contra Avaros.

Idem ibid.

Nusquam fraude caret semper mentitur avarus,
Ergo inopes surdus, ferrea corda gerit.

Ioan. Ouwen. in Monast. Ethic. & polit. fol. 145. nu. 27.

Animæ jacturâ aurum lucrari nil curat: *Stultitiæ genus est alius fecisse lucrum, & sibi parasse supplicium.* Verba sunt divi Valerii Episcopi Cameliensis. Esto arcæ sint repletæ, conscientiam esse vacuam nil facit; demum nil melius facit, quàm dum moritur, vel quando *tira la calce* Unde veteri adagio dictum: *Avarus nisi cùm moritur, nil rectè facit.* Sed qui ejus ingluvies Tantaleas, & aviditates insatiabiles ignorat, ille à Scriptoribus imbui petat, Ovidius sub metaphora hydropici dixit:

D Valer. Episc Camelien. hom. 20. de avaritia.

Creverunt & opes, & opum furiosa libido
Et cum possideant plurima, plura petunt.
Quærere ut absumant, absumpta requirere certant.
Atque ipsa vitiis sunt alimenta vices.
Sic quibus intumuit suffusa venter ab undâ,
Quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ.

Apud Reusner. class 2. symb 36. fol 189. Ovid. lib. 1. Fast. v. 216.

Nummorum copia ejus cupiditatis mensura est, quo amplius illa crescit, & magis hæc augetur, sic asserit Juvenalis:

Interea pleno cum turget sacculus ore.
Crescit amor nummi quantum ipsa pecunia crescit.

Iuven. Sat. 14. v. 136. f. 121

Sio-

Si omnia flumina monetas illi affluerent, si omnes fontes argentum effunderent, si aqua maris fuisset aurum, tamen ejus siti sedandæ non essent sufficientes; Claudianus hoc dicat.

Claudianus lib. 1. in Furn. fol. 8.

Quo vesane ruis? teneas utrumque licebit
Oceanum: laxet rutilos tibi Lydia fontes;
Iungantur solium Crœsi, Cyrique Tiara:
Nunquam dives eris : nunquam satiabere quæstu.
Semper inops, quicunque cupit ———

Iustinianus Secundus. *Martialis.*

Hinc Justinianus Secundus dicere solebat: *Multi nimium, nemo satis.* Multis sunt putei auro pleni, sed necdum possessionum satis est. Ideo & Martialis. *Fortuna nimis multis dat, satis nulli.* Julius Cæsar Scaligerus sui non est impotens, quin in contemptum avari exclamet.

Iul. Cæs. Scalig. Epidor lib. 4 fol. 179

O ingluvies, ô sitis, ô fames habendi
Nos quousque feres tu? ferimus quousq; nos te?

Et de quodam Scauro insatiabili ille eruditus sic lusit.

Titus Stroza in delit. Ital. p. 2. fol. 1068. in Scaur. Avar.

Scaurus habet villas, urbana palatia, nummos;
Pinguiaque innumeris prædia bobus erat.
Huic tamen assiduè major succrescit habendi.
Nunquam divitias exsatiata fames.

Si quis tanto auro quantum ex ærario Crœsi sumpsit Alcmæon filius Lodi Megaclis eum oneraret, hoc nil aliud ipsi, quàm bolus ori lupi foret. De ipso enim verificatur.

Petrus Costal in delit. p. 1. fol. 825.

Mendici peram vix unquam impleveris Iri,
Multa licet dones, uberiore petet.
Sit vel Tartarei præsens opulentia Ditis,
Vel loculus Crœsi, semper avarus eget.

D. Asterius Episc. Amas. hom adversu Avar.

3. Sed relictis profanis Scriptoribus, animum sacrorum audiamus. Asterius Præsul Amasiæ hanc sententiam reliquit. *Avaritia est non solum pecunia, cæterorumque bonorum cupiditate fervere, & ferri, præsentiaque aliis insuper cumulare velle, sed universè loquendo, qualibet in re plus quam pars est, aut adest, cupere, & affectare.* Sanctus Gregorius Thaumaturgus. *Homini pecuniarum cupiditate flagranti, nunquam satietas; quamlibet maximam vim argenti quæsiverit.* Meus beatus Simon Cassia contra hunc abominabilem defectum non inferius aliis mihi eruditè scripsisse videtur. *Avarus non contentatur habitis, inhiat acquirendis, nec acquiescit in acquisitis. Si totus mundus esset possessio ejus, non quiesceret animus ejus. Insatiabilis est avaritia, quæ cùm devoraverit, iterum esurit, cùm biberit ore pleno divitias adhuc sitit. Arctatur in nocte doloribus, ut viam inveniat ubi acquirat*

D. Greg. Thaum. Metaph. 1. cap 5 in Eccles. *B. Simon de Cass lib 8 c 50 fol. 475.*

S. Clemens Rom. lib. 4 recognit.

4. Meritissimè divus Clemens avarum igni comparavit. *Sicut ignis quanto magis ligna acceperit, tanto amplius accenditur, & invalescit, ita & cupiditatis rabies per ea quæ adipiscitur, reficitur, auctior, & vehementior efficitur.* Confirmat id divus Basilius. *Peccatum avaritiæ ignis naturæ simile, ignis enim postquam incendium attigit, omnem properat absumere materiam, nec prius desistere poterit, quam materia defecerit; Avarus autem quid retinere poterit? igne vehementior est, & omnia continuando finibus suis occupat, & quæ sunt vicini sibi aufert, mox ubi alium sortitur vicinum, & quæ illius sunt de se rapit, non ea quæ retro sunt attendit, sed quæ his desunt, quæve ante prospicit, à vicinis possessa desiderat.*

Theophylus Alex. Episc pas. 3

5. Theophilus Alexandrinus avaro maximam esse similitudinem asserit cum inferno, quia esto animæ omnes eo mergerentur. *Nunquam dicit sufficit: infernus mortuis non expletur, sed quanto plures susceperit, tanto plures desiderat. Imitatur ergo eum avaritia, nec satiari potest, sed quidquid habuerit, plus requirit.* Et divus Pater Augustinus idem affirmando concludit. *Avarus vir inferno est similis Infernus enim quantoscunque devoraverit, nunquam dicit satis est. Sic, & si omnes thesauri confluxerint in avarum, nunquam satiabitur.*

D P. Aug. lib de salut. docum. cap. 30.

Gen. c 1.

6. Sed tempus est ut Scripturas adeamus. In principio mundi Deus aquis volens assignare locum hæc verba protulit: *Congregentur aquæ, quæ sub cælo sunt.* Et statim subjunxit: *Et appareat arida.* Per quæ verba terram intellexit. Sed quomodo terra statim ut ab aqua sejuncta est arida apparere posset? Abulensis respondet. *Arida vocata fuit in qualitate, & densior erat quam aqua, & ad siccitatem aptior.* Et S. Eucher. Lugdunens. dicit. *Terra ideo vocatur arida, quia sicut ignis calorem, & aqua humorem ita terra naturaliter*

habet ſiccitatem. Auguſtinus Steuchus opinionem, quæ eam radiis ſolis exſiccatam aſſerit affert *Non ſingulari omnipotentia Dei ſubito fuit facta arida terra, ſed naturali poteſtate ſolis tunc ardentiſſimi, & ad attenuandum, ſiccandumque potentiſſimi.* Sed Divus Anaſtaſius Sinaita alis ſpeculationis à ſenſu litterali avolans per hanc terram aridam avarum intelligit, qui eſto totus ſit immerſus aquis bonorum temporalium, ac natet in copiâ auri, & argenti; nihilominus ſemper aridus eſt hoc eſt avidus, & ſitibundus. En ſanctum *oportet hoc quoque in loco adnotare, quod quando cum cælo Deus fecit terram, non appellabatur arida: frugiferum enim, ac fertilem fecit Deus hominem, & non aridum, quando autem fuit ſuffocata ab aquis, quæ ſupra eam erant, tunc facta eſt arida. Vide myſteria mirabilia, terram in profundo ab aquis ſuffocatam nominat aridam.* Demonſtrare voluit, quod quo magis terra avari bonis fortunæ mergitur, eo magis ſiccior fit, ac inſatiabilior appareat. Hinc Deus ejus naturam perſpectam habens, ut ejus ingluviem, ac cupiditatem denotaret eam aridam appellat. *Vocavit Deus aridam terram.* Idem ſtabilit Divus Pater Ambroſius: *Non his divitiis contenti ſunt divites, quæ in manibus, & conſpectu ſunt, ſed longè lateque diffundunt ſuas cupiditates: dum aut pecuniarum compendium de uberioribus quæritur, aut poteſtas diffuſior, aut cupiditas* Eidem doctrinæ planè accedit Rhetor aureus: *Vide quomodo humanum genus non poteſt ſubſiſtere intra ſuos limites, ſed amplius concupiſcens majora ſupra ſe appetit, atque hoc eſt, quod humanum genus potiſſimum perdit, quia non vult naturæ ſuæ menſuram agnoſcere, ſed ſemper majora deſiderat?* ô terram aridam? ô avarum cupidum? ô hydropicum inſatiabilem dicit Innocentius Papa. *Nunquam conſtituit ſibi finem in habitis, ſed jugiter in habendis. Quis autem fuit unquam primo voto contentus? cum adipiſcitur, quod optavit appetit ampliora.*

Anaſt. Synaita lib. 3 in hexam.

D. Ambr. de Noe c. 33.

Chryſoſt.

Innoc. Papa apud Dionyſ. Cart. l. 1. cont avar. a. Gen.

7. Magnum quid dicit Divus Bruno, quod belluas in arca Noë ceperint domunculæ illæ exiles, de quibus dixit Deus: *Manſiunculas in ea facies;* homini verò palatiorum amplitudo, poſſeſſionum multitudo, opum copia non ſufficiat. *Valde dolendum eſt, homines ſæpè beſtiis crudeliores: ſufficiunt illis manſiones ſuæ, & non ſufficiunt iſtis poſſeſſiones ſuæ.* Sanctus Baſilius; mare non tranſgredi ſuos limites, noctem non egredi ſuos terminos, ſolum avarum non admittere cupiditatum ſuarum aliquam metam demiratur. *Mare terminos habet; noxitem leges antiquas non egreditur, ſolus avarus nullum circumſcribit tempus, non terminum noſcit; verum ſucceſſioni non cedit, ſed vim, naturamque ignis imitando, omnia comprehendit, omnia paſcit, & veluti flumina ex parvis initiis exeuntia, deinde paulatim incrementum intolerabile in proceſſu accipientia, impetu demum violento, quicquid objicitur ſecum trahunt.* Ego avari cupiditatem motui naturali comparabo, de quo dicunt Philoſophi, quod *velocior eſt in fine, quàm in principio:* decima ad differentiam violenti, qui in fine eſt tardior, quam in principio, inſatiabilitas quaſi in naturam avari tranſiit, & ut dicit ille doctus. *Quo plura ſpatia peregit, eo velocius movetur, & quo plura habet, eo plura deſiderat.*

D Bruno Cart. l de arca.

D Baſil. hom. in diteſcentes.

Ioan. de Pin in c. 14. Eccl. Eth. 356. t. 2 f. 438. col. 1.

8. Divus Chryſoſtomus ad populum Antiochenum oratione quadam avaros perſtringens, ac contemnens, eos nomine paradoxo *Bulimi*; avaritiam vero *Bulimia* nuncupavit. Nomen eſt græcum, quod ex duabus particulis βȣ, quod grandem, & λιμὸς, quod famem ſignificat componitur. Hinc Galenus de eo, qui hac invalitudine laborat ait; quod *perpetuo cibum appetit;* & ego credo eſſe eum morbum, qui à multis lupus vocatur; his ergo os aureum avaros comparat. *Nonne vides, quos vocant bulimos, quod ſemper eſuriunt? morbus enim eſt, quod medicorum libri teſtantur; iſti naturæ terminos tranſcendunt, & ſuperflua ſatagentes, quantumcunque paſſi fuerint, non ſiſtunt: morbus enim eſt, & finem ignorat.* Et quod præſul Antiochenus avaros, & avaritiam per *Bulimos* intelligat modernus quidam Eccleſiaſtici interpres teſtatur. *Ergo avari Bulimiâ jactantur, qui ultra menſuram neceſſitatis naturalis appetunt quam qui excedit, nunquam ſatiatur; imo vero habendo, ad avaritiam accenditur.*

D Ioan. Chryſ. hom 34. ad pop.

9. Ad hoc alludens vates regalis dixit: *divites eguerunt, & eſurierũt.* Hæc verba ad incudem non poſſe examinari credo, & logicus illa duo prædicata: *Eguerunt, & eſurierunt,* non poſſe convenire ſubjecto divites diceret.

Pſalm. 33.

diceret. Et qui similem propositionem assereret, illi ego esse implicantiam ex adjecto responderem. Si *divites* quomodo *eguerunt, & esurierunt*? & si *eguerunt & esurierunt* quomodo *divites*? ego hoc non capio. Cardinalis Bellarminus hoc sic interpretatur. *Id est, qui divites fuerunt, egere, & esurire cœperunt, quia divitiæ instabiles sunt, & fallaces, & multis, variisque periculis exposita.* Et Remigius Antisiodorensis: *Divites hujus sæculi abundantes divitiis, & sibi sufficere credentes, tamen eguerunt illo vero bono, foris divites, intus sunt pauperes.* Sed Divus P. Augustinus respondet avaros quantumvis auro, & argento abundent, quia tamen parum se possidere putant, nec contenti sunt, ac si essent egeni continuâ fame torqueri *Egent ergo, illi divites, egant. Quantum habuit quidam, & quis eum satiavit? sic mortuus est egens, quia plura volebat, quàm tenebat* Hinc sanctus Gregorius Thaumaturgus. *Homini pecuniarum cupiditate flagranti nunquam satietas, quamlibet maximam vim argenti quæsiverit.*

Bellar. ibi. n 10. fol. 176. col. 1.
Remig. Antis. ibi. in t Bibl. vet. PP. fol 689.
D.P. Aug. in ps. 33. conc 2. l. K f. 689.
D. Greg. Thau.

10. Tanta est aviditas avari, ut fermè omnia bona fortunæ, omnia aura, argenta creabilia in infinitum à divina cunctipotentia non sint factura ut dicat sufficit dixerim. Cur Deum post opera sextæ diei quievisse, nec aliis novis operibus prosequendis perrexisse putatis? divina quippe potentia nec erat, nec est limitata, & qualiscunque numerus producatur, adhuc plures creari possunt. *In infinitum quantum ad numerum, & perfectionem* Imò & illa, quæ de facto producta sunt respectu producibilium nihil sunt. Et argumentari quis posset Deum nimis parcum, & tenacem fuisse. Ex hoc quidam modernus dubium movendi, & à Deo hujus rei causam sciscitandi sumpsit. *Cur ita citò requiescis solum post sex dierum laborem? pluribus labora, quam sex: alias conde creaturas, aliæ enim infinitæ tibi sunt possibiles, & quo plures condideris, plures tibi erunt acquisitæ, ut ad libitum eis utaris.* Et postea doctè respondet. *Longè quidem plures creare potuit, sed noluit.* Hic cardo rei versatur in assignando scilicet cur noluerit, cum nullum inconveniens, & absurdum inveniam. Supradictus auctor aviditati avarorum sopiendæ quam inextinguibilem, ac juxta multiplicationem specierum fructuum, argenti, auri in visceribus terræ accendendam, & augmentandam continuo prævidit id factum respondet. *Requievit die septimo ab omni opere quod patrarat Ut cupiditas avarorum, qui quo plus possident, plus habere desiderant, comprimeretur* Et meus beatus Simon de Cassia de avaro loquens ait: *Non contentatur habitis, inhiat acquirendis, nec quiescit in acquisitis. Si totus mundus esset possessio ejus, non quiesceret animus ejus; nam aut vellet Deum plura creasse, aut alium constituere creatorem plura creantem, ut postmodum in omnibus haberet potestatem; quod si hoc inconveniens reduceretur ad convenientiam, impossibile ad efficientiam, nec adhuc sellam quietus conscenderet ab authore omnium totius consolationis Deo per appetitum divisa corruptibilium terrenorum.* Ac demum subdit: *Insatiabilis est avaritia, quæ cum devoraverit, iterum esurit, cum biberit ore pleno divitias adhuc sitit.*

Io. Hay. in cap... Gen n 3 n 44.
Gen. c. 2. idem ubi sup.
B. Simon de Cass lib. 8 c. 50 de avarit.

11. Idem beatus nonnullis verbis ad alterum punctum transeundi mihi ansam præbet. *Immoderatus est amor ejus, sed quod deterius est insolubilis tacitas ejus.* Et est idem, quod dicit Hippocrates: *Hydrops est lethalis ex necessitate*; hinc Theophylactus: *Tenaciores enim vitio adhærent pecuniæ, & difficile abstrahitur, qui à talibus est comprehensus* Collegium Apostolicum varii defectus pervaserunt, sed & vana gloria omnes infecit: *Facta est contentio inter eos, quis eorum videretur esse major.* Contentio illa, ait os aureum, *fuit aliquantulæ elationis, quia humanum aliquid passi sunt*: Petrus eum negavit; *cœpit anathematizare, & jurare, quia non novi hominem illum.* In horto Gethsemani omnes eum dereliquerunt. *Relicto eo omnes fugerunt.* Et quilibet Apostolus, qui aliquo defectu laboravit emendatus fuit Specialiter Thomas post resurrectionem. *Nisi videro, & tetigero non credam*; sed subito exclamavit: *Dominus meus, & Deus meus.* Judas verò avarus fuit impossibile, quod frugi melioris fieret, esto Christus acriter eum verbis excepisset. *Væ homini illi per quem filius hominis tradetur; melius illi erat, si natus non fuisset.* Avaritia Judæ morbus fuit immedicabilis *Reliqui Apostoli, qui aliis criminibus implicati sunt laqueos ruperunt, & ad saniorem mentem redacti sunt: unus Judas reatus sui pœnam dedit, laqueo vitam absolvit, unus avaritia laborabat, cui si semel cesseris, difficile non excuties.*

Hippoc. 1. de morb. text. 3.
Theoph. in cap. 18.
Matt. 18.
Matth. c 26.
Marcus c. 14.
Matt. 15.

cuties. Hinc Divus Chrysostomus in avaros infelicis Judæ iis successum proponendo invehens dixit: *Audiatis hæc omnes avari, quique gravissimo Iudæ morbo laboratis quotidie ille cum eo erat, qui non habebat ubi caput suum reclinaret, & quotidie verbis, & operibus instruebat, ut non argentum, non aurum, non duas tunicas habere vellet, & tamen reprimere se non potuit* Plurimi scriptores, quod Petrus acerbis verbis Ananiam ejusque uxorem Saphiram mortuos in terram prostraverit demirantur. *Quare posuisti in corde tuo hanc rem? non es mentitus hominibus; sed Deo.* Verba Apostoli velut fulmen Ananiam humi mortuum dejecerunt. *Audiens autem Ananias hæc verba; cecidit, & expiravit.* Revera res magna, & observatione digna: magister misericors, ac discipulus rigidus? Christus mortuos vitæ reddit, ac Petrus vivos in necem dat? edoctus porro fuit offendenti gratiam facere. *Septuagies septies.* Et nunc ob simplicem defraudationem, quâ totam pecuniam Apostolis non portarunt adeo rigidum se ostendit? cur non potius eum admonet erroris, ac misericordiam exhibet ante rigorem, ut leges jubent. *Misericordia est rigori anteponenda.* Petrus Ananiæ peccatum esse avaritiam sciebat; virium sane incurabile, ideo cum emendationis nulla affulgeret spes, actus correctionis, & misericordiæ vanus fuisset: sic Pater Lorinus: *Colligimus non necessario præcedere correctionem debere, quando nulla spes est emendationis.* Et sanctus Pater Augustinus, Apostolum si non scivisset avaritiæ eradicandæ nullam spem esse nullatenus eos morti dedisse affirmat. *In Anania enim si avaritiam Petrus potuisset corrigere, non puniisset, sed dum illum punit, alios corrigit.*

Act. Apost c. 5. — Matth. c. 18. — Io. Lor. com. in Act Apost. 233 col. 2 l. A. v. 5.

12. Sanctus Anastasius Nicenus avaros aliis vitiis minus esse deditos, quam sint alii homines observat. Non sunt superbi, non sunt gulosi, non luxuriosi, non lusores, non blasphemi, non detractores, non otio, quod est radix omnium malorum dediti, non vindicativi, imo patienter injurias, & adversa tolerant, jejunia strictè servant, sunt casti, frequentant Ecclesias, nec in viâ spirituali tentationem diabolicam obstantem experiuntur. Et dæmon nullatenus commoveri erga eos, sed & quidquid bene operari velint iis hoc permittere videtur. Forsan adeò sunt abominabiles, ut nec dæmon velit eos hospitio suo admittere? si quis ab eo causam hujus exquireret, ego eum responsurum nullum sibi esse dubium, quod eos prodet, vel quod alius eos sibi prærepturus sit certè scio. Diceret eos esse vinculis avaritiæ ligatos, nodos esse indissolubiles, se certum esse, quod eos non amittet, adeoque nil sibi cordi esse, quod eos aliter vexet, vel tentet. *Avaritiam habentes despecti sunt à sathana; utpote quod avaritia sufficiat super omnia vitia ad reddendos eos obnoxios æterno supplicio.*

D. Ambr. serm. 57. de Magd. — Anast. Nicen.

13. Josue in conflictu dimicabat, & ut ad victoriam consequendam sol cursum produceret opus habebat. Soli ergo cursum sisteret in mandatis dare decrevit. *Sol contra Gabaon ne movearis, & luna contra vallem Ajalon.* Præceptioni huic ducis duæ magnæ faces cœli paruere, ac gressus quousque hostiles phalanges Amorrhæorum prosterneret firmarunt. *Steteruntque sol, & luna donec ulcisceretur se gens de inimicis suis.* O magnum stuporem! nulla vis nisi divina cursum solis sistere potest. Et tamen jussio Josue id præstitit. Sed dum sol sistit, ego in stuporem defigi cogor. Ne sub quocunque prætextu militum aliquis in obsidione Jericho aurum, vel argentum surripiat præcepit *Vos autem cavete ne de his, quæ præcepta sunt, quippiam contingatis, & sitis prævaricatores rei: quicquid auri, & argenti fuerit, Domino consecretur.* Non obstante, quod hoc mandatum sub reatu pœnæ mortis, & inimicitiæ Dei fuerit latum; Acham nihilosecius auro magis, quàm gladio affectus, continere se non potuit, quin laminam auream, & bonam summam argenti clam retineret. Quid? jussio Josue cursum solis impedire possit, nec cupiditatem avaritiæ refrænare valeat? quis majus paradoxum audivit? *IESUS* doctrina est sancti Ambrosii, *nave, qui potuit solem sistere ne procederet, avaritiam hominum non potuit sistere ne serperet. Ad vocem ejus sol stetit, avaritia non stetit.*

Iosue c. 10. — Ibi. c. 6.

14. Si cui spiritus forent avarum ab avaritiâ educendi, si res succedat maximum honorem acquiret, & maximâ gloriâ dignus erit. Divus Pater Chrysostomus

mus de triumpho Christi dum gloriosus Ascensionis die arcem cæli conscendit stipatus tot beatis, quos è limbo abduxit hæc verba protulit. *Secum latronem duxit, non confundens calcantibus latronis pedibus paradysum, sed honorem præstans paradyso.* Hic duo dubia menti meæ suboriuntur. Primum; si tot alii sancti latrone celebriores, ut Josephus, Joannes Baptista, ac alii salvatorem comitabantur, cur Chrysostomus solum facit mentionem latronis? alterum; si maximus honor paradyso ab ingressu hujus latronis obvenit, maximam gloriam Christus tulit, quod eum comitem haberet. Hoc mihi maximum paradoxum videtur, quod paradysus, ac filius Dei, ab eo qui decursu totius vitæ nullum opus meritorum præter actum unicum contritionis elicuit acquirere gloriam debuerint. Ab aliis servis Dei, qui fuerunt portenta sanctitatis an non excellentias habuit noster redemptor, & an non cœlo honor, & gloria ab illis accrescet? absque dubio, sed de iis non fit sermo, non injicitur mentio eorum, quia nil est rari, vel miri, imò res quotidiana est, quod justi, qui Deo inediis, macerationibus, observantiâ præceptorum, cruoris effusione servierunt Christo excellentias, & honorem paradyso tribuant. Quod ignis ardeat, sol micet res est tritissima, nec ullus id miratur. Et sanctus Pater Augustinus ait: *Majus enim miraculum est gubernatio mundi, quàm saturatio quinque millium hominum de quinque panibus: & tamen hoc nemo miratur, illud mirantur homines, non quia majus est, sed quia rarum est* Et tamen hic omnis stupor evanescit, omnis admiratio cessat. Latro erat avarissimus, auri, & argenti appetentissimus; hinc in compitis viatores operiebatur, eorum bursas expilabat, & tanta erat ejus cupiditas, ut velut bestia in campis agere cum periculo corporis, & animæ non curaret. Hinc Chrysostomus perinde, ac admirabundus quod hic supremo vitæ suæ die affectibus avaritiæ valedixerit, & in triumpho Christi cum aliis beatis sit, stuperet, illius tantum meminit: *Secum latronem adduxit* Et paradyso tantum, qui ejus dum esset in crucem actus, & à Christo postularet; *Memento mei dum veneris in regnum tuum*; aviditatem ac omnes affe-

S. Aug. tr. 4 in D. Io.

ctus cupiditatis eradicare valuit, hæc gloria debetur. *Honorem præstans paradyso.* Ac in Christum hæc gloria, quod tantam curationem, avaritiam ab avaro ejiciendo fecerit redundat. *Quem quæso honorem Christus Dominus exhibuit paradyso, dum latronem paradyso donavit? sanè maximum, quia docuit hoc facto, tanti faciendum esse paradysum, ut propter eum avari divitias contemnant, & parvipendant, quod quidem multum decorem afferre paradyso: quia ita firmiter adhærent avari divitiis suis, ut eximium sit facinus, si eas contemnant etiam propter ingressum in paradysum.*

Io de Pin. in c. 24. Eccles.

15. Sed si terræ cordis humanæ planta in fausta avaritiæ adeo sit infixa, quæ energia rhetorices eam evellere possit? quis medicus adeo sit expertus, ut pharmacum sanans hanc hydropem curare valeat? ô avari considerando, quod avaritia in vitæ periodo exercitum omnium peccatorum ad eam fomentandam patratorum in vos movebit hunc defectum abominabilissimum è cordibus vestris eradicare deberetis. *Inopia*, ait Dionysius Carthusianus, *& ærumna, divitem avarum tempore mortis, ac deinde æternaliter comprehendunt; in morte namque omnia sua terrena relinquere cogitur, & comitatur eum sua cupiditas, pro qua infernalem penuriam, calamitatem, famem, & sitim sortitur, in qua gutta aquæ ei negatur.* An deformitas major in anima reperiri possit avaritiâ? *Avaro nihil est scelestius, nihil est iniquius, quàm amare pecuniam; hic enim animam suam habet venalem* Et Divus Bernardus; *divitiarum insatiabilis amor longè amplius animam torquet, quàm eam suo usu refrigeret.* Perpende ait Innocentius, ad quot crimina te avaritia pelliciat. *Cupiditas sacrilegia committit, & furta, rapinas exercet, ac prædas, bella gerit, homicidia facit, simoniacè vendit, & emit, iniquè petit, & rapit, injustè negotiatur, & fœneratur, instat dolis, & fraudibus, dissolvit pactum, violat juramentum, mentitur, & falsa testimonia loquitur & pervertit judicium* Et si credimus eidem Dionysio eousque pertingit, quod *plus quærit, & colit nummum, quàm Deum, & gratias.* Magis fidit auro, quàm Deo; & si Carolus Magnus ad gloriam Christi dixit:

D. Dion. Cart. de rem. tent. art 29. l. opusc. fol. 627. col.

Idem ib.

D. Bern ap Dion. ibi.

Innocen. ap. Dion. ib

Idem Dion. symb Caroli Magni.

Christus regnat, Christus vincit,
Christus imperat universis.

Avarus hunc honorem suis nummis tribuit.

Nummus regnat, nummus vincit, nummus imperat universis:

Ac demum illum pro Deo velut Atheus habet; hinc Poëta:

Ioan Ovi. lib. 3. Epigram. Epig 32. f. 155.

Tot timet esse Deos, quot fert incommoda pauper,
Esse Deos nullos sperat avaritia.
Impietate minus, quam copia, peccat egestas,
Ista Deos posuit, sustulit illa Deum.

Ergo si nunquam satis detestabilis, & nunquam detestata avaritia animam in tali statu collocet, cur ergo tam arctè ejus esse confœderatos vos ostenditis? agedum velut hostem pessimum è cordibus vestris eam proscribite. Ad medicum cœlestem ut applicatione pretiosissimi sui sanguinis vestram hydropem curet, recurrite. Ad hoc vos disponetis uti spero, & hujus, elargitione eleëmosynæ signum date.

ALTERA PARS.

16. Hucusque satis de siti insatiabili hujus hydropici, sicut & de ejus infirmitate incurabili discurrimus. Nunc anatomiam, defectus nonnullos particulares tàm infirmi, quàm infirmitatis investigando instituamus restat. O quam malè hic hydropicus habet? quot humoribus peccantibus abundat? primo oculos observari volo. De his David: *Oculi ejus in pauperem respiciunt, insidiatur in abscondito, quasi leo in speluncâ suâ.* An benè, vel sinistrè judicem nescio Si pauperes observet, ergo bonum est signum; sed si instar leonis, qui è suo spelæo transeuntes ut eos lædat, ac devoret observat, insidias clam struat, quomodo bonum argumentum deducere poterimus? non spectat pauperes, ut iis succurrat, sed num fortuna quid reliquerit ei, quod ab eo auferat, non secus, ac avis rapax, quæ volans in aëre oculos terræ infixos habet, num quid suo palatui aptum occurrat. *Insidiatur in abscondito quasi leo.* Exterius illi pauperi familiæ se velle succurrere simulat, sed dexterrimè, num quid suis rapinis destinare possit volat. Adite Cajetanum: *Oculi ejus ad pauperem vocandum spectabunt; & ad hoc insidiatur in abscondito vi, & dolo quasi leo in cubili suo; leo enim in spelunca sua insidians agit dolo pro quanto latet: vi autem insurgendo ad vocandum eum, qui putat transire securus. Sic rapiet pauperem in trahendo ipsum in rete suum.* Verbo: ex oculis eum esse valdè malum conjecturamur.

Psal. 9.

Cajet. in ps 9. f. 18. col. 1 in summario.

17. Ad os, & fauces pergamus, & Anatomistam agat idem David. Dic ô sancte vates, quomodo valent fauces hujus hydropici? an sunt infectæ? audite. *Devorant plebem meam ut cibum panis*, id est, *bona pauperum*: non dicit *manducant*, sed *devorant*, ingluvies hæc est insatiabilis. Et qualis est hæc metaphora *ut cibum panis*? Remigius Antisiodorensis id explicat. *Idem assiduè, quia panis quotidianus victus est.* Et Bellarminus. *Sicut enim panis quotidie comeditur, & semper sapit, ita impii*, (& quis pejor avaris) *semper, & cum delectatione vexant pios, & nunquam satiantur*, id est quousque rapuerint. Divus Pater Augustinus id dicat. *Cibus enim panis quotidianus est. Devorant autem populum, quia sua commoda ex illo capiunt non referentes ministerium suum ad eorum salutem, quibus præsunt.* Fauces malæ sunt, nimis sunt infectæ, ac mortem æternam indicāt.

Psal. 13.

Remigius Antis t. 9. p. 2 Biblio. vet PP.

Bellar in ps 13 f. 54. col. 1 n. 8.

D. P. Aug. ibi f. 26. col. 2.

18. Forsan manus sanæ erunt, & aliquam spem dabunt; Hippocrates eos morti destinat infirmos, *qui in febribus acutis, aut phrenetide, aut pulmoniis, aut capitis doloribus festucas legunt, aut pilos de vestibus evellunt, id malum est, & exitiale.* Hujus conditionis sunt manus avari, qui dum non possunt multum, parum à pauperibus decerpunt, cum non possunt accipere multum, spicas colligunt, & multa bona proximi perdunt, & mille os cibus alienum rapiunt, ac illud Davidis iis adaptari potest. *In terra injustitias manus vestræ concinnant*, quod ita explanat D. Augustinus: *Iniquitates manus vestræ connectunt.* Sed audite, quid de his manibus sentiat? *væ his quorum manus connectunt iniquitatem?* manus mortis sunt augurium. Sunt instar piscium Polpisporum, de quibus perhibent auctores quod *habent plures manus ad piscandos pisces*, & dum eos ceperunt tenacissimè eos stringunt: *Sic multos invenies homines, qui ad accipiendū plures habent manus.* Hinc cecinit ille Poëta:

Hippoc. lib de prænot. 27.

Psal. 57.

D. P. Aug. in ps 57. f 187. col. 4.

Franc. Labat t. 3. de Avar prop 2.

Ioseph Scal. in delit. p. 3 fol. 663. n. 9.

Quascun-

Quascunque in arca condit aggestas opes
Avarus, aliis abstulit, negat sibi.
Fraudavit alios seque fraudat ultimum.

19. Pectus aperiamus, & cor, num tactum sit inspiciamus. Sed quænam sunt hæc rara paradoxa? cor hic non reperitur. Qui sit possibile ut homo vivat sine corde N. ne id vobis sit miri, quia avari sine corde vivunt. Albertus Paravinus avarum morti vicinum, filium opum, ac pecuniarum hæredem instituisse recenset. Patre tumulato filius arcas exploravit, & inter nummos cor humanum deprehendit, obstupuit, ac illud abjecit. Alterâ die arcas repetit, & idem cor invenit, consternatur, sacerdotem consulit, & illud cor sui patris esse audit. *Sepulto patre, filius repositoria patris aperuit, invenitque intra pecuniam, & cor humanum Altera die rursus pecunias patris visurus accessit, eumque repositorium aperuisset, iterum cor humanum reperiit, quod prius ejecerat; ita perterritus sacerdotem adiit, & secum duxit, remque monstravit Tunc providus sacerdos dixit, cor illud patris tui est. Quod dum viveret quantum pecuniis esset intentum, post mortem Deus voluit ostendere, sed ut credas sic esse eamus ad cadaver, & cor ejus non reperiemus in eo Igitur aperientes sepulchrum, visceribus nudatis cor minimè invenerunt.* Sed forsan sermonem esse de avaro particulari, nec inde consequi omnes avaros esse excordes dicetis. Id verum est; sed quid dicetis filio Dei disertè dicenti. *Ubi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.* Hoc sic interpretatur Carthusianus. *Thesaurus, namque est quod præcipuè amatur, colligitur, & custoditur. Ubi ergo thesaurus tuus, ibi est & cor tuum Non per essentiam sed per affectum, intentionem atque memoriam. Per cor enim desiderium, & cogitatio cordis exprimitur. Quod ergo magis amatur hoc frequentius cogitatur, ideo thesaurizantes immoderatè in terra, conversationem non habent in cœlo, neque cor superius, ac divinis est intentum, sed in sensibilibus pressum, & miserabiliter occupatum est.* Et Divus Pater Augustinus avarum sic cum Divo Paulo cor alloqui opinatur. *Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio, an angustia &c. Idem retorquet avarus dicendo in corde suo, Quis nos separabit à cupiditate auri? tribulatio, an angustia, an persecutio? possunt & avari dicere auro propter te occidimur tota die.*

Albertus Pat ser. 8. ser. 4. Quad f. 11 col. 1. n. 4.

D. Matt. cap. 6.

D Dion. Cart in c. 6 D Matt f 25 col 2 l F.

D. P. Aug. ser. 50. de sanctis.

20. Viscera avaritiæ esse affixa duo exempla ab Æthenæo relata manifestè convincunt. Avarus quidam fato admotus, ne pecuniis avelleretur, eas stomacho injecit, ac suffocatus est Alterum; alter saccum nummis circumsuit, ac illo se induens servis ne eo se exuerent, vel eum amburerent (uti mos illius ævi erat) sed ita se terræ reconderent præcepit.

Athenæus lib. 4. c. 8.

21. Si taliter affectum sit corpus, quo in statu sit anima vos imaginemini. Ego eam animæ Judæ similem credo. Medici plura assignant indicia ex quibus num partus in utero materno extinctus sit cognoscitur. Unum è certioribus hoc est. *Pariens oculos cavos habet, faciem tumidam, ita ut velut à pituita alba detineri videatur. Item summum nasum album, & labia livida, quæ omnia arguunt fœtum mortuum.* Talis est facies hominis avari, oculi sunt concavi, & pavidi, color vultus est terreus, labra livida, nasus actus, è quibus nonnisi animam gratiâ esse mortuam erui potest. Hinc Dionysius; quin detestaretur avaritiam se continere non potuit. *Quæ est ista avarorum insania! acquirere aurum, & perdere cælum, amare venenum, & animæ mortem, sicque mercari gehennam?*

Hip lib de super fœt. t. 8 Zoroaster de n. öte Il. ino consult. 8.

D. Dionys. Cart. de vita & regi Episc l. 1. a 3 f 69.

22. Sed tandem, quid prædicat David audiamus: *Introibunt in inferiora terræ*, quoad corpus inhumatum, putridum, ac lividum, in vermes migrabit; vel ut interpretatur Bellarminus; *In inferno inferiori cogentur perpetuo habitare Tradentur in manus gladii.* Quoad animam, quæ orco à dœmonibus crucianda destinabitur. *In inferno non quiescent multo minus fruentur bonis terræ, sed tradentur in manus gladii, id est in potestatem tormentorum; supplicia enim ut instrumenta Dei judicis supremi, & irati in miseros sine cessatione desævient. Partes vulpium erunt*; quoad opes, quas tot usuris conservarunt. Et consanguineorum quasi vulpes quilibet partem suam sibi vindicare studebit. Sed hunc pessimum, & maximè abominandum defectum avaritiæ, quod eloquium sufficienter perstringere possit? *Potest quidem decturpari verbis, sed non satis, quia deformior est,* & tur

Psal. 62.

Bellar. ibi. v. 9 fol. 365.

Io. Sarisberiens. de nugis curial lib. 8. fol. 535.

& turpior, quam ut ore humano possit exponi. Nil præter dicta addere possum, nisi quod à me allata umbra sint respectu eorum, quæ alii adferre possent.

DOMINICA DECIMASEPTIMA

POST PENTECOSTEN.

Accesserunt ad IESVM Pharisæi, & interrogavit eum unus ex eis legis Doctor tentans eum: magister, quod est mandatum magnum in lege?
D. Matth. cap. 22.

ARGVMENTVM.

Malorum est proprietas pallio sanctitatis propria commoda velare.

1. Um victoria hæret anceps, ac difficulter robore manuum, aut vi armorum obtineri potest, experti, ac generosi duces stratagemata, & astus adhibere solent. Hinc dixit Lucianus: *Laude dignus, qui hostem fallit.* Zenon; *nihil utilius in bello dolis.* Et Doctus Seresberiensis: *stratagema est pars calliditatis egregia, & ab omni reprehensione procul remota.* Documentum istud militare Onosandrus tanto rigore docuit. *Necessarium enim mendacium dici oportet, certamen ubi extitit ingens;* ac hostibus dejiciendis, suis animandis, mortem ducis inimici clamando fingere licet. *Occubuit hostium imperator.* Et dein subjunxit: *Tantum persæpè utilitatis adfert suos & hostes juxta decipere, illos quidem fausto, istos vero luctuoso mendacio.* Si credimus Valerio Maximo Hannibal in prælio, quod contra Romanos suscepit: *Ante omnia providit, ut solem, & pulverem, qui ibi vento multus excitari solet adversum habueret, deinde parte copiarum suarum inter ipsum prælii tempus de industria fugere jussit, quam cum à reliquo exercitu abruptam, Romana sequeretur; trucidandam eam ab iis, quos in insidiis collocaverat, curavit.*

Luc. Phil. Zeno de Cyri instit. 1. & de re equestri Io. Seres. lib. 8 de nugis curial c. 14. fol 530. Onosander stratag. c. 23. f. 71. col. 2. Valer. Max. lib. 7. c. 4. n. 2 de ext.

Idem Hannibal, dum Italiam ferro, & igne devastaret Fabii Maximi infensissimi sui hostis nihilominus bonis pepercit, non ob aliam causam, nisi ut apud senatum eum suspectum redderet, & hoc medio proportionato eum imperio privaret. Audite, quo astu, & stratagemate Collicratides Cirenensis arcem Magnetiæ occuparit. Quatuor milites infirmari finxit, gubernatorem rogavit, ut illos admittere vellet, donec convalescerent, se eum remuneraturum. Itaque quatuor generosiores elegit, & cum armis absconditis quatuor lectis imposuit. Hi postmodum invadentes excubitores quosve obvias occiderunt, & consodalibus aperientes portas arcem obtinuerunt. Galli capitolium Romanum obsederant, nec illud valentes subjugare victualia defutura credebant, & sic infra paucum tempus fame coactum ad deditionem cogendum. Romani hoc subodorantes, esto victualia defecissent, & ad extremam necessitatem essent redacti, tamen omnem panem, è mœniis projicere resolverunt. Ex hoc obsidentes concluserunt, obsessos victualibus abundare, & obsidionem solverunt. Sic refert Valerius Maximus: *Panes enim jacere compluribus ex locis cœperunt; quo spectaculo obstupefactos*

Aresi. de Tribul. lect. 16. f. 259. col. 2

Valer Max

pesactos infinitamque frumenti abundantiam superesse credentes, ad pactionem omittendæ obsidionis compulerunt.

Referente Frontino: Epaminondas, ut milites animaret, & certos de victoria redderet omnes statuas deorum noctu clam armavit, & die insequenti præconis voce Deos pro iis arma sumpsisse, proclamari fecit. Et quando unquam Græci subjugassent Trojam, nisi per astutum Sinonem, & per stratagema equi milites occultantis insidias adhibuissent?

2. Sed quid dicemus de stratagematibus non ingeniosis, & laude dignis, sed malitiosis, & vituperandis, quibus hoc mane Pharisæi Salvatorem aggressi sunt, ut arcem inexpugnabilem ejus sanctitatis demolirentur? nunc plena manu eum invadebant, jam vigili oculo eum observabant: *Nunc isti, nunc ille eum tentant, & quia rationibus eum capere, & tenere non possunt, frequenti congressu eum movere, & fatigare conantur.*

Eusebius Emyss. in cap. 22. Matth.

Eum interrogant non ut veritatem indagent, sed si succederet, ut astu eum velut imprudentem notarent: *Omnes*, subjungit idem Eusebius, *eum tenent, & omnes eum Magistrum vocant, non tamen quasi à magistro veritatem volunt discere, sed potius si fieri possit eum quasi incautum in aliquo sermone capere desiderant.* Et ut ait Chrysostomus unus tantum loquitur: *Ut si quid vicerit omnes videantur victores, si autem victus fuerit, vel solus videatur confusus. Magistrum vocat cujus non vult esse Discipulus.* O vitiosa stratagemata? intendit nocere: *Tentans eum.* sed hoc vult mediante bonitate: *Quod est mandatum magnum in lege? simplicissimus*, concludit Chrysostomus, *interrogator, sed malignissimus insidiator.* Sed quare hoc admiramini N.? proprietas est malorum pravos conceptus stratagemate virtutis, & sanctitatis expolire, ut præsenti discursu audietis.

D. Ioan. Chrysost. apud Alcuin in Dom. 19. post Pent. fol. 259. idem ibid.

Itaque favore silentii, & attentionis mihi faveatis, & ordior.

PARS PRIMA.

Interrogavit eum unus ex eis legis doctor tentans eum, &c.

3. CHristus Saducæos suo responso, & doctrinâ confuderat, & convicerat. Et quia ei respondere non poterunt, nec invenire alia sophismata, Pharisæi novis cavillationibus: *Non discendi studio, sed tentandi, & experiendi* cum sunt aggressi. Pueros in hoc imitati sunt, quorum mos est teste meo beato Simone à Cassia, *cum defecerint in lucta reintegrare luctamen.* Et juxta Jansenium de primo præcepto legis eum interrogant. Plurimos in hoc habuerunt antecessores, qui ut intento fruantur, & proprium interesse obtineant pallio religiositatis se fictè vestiunt. Supra fundamentum virtutis fabricam malitiæ erigunt. Instrumentis sanctitatis machinas pravorum conceptuum fabricant. Viam bonitatis ineunt, ut pravum suum intentum assequantur. Sanctè vivunt, ut tantum gratiam eorum, à quibus favores sperant, venentur. Et ut dicit supradictus Beatus. *Ad eximietatem virtutis, verbis jam transisse videntur, protologicè de illis loquentes, conferentes, & diffinientes, & argutè de Scripturis sacris edisserunt, & sunt ab illis omnibus alieni, longe facti animo, atque scientia moribus, quæ ab his, quæ scire fingunt, observareque prætendunt, & dum videntur apicem attigisse, nondum adversi sunt; prout iste tentator, qui minorum mandatorum prævaricator existens, nosse de primoribus præsumebat.* B. Simon ubi suprà.

4. Ita sunt mali, ut prætextu pietatis sibi licitam faciant omnem impietatem, & ut dicit noster Joannes de la Hay: *Sub prætextu boni suas fraudes moliuntur.* Cum dulcedine amarorem instillant, benevolentia offendunt, beneficia absunt, amore odio habent, defensione offendunt, osculis produnt. Ioan. Haye Tom. 2. Gen. in tab. Dom. 27.

—— *Proterva sunt inimici semper oscula.*
—— *Acerba, sic non verba, blanda, sed time.*

Nicol. Reusner. classe 1. Symbol. 44. f. 161.

Per risum tibi lachrimas eliquant, per honorem te defamant, per lætitias te affligunt,

gunt, ostendunt tibi panem, dum tibi lapides dare volunt. *Alterâ manu fert lapidem, panem ostentat alterâ*. Tibi offerunt electuaria, dum virus porrigere volunt juxta illud Poëtæ.

Plaut. in Aulularia

Impia sub dulci melle venena latent.

Ovidius.

Dum te volunt laqueis innodare proditionum, verborum melos te alliciunt, velut ille Auceps, de quo Cato.

Fistula dulce canit, volucrem dum decipit Auceps.

Cato.

Invitant ad recreationes, dum in tuam necem conspirarunt. Ut commune illud adagium verificatum videatur.

Chi ti fa quel che non l suole
O t ha tradito, ò pur tradirti vuole,

Quod sic Latinè reddo: *Qui tibi exhibet insolita, vel te prodidit, vel prodere vult*.

5. Cain Abelem fratrem ut secum ad campum egrederetur, animum oblectaturus virore herbarum invitavit. *Egrediamur foras*, septuaginta legunt: *Transseamus in campum*. Græcus substituit: *In agrum*. Ac si dixisset, charissime frater, mecum ad agrum veni, mea prædia tibi ostendere volo. Cupio, ut delecteris floribus, aurâ suavi, viriditate agrorum, quæ cor recreat, mentem reficit, spiritus restaurat. Audite Cyrillum Alexandrinum: *Audis? quo pacto vocarit in agrum, ut spectator suæ diligentiæ, culturæque esset, ut pulcherrimâ florum varietate oculos pasceret*. Sed facta quantum dissonarunt à verbis? insidiosè eum invadit, & fuste nodosa armatus occidit. *Consurrexit adversus fratrem suum*, & in Altari impietatis innocentem fratrem velut victimam morti offert. Pererius aliorum opinionem adducens sic concludit. *Alii putant eum blandè, & amanter locutum cum Abel, dissimulando odium, quod pectore gerebat; quo facilius eum quo vellet adduceret, incautumque opprimeret.*

Gen c.4. Sep. & D. Ambros.

S. Cyril. Alex. l.1. Glaph.

Pererius lib. 7. in Gen tom 2 fol. 732. lit. A.

6. Jacob è Mesopotamia lares paternos repetens, cum tota sua familia in Socoth terram deliciosissimam, & saluberrimam pervenit. Dina filia Liæ puella venustissima curiositate ducta, vestes, quas puellæ illius Regionis gestarent videre voluit. Domo ergo exiit, & animi oblectandi causa dum extravagaretur, fuit conspecta a Principis Sichen filio Hemor, qui Dinæ amore captus eam rapuit. Hunc lapsum filii Jacob intellexerunt, & injuriam sibi maximam irrogatam censuerunt, hinc se ulcisci, & vindicare cum damno transgressorum decreverunt. *Audito quod acciderat, irati sunt valde, eo quod fœdam rem operatus esset in Israel, & violata filia Iacob rem illicitam perpetrasset.* Prævidens Hemor sibi pejora ex hoc obventura filios Jacob quæsivit, eosque verbis & factis pacare studuit, declarans se contentum ut Sichen eam duceret in uxorem, & sic affinitatem contraherent: *Date eam illi uxorem, & jungamus vicissim connubia.* Præterea dedit illis, ut dicere solemus, *chartam blancam*, ut proponerent quæcunque placerent, se in omnibus iis condescensurum: *Quæcunque statueritis dabo vobis, augete dotem, munera postulate.* Sed audite, quidnam proposuerint: *Responderunt filii Iacob: non possumus facere, nec dare sororem nostram homini incircumciso, circumcidatur in vobis omne masculini sexus.* Hic quæro qua de causa à Rege Hemor, & Principe Sichen petierint ut circumciderentur. Forsan ut eos ad veram religionem perducerent? cogitate, inquit Abulensis: hæc propositio fuit stratagema, ut injuriam illatam ulcisci possent. Hinc, ait Scriptura sacra. *Responderunt filii Iacob in dolo.* Consultarunt, quid actu opus esset ad injuriam vindicandam; eos vi invadere rem difficilem putabant, quia habebantur suspecti, & hostes. Nullum aliud esse medium concluserunt, quam iis suadere, ut abnegato paganismo nostram religionem amplectantur, & circumcidantur, & hoc facto, nos cum iis cognationem contrahere velle, sic omnem suspicionem tollemus, & liberè nobiscum conversabuntur, adeoque levi negotio injuriam nobis illatam nece eorum vindicare poterimus. Quis hic, dolum horum adolescentum non videat? persuadent actum religionis, scilicet circumcisionem, ut hoc medio eos facili negotio jugulare possint. Abulensis horum astum præ omnibus optimè perspexit: *Recedentes ad modicum spatium* (*nempe filii*

Gen. c. 34.

Abulens. in cap. 34.

Gen q.1.f. 610.co.2 lit.l K. &c. *filii Iacob) inter se consilio habito, illam fraudem, machinati sunt. Dolor magnus, & rabies move bat eos ad istam fraudem, cum aliter se vindicare non possent.*

Sed in quo consistebat hæc fraus? quale fuit hoc stratagema? doctissimus Tostatus subdit: *Dolus erat in hoc, quia isti non proponebant circumcisionem, quasi zelatores ejus, ita quod vellent attrahere Sichimitas ad Dei cultum, sed ut eos sic occiderent, & proponebant bonum ad malam intentionem.* Hujus etiam opinionis fuit Rupertus Abbas: *Dolus in eo extitit quod sancta, & utilia locuti sunt, non ut proselitos ad salutem facerent, sed ut securos, & imparatos levius occiderent.* Rupert. Abbas lib. 8, cap. 11.

7. Aliâ ponderatione volo ut observemus filios Jacob. Sacer textus loquens de Josepho dicit eos ab illo, apud patrem de scelere gravissimo infimulatos. *Accusavit fratres apud patrem crimine pessimo.* Verum alii sunt contrariæ opinionis, nempe Josephum à fratribus innocenter accusatum, sic septuaginta. Detulerunt autem Joseph crimine malo, ad Israel patrem ipsorum. Isidor. Peleusiota: *Factum est, ut pessimam in eum vituperationem commenti sint.* Chrysostomus, *detulerunt Ioseph de crimine pessimo:* Quænam ex his opinionibus sit probabilior, examinare nolo, sed supposito quod fratres innocenter accusaverint Josephum, causam inquirere volo. Videbant fratres Josephum præ omnibus in visceribus patris hærere: *Israel autem diligebat, Ioseph super omnes filios suos.* Ut eum gratiâ patris privarent, & ipsi amorem patris haberent, patrem quæsierunt, & sub specie sanctitatis, & zeli religionis Josephum inculparunt quasi Deum inhonoraret, ejus præcepta violando, specialiter illud, quod Deus Noë egresso ab arca dedit. *Tanquam olera virentia tradidi vobis cuncta, præter hoc, quod carnem cum sanguine non commedetis.* O fratres fraudulentos? honorem divinum allegant, ut infament Josephum, ut finem pravorum conceptuum assequantur, ascendunt per schalam virtutum, & ut ait Richardus in officina religionis fabricarunt instrumenta, quibus noceant fratri. *Cùm mala sit omnis malignitas, pessima tamen est hujusmodi mala species, quæ sub specie sanctitatis suæ exercet injurias, sæpe etenim quando sævit in proximum ex vitio iracundiæ, vel veneno invidiæ, fingit sibi cogitatio, quod faciat illud pro zelo justitiæ.*

Gen c 37. Septua. Interpr. Isid. Pelus. S. Ioan. Chrysost. apud Ioan. Hage tom. 3. in Gen. cap 37. v. 2. Gen c. 9. Richardus in Psalm. 25.

8. Observastisne unquam modum, quo Laban cum Jacob egit, dum ob *meum* & *tuum* litigarent? Jacob servitutis fidelis mercedem debitam urgebat: *Da mihi uxores, & liberos meos, pro quibus servivi tibi, ut abeam, tu nôsti servitutem, quâ servivi tibi:* Laban, qui nihil minus quàm Jacobum remunerari cogitabat. Audite quale medium adhibuerit: *Ego inveni gratiam in conspectu tuo, experimento didici, quia benedixit mihi Deus propter te.* Hunc modum loquendi admiror. Erat idololatra, & nunc Deum verum suum agnoscit esse benefactorem? quando incepit esse verus adorator nostri Dei? Deum voluit circumvenire Jacob, ne è bursa nummos extraheret, & mercedem solveret habitu religionis, & sanctitatis se vestit *Forma quidem verborum,* ait Lippomannus, *pietatem præferentium, re vera tamen proprio commodo prospicit, suas cupiens magis divitias augeri.* Et quidam modernus subjungit: *Pietatem observat, non quia prius est, sed ut hoc prætextu, & simulatione sua consulat utilitati.* Gen. c. 30. Lippom. ibid. Ioan Hage in Gen. tom. 2. cap. 30. v. 28.

9 Rex Achab, ut post audientias præstitas animum ob curas regni gravatum sublevaret, è conclavi regio ad fenestram accessit. Ex illa vineam Naboth Jezrahelitæ in colle quodam non procul à palatio sitam conspexit. Placuit ei non solum ob situm, & vicinitatem, sed etiam quia erat optimè culta, & sepibus cincta ne feræ illam ingredi possent. Accersiit Naboth, eamque postulavit, vel pecuniam ejus valorem adæquantem, vel meliorem vineam se daturum spondens. *Da mihi vineam tuam, dabo tibi pro ea vineam meliorem, aut si commodius tibi putas argenti pretium quantò digna est.* Verum Naboth absolutè ei denegavit vineam, allegans à parentibus se illam hæreditasse, nec ullatenus se illa posse privari. *Propitius sit mihi Dominus, non dabo hæreditatem patrum meorum tibi.* Ad hanc repulsam, ita Rex Samariæ fuit turbatus, & tantum se ex hoc demonstravit sensisse dolorem, ut ab eo discesserit, digitos momorderit, pedibus saltarit, & maximopere afflictus, in lectum se conjecerit. Imò cholera appetitum illi surripuit, & integro die impransus mansit. Regina Jezabel 3. Reg. 21.

eum visitat, & caussam doloris inquirit; audiens verò à Naboth sibi responsum: *Non dabo tibi vineam meam*, statim subjunxit, ne se affligeret, sed mensæ assideret, seipsam in id ituram, ut vineam accipiat, & Naboth pœniteat ob vineam negatam: *Surge, & comede, & æquo animo esto, ego dabo tibi vineam Naboth*. Nunc audite quale stratagema adhibeat. Conclave suum intravit, & litteras ad primates omnes civitatis, hujus tenoris dedit: *Prædicate jejunium*. Sed cur indicit jejunium dum vult auferre vineam Naboth? sacra Scriptura id expresè declarat: *Sedere facite Naboth inter primos populi, & submittite duos viros filios Belial contra eum, & falsum testimonium dicant: Benedixit Deum, & regem, & ducite eum, & lapidate, sicque moriatur*. O impiam mulierem? ut innocentem occidat, vineamque ei adimat, indicit jejunium, opus pium adhibens, ut suas nequitias furtum nempe, & homicidium compleat: sic testatur Ponferradiensis: *Iejunii religionem prætendunt, ut justi sanguinem fundant*. Et Rupertus Abbas id confirmat: *Quantum fuit in cælo spectaculum, dum tam crudelem cruorem sitiendo callidi simulatores prædicarent jejunium?*

Didac. Baez tom. 3 lib 14. cap. 14. §. 3. Rupert. Abbas apud eundem ibid. Matth. 5.

10. Hoc sensu Salvatorem dixisse credo: *Væ cum benedixerint vobis homines*, sed quis à benedictionibus hominum sibi unquam imaginatus fuisset fatalia infortunia, & calamitates gravissimas oriri? quin imò imprecationes solent esse instrumenta, quibus mala in officina furoris fabricantur. Christus dicere voluit, dum audis, te ab impio laudari, celebrari, benedici, væ tibi, nam insidias, ignominias, damna tibi struit: cave tibi, quia sunt cometæ, mala auguria, quæ tuam ruinam, tuaque præcipitia prædicunt: *Planè ostentatio malum omen est, immodica enim virtutis prædicatio, certa est vitiis præsagitio. Probitatis laus, augurium improbitatis est, & præsagium malitiæ; nam assentatio, aut falsas virtutes prædicat, aut veras mentitur*.

Didac. Celada com. in Iudith cap. 11. v 5. §. 9. n. 38.

11. Id ex Scriptura probemus. Rex Saul dirè agitabatur à furiis infernalibus, dæmon ita eum torquebat, ut somnum ex corde ejus proscripserit, ita ut nec diu, nec noctu quietem haberet. Suasum fuit ipsi ut Citharædum adsciscerct, qui fides digito pererrans melos formaret, sine dubio ipsum solamen accepturum: *Iubeat Dominus noster, & servi tui, qui coram te sunt, quærent hominem scientem psallere citharâ, ut quando arripuerit te spiritus Domini malus, psallat manu suâ & levius feras*.

1 Regum cap. 16.

Placuit regi consilium, & expertissimum musicum, vocari fecit. Quidam aulicus Davidem proposuit, & eum non solum peritum Citharœdum, sed & juvenem omnibus virtutibus excultum, formosum, robustum, generosum, in bello fortunatum, in consiliis prudentem, in actionibus providum, eloquio facundum; aspectu gratiosum, modestum, morigeratum, adolescentem pium & Deum timentem prædicavit, verbo; eum maximè laudavit, ejusque dotes celebravit. *Et respondens unus de pueris ait, ecce vidi filium Isai Betlehemitem scientem psallere, & fortissimum robore, & virum bellicosum, & prudentem in verbis, & virum pulchrum, & Dominus est cum eo*. Subintrat hic Rupertus Abbas, & quisnam hic fuerit aulicus tam benè Davidi affectus ut tot laudibus eum affecerit interrogat. Sine dubio fuerit amicus ejus intimus. Falleris, hostis ejus fuit capitalissimus, & maximus inimicus. Doeg Idumæus sciebat à Saule homines virtuosos magis, quam mortem in abominatione haberi. Rege ergo sic inclinato Davidem laudavit, ut ei noceret, omnia ergo encomia in Davidem collata fuerunt incentiva furoris, & media, quibus protervus Saul incitaretur ad Davidem odio habendum, & occidendum, uti etiam fuisset factum, si David non declinasset ictum, quando: *Nisus est Saul configere David lanceâ in pariete* O astutum Doeg? ô fraudulentum Idumæum? *Væ cùm benedixerint vobis homines*. Media quærunt ut te exaltent, sed eo fine ut præceps ruas, te laudant, verum ut te trucident, prædicant tuas virtutes, sed ut mortem machinentur. Bonum volunt esse sibi instrumentum mali. Audite Rupertum: *Omnia, quæ de David in laudem dixisse videtur, in odium ipsius dixisse dicitur, quia volebat inimicitiæ causa & invidiæ livore, ut ad Saul veniret, quatenus ibi qualibet occasione necaretur*.

1. Reg. cap. 19.

Rupertus Abbas lib. 1. in cap. 1. Reg.

12. Da-

12. David quam exitiosus fuerit talium hostis, ex his ejus verbis deduci potest. *Ferant confestim confusionem suam, qui dicunt mihi euge euge.* In ruborem, & confusionem dentur, qui mihi obvii facti humanissimè me salutant, & honorem vanum exhibent, dicendo: *Euge, euge.* Sed quid? forsan ô serratum caput, ægrè fers à subditis tibi debitam reverentiam secundùm beneplacitum tuum præstari? Divus Hieronymus legit ex Hebræo: *Qui dicunt mihi vah. Euge* accipitur in bonam partem, *vah* in malam partem. Hinc obstinati Judæi in Calvariæ monte Christum irridentes, & conviciantes dicebant: *Vah qui destruis templum DEI.* Regius Propheta David ergo dicere voluit; scelus enormius in regno meo non habeo, nec invenio, quàm cum iter aliquem salutare, & adhibere verbum *euge*, ut homo virtuosus vituperiis *vah* diffametur. Hos nunquam bono oculo vultus mei notabo: *convertantur retrorsum, & referant confusionem suam.*

Psal. 39. D. Hieron. ap. Bellar. ibidem fol. 234. col. 1. D. Matth. cap. 27

13. Sed David hunc à se nutriri serpentem in sinu, & hostem in domo ignorabat. Absolon ejus filius in hac politiâ detestabili expertissimus erat. Sub specie zeli sanctitatis, & prætextu justitiæ integerrimæ, quoties non studuit subornare populum, ut in patrem suum insurgeret, ipsique rebellaret? Ad portam palatii hærebat, & omnes quotquot intrabant audientiam apud Regem sollicitaturi advocabat, & quid negotii haberent, interrogabat, eos amplectebatur, osculabatur, supplices libellos ex manu extorquebat, asserens postulationes eorum esse honestas & justas, nec repelli posse. *Videntur mihi sermones tui boni & honesti.* Sed Regem habemus, cujus me esse filium pudet, tàm parcus est in concedendis gratiis, & negligens in expediendis suppliciis, ut verear ne sitis frustra laboratur; in audientiâ postulandâ, & etiam postea ad vestrum memoriale responsi nihil habituri. Ad viscera usque hoc me affligit, & cum sit satis pertinax, & tetricus hoc emendare non possum, & quod pejus est: *Non est, qui te audiat, constitutus à Rege.* Justitia exulavit, & regimen pro hominibus non videtur esse. O vos fœlices si in mea potestate hæc essent, neminem inconsolatum dimitterem. Mundo ostenderem in juvene vigere prudentiam senilem. Sufficit; scio quid dicam, rogate Deum, quia vestra interest, non mea: *Quis me constituat judicem super terram, ut ad me veniant omnes, qui habent negotium, & justè judicem?* Hic quid dicitis N. qui non cognosceret Absolonem, nonne eum amaret? Ille, qui non penetraret ejus stratagemata, nonne eum zelare justitiam diceret? Sed quis nescit eum sub his prætextibus proprium spectare commodum? Rectitudinem justitiæ volebat esse sibi medium, quo injustè subditos contra partem concitaret, ut vel armis eum invaderent, vel ad minus rebellarent, protestando, se eum pro Rege non agnoscere, sic Labata: *Studium, & animum subveniendi Reipublicæ ostendebat. At verò inauditâ quadam regni cupiditate conflagrabat.*

2 Reg. c. 14. Franc. Labat. to. 2. verb. Hypocrisis propr. 28

14. Tempore sancti Pauli nonnulli erant, qui nil magis oderant, quàm Apostolatum, & nihilominus se pro Apostolis vendebant. Abhorrebant esse Discipuli Christi, & tamen se esse Professores christianæ religionis ostendebant. De his Apostolus ad Corinthios sic scripsit: *Nam hujusmodi pseudo Apostoli sunt operarii subdoli, transfigurantes se in Apostolos Christi.* Ego, cur religionis, quam adeò execrabantur vestibus induere voluerint, scire vellem, Apostolus insignem rationem subdit: *Non mirum; ipse enim Sathanas transfigurat se in Angelum lucis.* Diabolus, qui est eorum Dux sæpè in Angelum lucis, vel in Christum, qui est magni consilii Angelus se transformat. Sic explanat Carthusianus. *Id est in similitudine Christi Angeli magni consilii, seu alterius cujuscunque angelici spiritus se ostendit quantum ad formam assumptam.*

2. Cor. c. 11. D. Dionys. Carth. ep. 2. ad Cor. c. 11. art. 18 fol. 72. col. 1. l. D.

Nec id faciunt ob alium finem, quam ut decipiant simplices, & animas Deo furentur. Hâc falsâ doctrinâ imbuti erant pseudo Apostoli, & similes astus adhibebant. Nam nomen Apostolicum, actionesque religiosas volebant esse media, quibus proprium interesse promoverent,

Idem ibid. & gratiam vulgi venarentur. Id Doctor citatus confirmat. *Pseudo Apostoli sunt operarii subdoli; id est fallaces ministri. Speciem religionis assumunt, sanctitatem simulant, & per exteriorem apparentiam ostentant se, ac si essent veri Apostoli.*

15. Verbo: Volunt virtutem esse medium, quo aliquod crimen patrent. Herodes lictori in mandatis dat, ut præcursorem Christi decollaret. *Præcepit amputari caput Joannis in carcere.* Nec ob aliam caussam id factum, quam ne audaci puellæ contradiceret, vel ne contristaret Herodiadem, quæ odio capitalissimo prosequebatur Joannem, qui ejus levitatibus resistebat, ejusque amores impudicos perstringebat. O grande piaculum, illum necare, qui honorem Dei, & salutem Regis quærit. Ejus ab usto avellere caput, qui gladio verbi divini: *Non licet tibi habere uxorem fratris tui.* Ligulas sensuum quibus Dœmon eum constrictum habebat, dissolvere conabatur? Vitâ illum sanctum exuere, qui eum subtrahere morti æternæ damnationis studebat? Sed si quæreretis ab impio Herode, cur non abstineat à tam injusto decreto, aut ad minus illud non revocet, cum tale illud esse cognoscat, sciens quod *mutare consilium sapientis est*, maximè cum hæc revocatio nulli fuisset nociva, sed multis utilis, respondere posset se id promisisse puellæ: *Postula à me quod vis, & dabo tibi etiam dimidium regni mei*, & sic decernentibus legibus verbis standum, cum *pacta sint servanda.* Sed ego replico: *Pacta, quæ turpem caussam continent, servanda non sunt.* An res poterat esse pejor, & iniquior, quàm morte injustâ afficere justum? Cur ergò verbum non revocat dicens, petitionem exorbitare, & esse injustam? Audite, quid Herodes respondeat. Quomodo vultis ut retractem sententiam? cum juramento illam promiserim, quomodo eam executioni non mandem? An vultis, ut fiam perjurus? conscientia obstat, scandalum, & malum exemplum præsentibus, qui audierunt juramentum, præberem. *Propter jusjurandum, & propter simul discumbentes, noluit eam contristari, sed misso spiculatore præcepit afferri caput Joannis in disco.*

S.Mar.c.6

Co.tl.& l.

ff. de actio. emp. lex empto. l. si unus, §. pacta. ff. de pact.

Sed an præterea ignoras, quod *in malis promissis fidem non expedit observare*, vel quod *juramentum contra bonos mores præstitum nullum est*? Non vis intelligere? pietatem & zelum observandi juramenti volebat sibi esse pallium ad actum adeò injustum, & sacrilegum committendum. Audite Cajetanum, *Monstrat Herodes se invitum coactum à Religionis vinculo, & à reverentia convivarum, tanquam etiam ipsis testibus fieret, injuria, si non servasset promissa.*

De reg. jur. l. 6. Mav. de jur. amo. pres. propt. mem. jur. subst. §. non solum. col. 5. Caiet. in cap. 6. D. Matth. D. Basil. Seleuc. orat. 18.

Et sanctus Basilius Papé: *Prodigiosam tragœdiam jurisjurandi religionem fingit.*

16. Mirarer si inter hos nebulones Judas non numeraretur. Salvator in Bethaniam se contulit, ubi à Martha & Magdalenâ humanissimè receptus est, & opipera cœnâ refectus. Maria libram unguenti prætiosi, & odoriferi sumpsit, pedesque Christi inunxit. *Maria ergò accipit libram unguenti nardi pistici prætiosi, & unxit pedes ejus.* Judas in angulo hærebat, & omnia observabat. Videns ergò à Magdalena illo unguento plantas Christi inungi valde est indignatus, & illud in opus magis meritorium, & pium potuisse impendi conquerebatur: *Poterat unguentum istud venundari multò, & dari pauperibus.*

D. Matth. cap. 26.

N. Qui Judam non novisset, nonne ipsum profusissimum ergà pauperes censuisset? Sine dubio. Sed audite sanctum Joannem: *Dixit autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad eum, sed quia fur erat, & loculos habens, ea quæ mittebantur portabat.* Ex hoc sanctus Gaudentius infert Judam sub prætextû charitatis, & eleemosynæ partem nummorum illorum ex unguento vendito acquisitorum suffurari voluisse. Charitatem erga pauperes voluit sibi esse medium, quo sua furta exequeretur. En verba Sancti. *Judas enim, licet studio fraudis, & odio Salvatoris, sub prætextu pietatis tamen illa ipsa fallacia verba deprompserat: Irreligiosus nimium crimen proprium, sub specie religionis, dum tegere conatur, expressit.*

D. Ioan. cap. 12.

D. Gaud. Brix. tr. 13

17 Quæ-

17. Quæso vos fas mihi sit vestra venia hoc mane relictis scripturis sacris historias profanas adducere. Nota est historia, quam refert Titus Livius. Romulus post ædificatam à se urbem Romam plures ad Sabinos legatos destinavit, ut puellas Sabinenses Romanis matrimonio jungere vellent. Semper renuerunt Sabini, ut Romanorum imperium deficientibus puellis periret. Malè hoc habuit Romulum. Sed audite, quo stratagemate sit usus. Quadam die solemnissima festa, invitatis puellis Sabinensibus in honorem Neptuni instituit. Puellæ lubentissimè comparuerunt, verùm, dum maximè solemnisarent Romani jubente Romulo virgines Sabinenses rapuerunt: *Ludos ex industria parat Neptuno equestri solemnes: Iuventus Romana ad rapiendas virgines discurrit.* Romulus itaque nullum medium aptius ad rapiendas virgines putavit, quam celebrationem religiosam festi Neptuno Deo maris consecrati. O quot carnales, & mundani Ecclesias, in quibus agitur aliquod festum, non ex devotione, non ut indulgentias lucrentur, non ut veniam peccatorum suorum obtineant, sed ut tractare possint de illicitis loco sacro & honori Dei, atque proximo repugnantibus frequentant? Et reverà meo judicio homines nullum crimen committere possunt, nisi mediante virtute. Hinc dicebat Salustius, *d. conjur. Catil. orat. Cæsaris, fol. 37. Omnia mala ex bonis initiis orta sunt.* Ut pessimos conceptus exequantur, principia optima & præcipua ex armamentario virtutum accipiunt.

Tit. Liv. l. 1. fol. 3. l. A. B. C.

18. Nolo id hic omittere nec prætererire, quod de Dionysio Tyranno Siracusano narrat Victorinus Striggelius his verbis: *Dionysius cum pecuniâ egeret, nec aliter eam comparare posset, finxit imaginem somnii à Cerere ablatam, quâ jubebat omnes matronas, & virgines Syracusanas splendidè ornatas solemni die convenire in templo Cereris, ut vota ibi facerent. Cum autem partim religione, partim mandato tyranni permoti in templum convenissent; dedit mandatum militibus, ut gregem matronarum & virginum spoliarent ornatu muliebri.*

Vict. Strigel. in lib. 21. hist. Iustini. fol. 222.

An stratagema pejus poterat inveniri? sed quid dicemus de impiis impostoribus Pharisæis, qui cum Christo Redemptore nostro discursus sanctos formant: *Magister, quod est mandatum magnum in lege?* Non alia de caussa, nisi ut occasionem habeant Christum culpandi? Sed eorum conceptus perierunt, & stratagemata evanuerunt, fictiones eorum abierunt in fumos, & ut dicitur in communi proverbio, cum longo naso abierunt. Id contingit iis, qui hanc telam ordiuntur, vel ob proprium interesse, vel ut proximum diffament. Vitium est pessimum, quod reperiri vel inveniri potest, & omnes, præsertim hominem Christianum dedecet, qui Deum, & proximum amare & diligere juxta illam sententiam CHRISTI: *Diliges Dominum Deum tuum, & proximum tuum sicut te ipsum.* Christianus debet agere sincerè, & non subdolè, sic actiones ejus erunt irrepræhensibiles. Scio me loqui cum intelligentibus; hæc dicta sufficiant; & quiesco.

ALTERA PARS.

19. Dum impii sub pallio sanctitatis non consequuntur suos malos conceptus, conjunguntur, & invicem coadunantur contra justum, ut ei vel in vita, vel in fama noceant. Magis participant de essentia Diaboli quàm hominis. Hujus fæcis erant Saducæi, & Pharisæi, ideò inter se uniti, sed Christo adversi. Audiamus Hoffmeisterum: *Pharisæi, & Saducæi, perpetuò inter se pugnabant, in nullo consentientes, præterquam in odiendo, & persequendo Christum. Hic enim peculiaris est sectatorum genus, ut inter se perpetuò discordent, omnes autem similiter adversantur Christo & hujus sponsam oppugnant.* Ideò scribit sanctus Matthæus eos convenisse in unum: *Convenerunt in unum.* Omnes contra justum in unum conspirarunt. Sic Dionysius Carthusianus: *Convenerunt in unum inter se conquerentes, quid Christo proponerent, & per quem modum procederent, & deliberaverunt, ut cum multitudine magna accederent quatenus Christum timore concuterent: Venerunt enim, ut multitudine vincerent, quem ratione superare non poterant.*

Io. Hoffm. in cap. 10. D. Lucæ f. 520. c. 1.

Dion. Car. in Ma. 22. art. 36. fol. 76. l. A. col. 1.

20. In Ægypto degebant filii Jacob, cum plurimis ejus posteris numero fermè septingenti, qui cum Jacobo volente videre Joseph ante mortem suam in Ægyptum profecti sunt. *Gen. c. 45.* *Vadam & videbo illum antequam moriar*, & subdit sacer textus, Hebræos ab Ægyptiis valde malè fuisse habitos. *Ex. cap. 1.* *Oderant filios Israel Ægyptii.* sed cur adeo persecuti sunt Israelitas, quod *ad amaritudinem perducebant vitam eorum?* Israelitæ non erant molesti Ægyptiis, imò in omnibus illis serviebant, & erant ad manum: *Omnique famulatu in terra operibus premebantur.* Joseph fuerat vitæ integerrimæ & inculpatæ, nullus de eo conqueri potuit. Ergò potius debuerunt Israelitas amare, & bene habere. Poterit forsan aliquis respondere: Fratres Josephi dum hic esset Prorex plures offendisse, & læsisse putantes prius mundum, quàm eorum dominium desiturum. Hinc vel ob mortem Pharaonis, vel Josephi alius Rex creatus est, qui vix notitiam Josephi habuit, & prædecessoris habuit. *Surrexit interea Rex novus super Ægyptum, qui ignorabat Ioseph.* Omnes apud hunc de fratribus Iosephi, ejusque nepotibus conquerebantur. Potest dici hanc fuisse causam, cur Ægyptii Hebræos oderint, & malè tractarint, prout in similibus quotidiè experientia docet. Hæc responsio esto possit admitti, nihilominus id plures pessimæ inclinationi, & naturæ pravorum, ex qua sine causa oderunt, & persequuntur bonos attribuunt. Sic opinatur quidam Doctor Parisiensis: *Io. Hay. in Exod. c. 1. v. 13. n. 95 fol. 26.* *Ita impii sunt, ut in eos intumescant Et ideo oderunt filios Israel Ægyptii.*

21. Moribundus Patriarcha Jacob, omnes suos filios accersit, iisque eventus futuros prædixit, & specialiter sic allocutus est Iosephum: *Gen. c. 49.* *Filius accrescens Ioseph, & decorus aspectu, sed exasperaverunt eum, jurgati sunt, inviderunt que illi habentes jacula.*

Scire velim caussam eccur fratres odio habuerint Ioseph, eumque telis persecutionum petiverint. Nulli molestus erat, nec ulli aliquod malum intulit, cur ergò eum non reliquerunt in pace, sed semper ei insidias struxerunt En caussam. *Erat filius accrescens, & decorus aspectu.* Hoc est quotidie de virtute in virtutem proficiebat. *Ioseph Hebræus adolescens*, verba sunt S. Zenonis, *D. Zeno serm. de pudicitia.* *clarus genere, clarior pulchritudine morum, clarissimus probitate.* Secundò *erat decorus aspectu*, & credo eum potius locutum de decore interiori animi, quàm corporis. Verbo: Sanctitas Iosephi fuit magnes attrahens perversitatem fratrum, & fuit meta, in quam ejaculati sunt sagittas persecutionum. Hoc sensu credo dixisse sanctum Gregorium: *D. Gregor. l. 9. ep. 39.* *Statim atque quis virtutem amplectitur, ab iniquitate persecutionem patitur.*

22. In summa: omnes pravi uniuntur ut justo noceant. Angeli sub forma peregrinorum diverterant in domo Loth, & omnes illi scelerati à maximo usque ad minimum accurrerunt ad domum Loth, eamque undiquaque cinxerunt, portas diffregerunt, & nisi Deus eorum temeritatem castigasset, Loth aliquod damnum recipisset. *Gen. c. 19.* *Viri civitatis vallaverunt domum à puero usque ad senem, omnis populus simul.* Ad hoc propositum dicit sanctus Odo: *D. Odo in c. 24. Iob.* *Quid ergò pravos hujus mundi divites dixerim, nisi avitas quasdam humani generis, qui dum contra se superbiunt, bonorum vitam unanimiter affligunt.*

23 Hi, si credimus S Patri Augustino sunt instrumenta, quibus utitur Dæmon, ut bonos malè tractet. *D. P. Aug. serm. 85. de temp.* *Malos enim homines Diabolus quasi malleus, vel flagella habere consuevit; denique non persequitur bonos, nisi per malos.*

Sed agant, quod lubet, pœna demum in eos relabetur. Contingit illis quod stulto, qui sagittis solem petebat, sed in illum recidebant Præterea canis sævit in lapidem, quo fuit petitus, sed dentes ejus luunt: Huc forsan alludere volebat ille doctus Poeta sic gratiosè canens:

Ut canis in lapidem dentes tibi fregeris ipsi. *Baltass. Bonifac. Psalm. 9.*

De his meritò dici potest illud Davidis: *In laqueo isto, quem absconderunt comprahensus est pes eorum*, vel illud decretum legis: *Dignum est fraudem in suum actorem retorqueri.*

24 Sed agant, quod volunt, justi armati sunt scuto satis forti instar Chalibis, scuto integritatis scilicet, nulli ictus illud lædunt,

lædunt, imò sagittæ persecutionum in suos authores resiliunt. Struant ergò insidias instar Perilli, impietas ergà illos erit Phalaris Si mihi non credant audiant Basilium: *Consilia adversus justos inita, in caput maligni consultantium retorquentur: quemadmodum & tela, quæ si semel incidunt in corpus solidum, in suos jaculatores resiliunt.*

Basil. in c. 3. Isaia.

25. Origenes loquens de Aarone & Maria ejus sorore, concordibus ad injustè petendum servum Dei Moysen lucrum, quod ex hoc retulerunt narrat *Videtis quid sibi pœna contulerint obtrectatores: quid verò illi cui obtrectarunt, quæsierint laudis. Sibi turpitudinem, illi splendorem, sibi lepram, illi gloriam, sibi opprobrium, illi magnificentiam quæsiverunt.*

Orig. ho. 7 in Numer.

Si velis irritare ignem arundinibus illum percutiendo, hæ consumuntur, & ignis magnus augetur Hinc Chrysostomus: *Vide ubique tentationes magna parere bona. In malitia idem evenit, ut si quis calamum habens prætietur contra ignem, & videtur quidem verberare ignem, ignis autem clarior fit, & calamus consumitur. Alimentum enim, & fomes claritudinis, est malitia virtutis.*

D. Ioannes Chrys. ho. 54 in Act. Apostol.

Talia sunt nocumenta, quæ mali justis referunt; venti turbant mare, sed undas usque ad cœlum extollunt. Nudus agricola, grana ex paleis excutit, dum baculo indiscretè illas percutit Ferrum quamvis informe, & obductum rubigine, à malleo politur, & formam recipit. *Dant ictus formam.* Aurum in fornace ab igne mundatur. Quò magis crescebant aquæ diluvii, eò altius arca Noe exaltabatur. Themistocles sæpius est fassus a persecutionibus suorum concivium vitam suam servatam. *Perieram ne periissem.* Nam vera est doctrina Didaci Bezæ: *Sic universi persecutores viris justis cumulatiorem pariunt gloriam: Nunquam enim non augetur gloria ex eo, quod caro sustinet afflictionem.* Calumniatores ergò confunduntur, ut contigit Pharisæis, quorum *nemo ausus fuit quisquam ex illa die eum amplius interrogare.* Et ite in pace.

Didacus Ponferrad. lib. 5. c. 5. §. 4.





DOMINICA DECIMAOCTAVA

POST PENTECOSTEN.

Confide fili remittuntur tibi peccata tua,
Matth. 9.

ARGUMENTUM.

Ostenditur eum, qui vult curare animam ab infirmitate peccati, debere tollere radicem occasionis.

1. Non sufficit quod doctus & peritus medicus solum benè curet corpus infirmum, & morbum pellat, sed debet applicare media efficacissima ut causam tollat, ne infirmitas redeat. *Causa morbum fovens omnino dirimi debet, ut morbus ipse solvatur.* (Galenus.) Dicebat ille expertus medicus corporum humanorum; nam velut doctus Philosophus cognoscebat, quod remota causa removetur effectus; huc videtur mihi alludere voluisse Eusebius Emissenus, dum non scio an loquatur de medio spirituali, vel corporali. *Dixit bonus medicus ad morbi venam, & radicem spectat, postquam amputaverit hac, cætera ad facilius ducit.* (Eusebius Emis.) Quid prodest hortulano plantam cultro abscindere, si radices ex terra non evellat? nova germina producet, quæ cum foliis prodeuntibus, quasi tot linguis dicere videntur; improvidus & imprudens fuisti, dum radice intacta plantam excidisti. En dum unam abscidisti, decem vel viginti in tuum damnum pullulant; idcirco dixit S. Nilo: *Quocirca nobis faciendum est, ut malorum radicem evellamus, hac enim manente, rami quoque pullulabunt.* (Lib. 8.)

Simili modo subjungo, idem peccatori contingit, qui remediis efficacissimis sacramentorum tollit infirmitatem peccati ab anima, vel ferro contritionis, infelicem illam plantam abscidit, si similiter radices occasionum non extirpet; *Tunc enim* verba sunt Cardinalis Toleti, *malo perfectè subvenitur, quando occasio peccati amputatur.* (Tolet. in 2. Joann.) Sanctum consilium & salutiferum monitum in hodierno Evangelio à nostro Salvatore traditum: Paralyticum corporaliter sanaturus primò animam à peccatis curavit, hæc enim causa indispositionis corporalis erant; id docet Strabo Fulgensis. *Ecce modus curationis, prius dimittit causam morbi, nempe tollit peccata, postea verò corpus sanat;* (in cap. 9. Matth.) & ut occasionem habeamus proficiendi, hanc doctrinam evangelicam assumemus; nempe volentem curare animam ab infirmitate peccati, debere simul radicem occasionis tollere. Sic monet Glossa Moralis. *Oportet ut deponat vitia, & peccata præterita, & peccati occasiones caveat.* (Gloss. in c. Deut. 21.) Hanc materiam hoc discursu tractabimus interim spondeo, quod quo magis mihi favetis silentio eo minus molestum prolixitate me vobis futurum, & ordiamur.

PARS PRIMA.

Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.

2. Ut effectus aliquis impediatur, necesse est impedire causam; ut enim docet lex. *Cessante causa, cessat effectus.* (Lex gener. C. de Epis. & Cleric. c. concess.) Et Hippocrates loquens de infirmitate corporali dicit: Si aliquis humor peccans remaneat in infirmo eum non esse perfectè curatum, sed brevi relapsurum: *Quæ relinquuntur in morbis post judicationem, recidivas facere consueverunt.* (Hypocrat. lib. 2. Aphoris. 12.) Inflammationes

vulnerum à sanguine oriuntur, in quo sistit calor corporis humani; hinc Hippocrates: *In vulneribus sæpè fiunt à sanguine inflammationes.* Hoc confirmat ille doctus, ad cujus præsentiam infirmitates fugiebant, dum in consiliis suis scribit: *Satis clarè constat, inflammationem qua laborat patiens à sanguine calidiori originem ducere, & effectum non frigidum, sed calidum.* Hic est verus modus inflammationes vulnerum sopiendi, temperare calorem sanguinis, qui ad partes læsas humores peccantes transmittit, sicutècontra hydrops secundùm eum à jecore frigido, vel à sanguine, qui est ejusdem qualitatis provenit. *Aliquando vera scientia est asserentium, hydropem fieri ab hepate nimis refrigerato, vel à sanguine refrigerato in hepate;* Quodcunque vultis medium applicate, nil efficiet nisi frigus mitigetur, à quo hydrops oritur, Hyppocrates *in morbis, ac causis pendentibus primò causa prospiciendum est, deinde ipsi morbo incumbendum.*

Ibid. c. ult. aphoris. 18

Idem in consul. consult 2. Hippoc. de locis in homine tract 42. & 2do de morbis mulierum tract. 32.

3. Hinc David affectus inordinatos sensualitatis, & met⁹ irascibilis prodire à calore sanguinis sciens quotidie Dominum sollicitabat, ut manum extenderet, aqua gratiæ bullientem sanguinem extinguere dignaretur. *Libera me de sanguinibus Deus meus.* Scio nonnullos alios id intelligere de sanguine Uriæ innocenter à Joab fuso, ob commissionem Davidis

Psal. 50.

Bellarm. ibid. v. 15.

Hinc medicus cœlestis non solum hydropysin corporalem curavit, sed & peccata ejus causas ab anima sustulit, est observatio Ludolp. Carth. *Considera hinc quod Dominus curando paralyticum incepit à morbo spirituali, qui erat causa & radix morbi corporalis. Primò remittit peccata eius, quæ fuerunt causa mali, & ad modum boni medici, qui primò removet causam morbi, & tunc postmodum intendit curationi. Infirmitas autem hæc fuit inflicta paralytico propter peccata sua, & ideo Dominus prius removet causam, quo cessante cessat effectus introductus ob illam causam.*

Lud. Car. c. 28.

4. De heroe quodam refert Plutarchus, quod dum uxor Darii velut venustissima apud ipsum celebraretur, nunquam tamen sub conspectum eam admittere voluit, timens ne forsan ejus forma esset magnes, qui ferrum suæ constantiæ attraheret; hinc omnem occasionem eam videndi tollere voluit; *Nec Alexander venit in conspectum uxoris Darii, cum prædicaretur esse decentissima specie, sed huius matrem conveniens anum, puellam videre non sustinuit.*

Plutarc. de cur. 149.

5. Actionem nec minimam ab hac dissimilem elicuit Cyrus; apud hunc cum ab Araspo laudaretur forma, quæ in metropoli vulcus Pantheæ uxoris Abradatæ Surorum regis residebat, eam videre noluit, ne mens aliqua cogitatione sensuali contaminaretur; & eam nolens videre omnem occasionem periculi sustulit: *At Cyrus nolebat aspicere Pantheam; verùm cum Araspes diceret; mulieris formam dignam esse quã contemplaretur; ob hoc igitur inquit magis abstinendum est ab ea.* Similiter Trojanùm prudenter sanciisse tale edictum his verbis refert Ambrosius Coriolanus: *Sane igitur & prudenter Troiæ instituerunt seniores, edici præconio, ut à facie fugerent Helenæ, cum publica adirent spectacula, ne scilicet sua illecti pulchritudine ad libidinem convitarentur, quod si pro civili honestate servando, infidelis ille populus tantum adhibuit cautela, ut juniores monerentur Helenæ figuræ aspectum fugere, quantò magis nos, qui Christicolæ sumus.*

Plutarc. ib. lit. A.

Amb. Coriol. in regul. D. August. textu 37.

Cœlius Rhodoginus de Cotii Rege Thraciæ ad iram inclinatissimo, & severo in castigandis iis, qui in officio peragendo erratum quoddam commiserant, hoc quod sequitur narrat. Vasa quædam terrea, sed miro artificio elaborata & subtilibus incisuris fabrefacta, quadam vice ei oblata fuêre; porrò ut ostenderet, illa sibi accepta fuisse, donantem ingenti auro donavit; verùm paulò post non sine stupore astantium vasa diffregit, & ne hoc levitati attribueretur, dixit: Vos bilem mihi dominari scitis, & à me rigidè animadverti in eos, qui officium malè administrant. Hæc vasa mihi chara sunt, & ideò succenserem levi negotio ei, qui illa frangeret, & cum iram nequeam cohibere, severissimè eum punirem, ut hanc ergò occasionem tollerem, vasa frangere volui.

Cœl. Rhod lib. 23. c. 20. apud Labata t. 2. verb. occas. prop. 1.

Democritum nonnulli (quamvis id non probet Plutarchus) oculos sibi eruisse asserunt, ne ab illis aliunde distraheretur, sed speculationibus philosophicis tantum occuparetur.

6. Sed

6. Sed historiis profanis omissis ad sacram S. eamus; Lis inter pastores Loth & Abraham exorta erat, hinc pastores Dominos adeuntes causam litis exposuerunt. Gen. 13. *Facta est rixa inter pastores gregum Abraham & Loth.* Loth, & Abraham convenerunt, & litem sopierunt. *Ne quaeso dicebat Abraham sit jurgium inter me & te & inter pastores meos, & pastores tuos.* Nescio an Abraham laude, velut persona publica an verò vituperio tanquam meticulosus, cui non sit animus Loth in faciem loqui, & factis occurrere dum necesse est, dign⁹ sit; quid Abrahamo intererat esse discordem cum suo consanguineo Loth? teste Abul. bonus Abraham ex illis rixis pejora eventura prævidebat, dicere ergò voluit ne ignem majorem accendamus, hunc ignem rixarum qui illorũ est causa, sopiamus. *Ne quaeso sit jurgium inter* Tost. ibid. *me & te.* Audite Abulẽs. *Hoc ponitur ad denotandam prudentiam Abrahæ, & virtutem: pertinet nempe ad virum justum & prudentem, ut visa occasione mali statim provideat, & non dissimulet quia in exordio potest prævideri contra mala ne fiant, in progressu autem eorum, non potest prævideri. Ideo sicut Abraham cum esset vir sanctus atque prudens cognito quod pastores jurgati essent & subito, quod ex hoc sequi posset, statim locutus est ad Loth ut tolleretur occasio futurorum malorum.* Si principia discordiarum sopirentur, tot mala quotidie non fierent, non tot occiderentur, familiæ & domus tot non perderentur.

7. Loquens Scriptura S de Josepho à fratribus invidis vendito, & à viatoribus Gen. 39. Ismaelitis in Ægypto ducto sic ait: *Accidit autem quadam die ut intraret Joseph domum.* Hanc esse domum quam incolebat assiduè, cuique à Putipharo præfectus fuit non dubito; si ergò quotidie exibat, & intrabat, cur dicitur. *Accidit autem quadam die, ut intraret Joseph domum?* An fuit extraneus, qui nunquam in illâ fuit? quidam modernus in illa domo duo fuisse cubicula, unum Domini, alterum Dominæ opinatur; se à Domina oculo lascivo notari, eamque sæpius verbis & gestibus affectus illos demonstrasse, quæ tantam Dominam dedecerent, sciebat; ut ergò occasionem evitaret alicujus infortunii, & sinistri casus, S. Joseph omninò cavebat ne vel pedem illi cubiculo inferret. Hinc dicit sacer textus. *Accidit quadam die, &c.* Demonstrare voluit, Josephum, ut occasionem alicujus lapsus fugeret summo conatu cubiculum illius impudicæ vitasse. Sic observat Oleaster. *Vitabat enim in quantum poterat esse in loco, in quo illa erat, ut illi* Oleast. ib. *aufferret occasionem peccandi.* O quot essent continentiores, & minus offenderent Deum, si Josephum imitantes caverent illas domos, in quibus sunt objecta, quæ Dœmon usurpat, ut illos trahat in peccatum aliquod, quæ ita graviter Deum offendunt? hinc Ovidius;

Et loca sæpè nocent, fugito loca conscia vestri. Ovid. de remed. amoris.

8. Cardinalis Vitalis aliâ ponderatione idem factum trutinans miratur pallium illi impudicæ reliquisse. *Qui relicto in manu ejus pallio, &c.* An non fuisset me- Gen. 39. lius vi illud servasse? sine dubio, quia non habuisset ansam, nec testimonium eum falsò denigrandi. Tostatus modestiæ, & reverentiæ, quâ observabat Dominam, id attribuit. *Quia Domina sua erat, noluit in* Tost. ibid. *eam manus injicere te agendo violenter ad ex-* fol. 636. *torquendum chlamydem de manu ejus, & in hoc fuit urbanus valde, & devotus servus Joseph, quia dato quod Domina sua impudica, & utilis existeret, nunquam tamen erga eam irreverenter se gessit, quicquam durè respondens, aut durè agens.*

Nihilominus Cardinalis Vitalis Josephum non curasse num pallium retineret, autumat; nam ob resistentiam Dominæ aliquatenus ibi hærere debuisset, nec illud Dominæ eripere potuisset, nisi illi approximasset, hinc poterat eum manibus appræhendere, & tenere, ne Joseph ita faciliter posset fugere; Non, non ait Joseph. Si receptio palatii possit mihi esse ansa peccandi perdatur, & fuga capiatur. *Relicto* concludit dictus Cardinalis *in ma-* Vital. apud Hay in Genes. 39. num. 148. *nibus ejus pallio fugit, quoniam viribus animus non præbet carnali concupiscentiæ consensum, sed fugit omnes oportunitates, & occasiones peccandi.* Hinc prudens & sanctus juvenis non solum cavens cubiculum, sed & vilipendens pallium. Poetæ monenti se obsecutum demonstravit.

Alan. in lib. de concupis. nat. med. 5.

Si Venerem vitare velis, loca, tempora vita
Et locus, & tempus pabula donat ei.

11. Deus Jeremiam in Prophetam instituens hæc dixit : *Ecce dedi verba mea in ore tuo: Ecce constitui te hodie super gentes, & super regna ut evellas, & destruas, & disperdas, & dissipes*, ac si supremus Monarcha dicere voluisset, ô Jeremia ut sis facundus, verba mea tibi instillo, his non solum volo, ut vitia destruas, & disperdas, sed fundamenta evertas, ne possint crescere, & germinare. Et hac instructione, si credimus Origini Deus noster docere voluit, non sufficere, ut destruamus, & dissipamus peccata animarum nostrarum, sed & radices occasionum evellendas esse: *Si eradicatur aliquid, & eradicatio ipsa non dispergitur, adhuc permanet, quod evulsum est. Si subruitur domus, & lapides in ruina sunt integri, dissipata est domus, non tamen perdita, opus est igitur benignitate Dei, ut eradicatio ipsa, & subversis tota dispereat.*

Ierem. 1. — *Orig. hom. in Ierem. 2.*

10. Rex, & Propheta David continuò Dominum id sibi præstari petiit: *Viam iniquitatis amove à me*, cur potius absolutè non rogat, ut ipsam iniquitatem ab ipso amoveat? valdè prudenter loquebatur; via quæ ducit ad iniquitatem est occasio: dicere ergo volebat: O mi creator, amove à me occasionem, & securus à peccato ero, sed si per hanc viam ambulem, difficilè erit non venire ad terminum ad quem, qui est consummatio peccati. *David ab omni occasione in peccatum tendente petit à Deo liberari, tanquam ab eo, quod ad rem desiderabilem carnem ducit.* Plus dixit sanctus Bernardus; *majus miraculum est inter vehementes occasiones, non cadere, quam mortuos suscitare.*

Psal. 118. — *Labata Tom. 1. de occas. prop 1.* — *Serm. 60. in Cant.*

11. Inter alias jussiones, quas Salvator pro salute animæ nostræ dedit, hæc una fuit: Ego dico vobis, quia *omnis qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mœchatus est eam in corde suo.* Si adeò Christo displicet hoc peccatum, cur simpliciter non prohibet, actum voluntatis quo volumus objecta peccaminosa, sed solum interdicit visum; *Qui viderit mulierem?* quid fecerant oculi ut ipsis visus interdicatur, omnis venustas mortua esset, nisi conspiceretur ab oculis? potius ergo dicere debebat; *qui concupiverit mulierem ad mœchandum.* sanctus Joannes Chrysostomus ait, Christum voluisse prævenire actui voluntatis, quo concupiscimus ad mœchandum, & idcirco prohibuit occasionem scilicet visum; à quo dependet inordinata cupido dum voluntas consensum præstat. *Qui enim studet*, sunt verba sancti, *elegantes facies inspicere, ipse præcipuè fornacem sibi istius passionis accendit, & captivam faciens animam ad necem quoque celeriter adducit. Propterea non dixit, qui concupiscit ad adulterandum, sed qui viderit ad concupiscendum.*

Matth. 5. — *Hom. 17. in Matth.*

12 Hoc servator his verbis: *Si oculus tuus dexter scandalizat te erue eum, & projice abs te*, mihi confirmasse videtur. Cur magister pietatis ferat mandatum adeò rigidum non scio, & sanè an non esset irregularis, qui oculum erueret? sine dubio ait Toletus. *Quantum ad irregularitatem contrahendam parem fecerunt jura mutilationem homicidio, qui enim occidit aut mutilat, sive licitè faciat, sive illicitè irregularis est.* Scio per hunc oculum à sancto Patre Augustino amicum charissimum intelligi. *Per oculum intelligimus dilectissimum amicum; solet enim ab eis, qui vehementer volunt exprimere dilectionem suam, ita dici, diligo eum ut oculum meum.* Dionysius Carthusianus ad litteram sic intelligit hunc locum. *Oculus dexter intelligi potest, ipse oculus corporalis*, non quoad substantiam, sed usum; ac si diceret: si visus foret tibi occasio peccandi reprimere oculos, refrena visum, & omnem aufferres occasionem à qua aliquis affectus inhonestus oriri posset; audite Dionysium Carthusianum: *Si ergo iste scandalizat te, id est, occasionem peccandi ingerit, & ad concupiscendum inducit, erue eum, non essentialiter, sed quantum ad usum, id est, reprime eum, ne intuetur illicita.* Et Glossa id confirmat: *Quia non solum peccata vitanda sunt, sed & occasiones tollendæ peccatorum, postquam docuit vitare mœchiam peccatum non solum in opere, sed etiam in corde, consequenter docet occasiones peccatorum abscin-*

Matth. 5. — *in capit. Matth. 18.* — *Gloss. in Caten. D. Thom. fol. 21.*

abscindere; dicens: si oculus tuus dexter scandalizet te.

13. Hujus sancti præcepti quendam religiosum exactissimum fuisse observatorem narrat Thomas Tragillus: cùm esset cæcus, oculorum usum sibi à Deo reddi postulavit, gratiam obtinuit, sed dum mentem ejus subiret oculos posse esse ipsi occasionem scandali, eis denuò privari petiit, quod & factum: *Ubi postea videndi periculum expertus esset, saluti magis animæ quam corporis, & interno magis lumine quam externo prospiciens, ab eodem pristinæ cæcitatis remedium petiit, & impetravit.* Voluntas securè dormiret, si non excitaretur ab oculis; concupiscentia non ingrederetur cor; si oculi non aperirent ostium; nam verum est adagium, *quod oculus non videt cor non desiderat:* intuitus sunt favillæ, quæ ignem nostrorum sensuum accendunt.

Trugil. in thesaur. Conc. in festo S. Andreæ.

14. Sed quid specialiter loquimur de oculis, volo ut videamus quantâ cautelâ debeant custodiri; ne nobis sint occasio offendendi Deum. Spolia opulentissima, quæ post mortem Holofernis in tentoriis reperta, militibus Bethuliæ cesserunt; generosæ Judith velut trophæum ejus victoriæ à duce generali Assyriorum reportatæ. Debitum, & in signum gratitudinis præsentata fuere: *Universa quæ Holofernis peculiaria fuisse probata sunt, dederunt Iudith in auro, & argento, & vestitus, & gemmis & omni supellectili, & tradita sunt illi omnia à populo.* Sed sapiens fœmina nihil admisit: *Porrò Iudith universa vasa bellica Holofernis, quæ dedit illi populus, & conopæum, quod ipsa sustulerat de cubili ipsius obtulit in anathema oblivionis.* Sed cur? hæc munera in signum amoris, & demonstrationem obligationis à patria tibi oblata recusas? est inurbanitas, hoc non admittere, quod à gratiosa donatoris manu venit. Tibi & nulli alteri hæc spolia velut trophæa tuarum gloriarum, & testes tui incomparabilis virtutis debentur. Chrysostomus hunc fuisse actum prudentiæ, & non incivilitatis, respondet: *Reliquit omnia vestimenta ne succumberet.* Quid? *ne succumberet?* illa fœmina bellicosa, quæ instar invictæ Amazonæ Holofernis crudelitates non timuit, metuet spolia? si tunc se exhibuit intrepidam, instar solidæ quercus, an post mortem ipsius se monstrabit timidam instar fragilissimæ arundinis? ah, hæc vidua sancta hoc significare voluit; quis scit, an non ad conspectum horum spoliorum mentem invadet quædam vana gloria, dum heroica gesta à me patrata considero; possent mihi esse occasio incurrendi in sublimem aliquam æstimationem de meipsa, dum memoriæ meæ quanta gesserim, cum quanto valore, & judicio, objiceretur. Hæc spolia possent esse vela, quæ aurâ mearum ambitionum turgida in mare divinæ iræ me submergerent; apage ergo, abeant ex oculis meis, nolo ea videre, vel retinere, *obtulit in anathema oblivionis, & reliquit omnia vestimenta ne succumberet.*

Iudith 5.

Chrysost.

15. Quam prudens fuit Judith, tam providus fuit Mardochæus in vitanda occasione. In palatio regis Assueri, nemo magis, quam Aman proferebatur ad libitum imperabat, & quia à Domino dominium totius regni illi consignatum erat, quilibet eum reverebatur, & quasi idolum adorabat; iis qui ei reverentiam exhibebant magnos favores præstabat: solus Mardochæus inter omnes aulicos nec depositione pilei eum salutare, multò minus respicere decrevit; imò dum eum obviam habuit, tergum vertit, ne illum aspiceret. Res, quæ omnibus aulicis stuporem ingessit, & ipsum Aman adeò afflixit, & mortificavit, ut sæpiùs id deploraret, dicens: *Cùm hæc omnia habeam, nihil me habere puto.* Veni huc ô Mardochæe, dic quæso, quinam spiritus tuum caput invasere? an nescis Aman esse secundum à Rege? cave ergo ne adeò sis insolens, poteris ex hoc forsan reportare aliquam vindictam fatalem, faciat quidquid velit, si ille est Dominus meæ vitæ, ego sum Dominus mei liberi arbitrii, nec unquam fiet, ut illi reverentiam exhibeam, imò potiùs amisero vitam quam hoc fecero. Esth. 3.

16. N. Ne taxetis Mardochæum tanquam hominem fatuum, & inurbanum. Abbas Joachim dicit Aman esse natione Macedonem: *Aman natione Macedo.* Hinc teste Dionysio Carthusiano idolum aureum, Ioachim Abbas cap. 1.

um, cui reverentiam exhibebat ante pectus gestabat; id enim Medis familiare erat. Quis scit, dicebat Mardochæus, an reverentiam exhibendo Amano non videar, adorare idolum, quod ante pectus gestat, & licet illud non faciam actu interno, ad minus exterius, illud revereri videbor. Absit, ut talem committam errorem. Et ut omnem hujus occasionem evadam, dum ei obvius ero, aut simulabo me eum non videre, vel tergum ei vertam. *Libenter*, inquit Dionysius Carthusianus, *pro salute Israel vestigia pedum ejus deosculatus essem, sed timui ne honorem Dei mei transferrem ad idolum, & ne quemquam adorem excepto Deo meo.*

Idem ibid.

17. In convivio, quod ad honorem natalis Herodis institutum fuit, hic impius, & sacrilegus Rex injusto decreto præcursorem Domini decollari jussit: *Misso Herode spiculatore præcepit amputari caput Ioannis in carcere.* Subitò sententia Tyranni executioni data est. Carnifex venerandum caput accepit, & in patina impudicæ & audaci saltatrici illud præsentavit. Hic subintrat sanctus Pater Ambrosius, & solidâ facundiâ discurrens dicit: *Clausit Propheta lumina non tam mortis necessitate, quam horrore libidinis.* Super hanc doctrinam magni Doctoris Ecclesiæ quoddam doctissimum ingenium speculatur dicens: caput Joannis à corpore recisum oculos clausisse, ne puellam, à qua in disco ferebatur, videret. Nec hoc factum putetis ex odio, vel vindictâ, quia columba innocentiæ felle vindictæ carebat. An forsan metuebat, ne ad visum illius profanæ speciei tot contaminaretur? nequaquam; nam gratiæ Pharmaco munitus, & balsamo virginitatis unctus erat. Magis erat Angelus, quam homo. Sed quid dico? an non erat mortuus Joannes? an non ejus corpus erat cadaver? & quomodo potuit videre sine potentia visiva? quomodo ergo ait sanctus Ambrosius, quod oculos serarit. *Non mortis necessitate, sed horrore libidinis?* difficultatem hanc subtilem movit Pater Didacus Celada. *Quid impudicum timebat ejusmodi conspectum sanctissimus Propheta, virginitatis decus, castitatis honos, puritate Angelus? mortuus est, & adhuc timet: cadaver est, & cadaverescentes clau-*

D Matth. cap. 6.

D Ambros.

Didac. de Celada in Judith. c. 13. v. 11. §. 26. n. 119

dit oculos, inhabiles ad visionem, ineptos ad lapsum? quid jam defunctus horret pericula, qui dum adhuc viveret, frustra timeret?

Et respondet id ad nostram instructionem factum, ut ostenderet, quod esto simus sancti sicut Joannes nihilominus nos valdè sollicitos esse debere in claudendis oculis ne intueamur illa objecta, quæ nos possunt inducere ad peccatum mortale. *Ille enim non sibi cavet, sed nobis præcavit. Claudit lumina, ut sit nobis exemplar ad cautelam.*

Idem ibid.

18. Non tantum oculi, sed & verba possunt esse occasio nostræ ruinæ spiritualis. Ideoque non minus ab aspectibus, quàm à verbis cavere debemus. Quid prodest bene custodire oculos; & non esse circumspectum in verbis? & quia habemus doctrinam sancti Joannis illam proferam certus, quod exemplares actiones à tam sancto præceptore recipere non dedignabimini. Arguens Herodem dixisse legitur: *Non licet tibi habere uxorem fratris tui.* Nec invenio, quod Herodiadem eodem jure perfusam perstrinxerit. Cur ergo illum reprehendit, & hujus crimini connivet? an forsan hujus indignationem incurrere timet? hoc non credo, quia nimium zelabat honorem Dei, & animæ illius salutem. Audite quid respondeat Doctor citatus: *Non timet esse reus mortis propter asperum colloquium, sed fortè reatum fœminei colloquii. Omne enim fœminarum colloquium suspectum Ioanni est.* Voluit docere omnem occasionem peccandi mortaliter, & Deum offendendi esse fugiendam.

D. Marc. cap. 6.

Didac. Celada in Iud. c 12. v 17. nu. 75.

19. Quam provida fuit Deipara, esto nullum timeret periculum, vel damnum in occasionibus vitandis? Elisabetham gravidam invisit, & apud eam hæsit usque ad ortum Joannis, sed illo nato statim domum rediit: *Mansit autem Maria cum illa quasi mensibus tribus, & reversa est in domum suam.* Cur ita reditum acceleravit? an forsan non fuit grata? forsan in aliquo fuit læsa? quodnam quæso negotium eam redire fecit? nihil horum, subsistit. Possent quidem multæ rationes adferri, sed dicam cum quodam moder-

D. Luc. cap. 1.

Ioan. Hof. ibid. fol. 167. col. 1. no: *Mansit quamdiu potuit, & abiit quando debuit.* Sed cur hoc? consanguinei, amici, & plures alii ob filium natum Zachariæ, & Elisabeth congratulatum illuc venturi erant, idcirco abiit, quia ubi est concursus populi, etiam est occasio peccati. Scio Deiparam ob plenitudinem gratiæ ab his periculis securam fuisse. Discessit itaque, ut nos fugere occasiones disceremus allicientes nos ad peccatum. Hanc opinionem approbat dictus scriptor: *MARIA Virginum omnium regina, & speculum fugiebat multitudinem hominum, qui adpartum venturi erant.* Et Theodoretus idem confirmat: *Et reversa est in domum suam; scilicet propter multitudinem, qua adpartum congregari debebat.* (Theod in Cat. D. Thom. c. 1. in Luc. fol. 139 col. 1.) Ex hoc discimus, quod si nobis possimus imaginari, affuturam aliquam occasionem peccandi, si præsentes simus nos debere abire, si absentes illuc non accedere.

20. Ultimò volo, ut hanc Politiam cælestem à Filio DEI discamus. Apud hunc fœmina accusata fuit, quod thori fidem violaverit: *Hæc mulier modo deprahensa fuit in adulterio.* (Ioan. c. 8.) Christus illam absolvit, dicens: *Nemo te condemnavit mulier? nec ego te condemnabo.* Maximopere hac de re miratur sanctus Pater Augustinus Domine quid facis? si peccavit juxta legem lapidetur, secus inferri poterit te adversari justitiæ, & favere iis, qui meritò sunt castigandi. *Quid est Domine? faves ergo peccatis?* Nequaquam, ait meus sanctus Pater, observate quid evenerit. (D. P. Aug. Tract. 33. in cap. 8. D. Ioan.) Omnes, etiam ipsi accusatores se subduxerunt, & *remansit solus IESVS, & mulier.* Et quamvis Christus esset impeccabilis, ut ab illa se expediret, nec ansam cum ea solus hærendi haberet eandem liberam pronuntiavit. Ideo dixit, *vade, & jam amplius noli peccare.* Per hoc docere voluit, quam solerter cavendæ sint occasiones peccandi. Hanc fuisse Christi intentionem testatur Celada: *Cùm remansit solus cum muliere, non eam moratur ut causam disceptet, & sententiam dicat, sed statim dimittit eam. Non timet Christus periculum sibi, sed nobis offert cautelam nostri periculi.* (Didac. Celad. com in Iud. c. 8. v. 34. & 36. n. 167.)

21. Quomodo ergo sit securus Christianus, si occasiones vitare non studeat? si infirmitates corporis originem ducant ab indispositionibus animæ, quomodo illæ possint curari si his non applicetur medela? laudetur ergo prudentia Christi? qui curans paraliticum, primò sustulit peccata: *Remittuntur tibi peccata tua,* dein curavit Paralisin: *Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam.* Hinc Doctor Angelicus: *Quid est, quod iste petebat sanitatem corporis, & Dominus dat sanitatem animæ? ratio est, quia peccatum erat causa ægritudinis. Vnde fecit Dominus sicut bonus medicus, qui causam curat.* (D. Thom. in cap 9. D. Matth.)

22. Cui chara est vita non solum sibi cavet à morte, sed & ab infirmitatibus, nec dolorem capitis sentire vellet. Si ergo velis evadere mortem æternam, cur non tollis omnem occasionem? *Qui vitam diligit non solum mortem, sed morbos etiam studiosè fugit, qui viam ad mortem muniunt.* Sic Christophorus Burgensis. (Christ. Burg in Matth. cap. 5. fol. 474. col. 1. & 2. lit. A. & B.) Sed unde venit quod homo occasiones malas quærat? an fortè confidit in suis viribus? occasio est velut ignis, homo sicut palea, vel fœnum; O mnis caro fœnum. (Isaia c. 40) Applica paleam igni, & videbis quid sequatur. Debemus considerare nos non esse lapideos, vel ferreos, sed fragiles, & inclinatos ad malum. Sic Sanctus Chrysostomus. *Num tu saxum es? num ferrum? homo es communis naturæ imbecillitati obnoxius; ignem cernis nec ureris?* (Chrysost. in Psal 50) Interrogate à Propheta Davide, quam nociva illi fuerit occasio. Fuit esca, quæ statim in corde ejus accendit ignem concupiscentiæ: *Vidit mulierem lavantem, pulchritudine captus est, telum excepit, vulnere affectus est. Misit dumtaxat ad illam, venit illa.* (Idem ibid.) Et quid evenit? *Flagitium perpetratum est*, sic ait Chrysostomus.

Absolutus es à peccato, & manes in ejus occasione? nihil profecisti, es in periculo proximè relabendi. Si peccatum expellas Dæmon perdit possessionem tuæ animæ, sed nisi tollas occasiones illius dominium retines. Hinc lex: *Remanentibus*

reli-

reliquiis non dicuntur amissa jura, & quando non cogitas tunc se offert occasio. Avis dum audit fistulam statim se dimittit & homo qui reperit in occasionẽ statim cadit. Possem dicere, ut historias sacras, & profanas legeres, nam invenires innumera exempla. Appello ad solam experientiam, quam nemo nostrum evasit. Vos illam considerate, dum ego quiesco.

Io. Hering intract. de Molendinis.qu.52. n.8. Bald. in c.1. col. 2.de ele.

ALTERA PARS.

22. MUndus est plenus occasionibus, non movemus pedem quin sese offerant, si oculos attollas, statim se se exhibent objecta sensualia. Si discurras cum amicis, lingua te allicit ad murmurationes. Si videris nonnullos discurrere in secreto, aures te incitant ad curiositatem, ut auscultes quæ ad te non pertinent. Si tibi res alterius committantur, voluntas tibi suggerit furtum, & manus vult partem suam. Si vadas ad Ecclesiam, vel domum invenis, mille reperis impedimenta, quæ te impediunt à bono, & invitant ad tabernas, ac ludos. Verbo; nunquam desunt occasiones inducentes ad ruinam, & illas invenis esto non quæras. Ita ad populum Antiochenum perorabat Chrysostomus: *In bello sumus, in mundo, in circuitu nostro impii ambulant; Peccatores intendunt arcum; hic quidem aures sagittat, ut jucundas detractiones audiamus: hic oculum excitat in lasciviam, ille verò linguam, ut fratribus inferat convitia, hic autem ventrem in ingluviem irritat, ille vero manum in avaritiam, & rapinam; alius verò pedes movere in malitiam hortatur.*

Chrys hom 22. ad pop. Antioch.

23. Obstupescceretis N. si occasiones audiretis, quæ Israëlitis in Babilonicâ captivis sese objecerunt, & quid egerint ne offenderent Deum. Simul cum illis Hierosolymâ pulsi sunt, & in Babiloniam abducti, Levitæ, qui instrumenta musicalia contulerunt, quibus usi sunt in templo Salomonis dum hymni ad gloriam Dei cantarentur. Quadam die, Babiloniis in mentem venit, ut Levitæ sacras laudes in templo Salomonis decantari solitas canerent: *Hymnum cantate nobis de canticis Sion.* Excusarunt se dicendo, id lege eorum esse vetitum, nec absque piaculo hymnos sacros posse in terrâ gentilium cantari. *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?* Bellarminus nonnullos interpretes sic legere asserit: *In terrâ alieni, id est in terra Dei alieni, atque ideo noluisse Iudæos cantare, ne honorem Dei veri tribuerent falsis Diis.* Babilonii ergo hac petitione Levitis præbuerunt occasionem graviter peccandi, & absolutè instrumenta voluerunt concinnari, & sequenti die, sive id libenter, sive illibenter facerent, illa tangi. Et ut testatur quidam gravis scriptor id ideo tantum fecerunt, ut sacris hymnis illuderent; sed, ut his periculis se expedirent, audite quid Levitæ facere decreverint. Ut inhabiles redderentur ad pulsanda instrumenta, dentibus pollices sibi præmorderunt. Ita testatur Labata. Sic Anaxarchus à Nicocreonte Tyranno Cypri tormentis agitatus ne occasionem haberet secretum revelandi, linguam in frustra discerpsit.

Psal. 136.

Bellar ibid fol. 836.

24. Ipsemet Deus apprimè sciens occasiones ad malũ pertrahere, audite quid non fecerit ut illas extirparet. In monte Oreb creator noster in Rubeto Moysi apparuit: *Apparuit ei Dominus in flamma ignis in medio Rubi;* quale est hoc paradoxon apparere in dumeto. An Deus melius non ostendisset suam magnificentiam, aut pompam si apparuisset in cypresso altissimâ, Olivâ pacificâ, Palmâ victoriosâ, cedro incorruptibili, vel in aliâ plantâ nobiliori? aquilæ generosæ nidificare dedignantur in sepibus, & dumetis, & Deus pro solio pomposo eligit vilissimas spinas? Expositores sacri in hunc locum mille responsa adferunt; verùm ad meum propositum quadrat doctrina sancti Athanasii, & Theodoreti. Hi asserunt Hebræos ab Ægyptiis didicisse constructionem idolorum ligneorum, eorundemque, tanquam verorum numinum adorationem; noluit ergo Deus apparere in cedro, Palmâ, Olivâ, vel cypresso, quia Hebræi ad imitationem Ægyptiorum ex iis statuas fabricassent, easque adorassent. Ut ergo tolleret hanc occasionem elegit spinas, ex quibus idola, vel statuæ fieri non possunt. *Vidit*

D. Athanasius. D. Theodoretus. *dit Deus Hebraos ex pessimo exemplo Ægyptiorum ad idolatriam propensos; unde si Deus in cedro apparuisset propenderentur ipsi inde conficere aliquod, quod adorarent idolum: quare ut omnem ab eis occasionem amoveret, in rubo apparere voluit, ex quo neque puxillum conficere possent.*

25. Si nos ipsos consideraremus, profecto videremus quam necessarium quoque sit ut respectu nostri occasiones etiam tollat. Cognoscit Deus divitias tibi posse causare damnationem æternam, & quod illas magis quam Deum adorares, & pro idolis haberes, juxta illud: *Dives effectus sum, inveni idolum mihi*; sed quia desiderat tuam salutem sustulit hanc occasionem, & te ad incitas redegit. Multi lamentantur se debilis esse complexionis, semper malè habent, nunc laborant febri, nunc podagrâ, murmurant contra Deum, & verbis indignabundis eum adoriuntur, & nonnunquam patientiâ amissâ in blasphemias erumpunt. Verum Deus sanitatem eis nociviorem, morbis prævidet, & quia sanitas illis foret occasio plurium peccatorum, illam auffert, & infirmitatem immittit. Quot sunt, qui aspirant ad honores, & dignitates, ut coram mundo sint celebres? sed quia Deus id saluti valde noxium, & animæ bonis maximè damnosum videt, tollit occasionem, & conceptus, ac extra in fumos abire facit. *Bonus Dominus*, noster inquit idem Theodoretus, *cernens homines ad divitias, delitias, & honores ita propensos, ut ex his idola sæpe faciant qua adorent, avarus enim aurum adorat, est enim avaritia simulacrorum servitus ab hujusmodi occasionibus liberos cupiens, divitias vobis, & catera mundi bona misericorditer negat, & tollit.* Theod. apud Lab. ubi supra.

26. Et tamen sunt non pauci, qui non tantum non fugiunt occasiones inducentes ad malum, sed illas quærunt, nec illas reperire timent, esto sciant per easdem multas perire. Sed tales cerebro vacui sunt, & pejores bestiis, quæ gressus sistunt dum fovea, vel aliud incommodum iis objicitur. Et tamen homo videns plures per occasiones ruere, nihilominus iis inventis se non substrahit, vel non inventas quærit. Hos demiratur sanctus Pater Augustinus dicens: *Praceps est qui transire contendit, ubi conspexerit alium cecidisse: vehementer effrenis est, cui non incutitur timor alio pereunte.* D. August. lib. de sing. cleric.

27. Verùm nos, qui sumus rationales, & Christiani, ne deteriores habeamur bestiis, non solum occasiones, sed & umbras earum fugere deberemus. Astrologus quidam nobili cuidam sibi caveret ab aquis, utpote periculum esse ne illis pereat, prædixit. Ita hic illas fugit, ut nec vinum illis dilueret. Bene nobis esset, si hanc regulam in moralibus observaremus.

Sanctus Gregorius de Ursicino sanctitate, & annis grandævo presbitero refert, quod fœmina quædam ætate etiam matura exploratura accederet, num vita defunctus esset, illum vero resumptis spiritibus vitalibus (agebat enim animam) his verbis memorandis eam compellasse: *Recede à me, adhuc igniculus vivit, paleam tolle*, & tamen hic sacerdos erat fato admotus, & illa fœmina rugosa, & annosa. Monitum ergo Seraphici Patriarchæ sancti Francisci admittite: fugite occasiones illas, quæ possunt aut edomitæ carnis resuscitare igniculum, aut pudicæ mentis maculare nitorem, & ite in pace. D. Gregor. 4. Dialog. cap. 2.

DOMI-

DOMINICA DECIMANONA
POST PENTECOSTEN.

Simile est regnum cælorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo. Matth. 22.

ARGUMENTUM.

Homines adeò cæci sunt, ut pejora eligant, meliora negligant, temporalia æternis præferant.

1. ADeò cæci sunt homines in eligendo, ut quilibet experientiâ teste meliora videat, & pejora amplectatur. Idcirco morem pravum Poëta deplorans cecinit.

Ovid lib. 7. Methamor.

——*Video meliora proboque*
Deteriora sequor. Et Gregorius Nazianzenus.

D Greg. Nazianz. Poëm de virt hum.

Id facio quod minus mea damnat, & odit,
Oblectorque malis.

Euseb. Gallic hom in die pent. in Bib. vet PP t 5 f 672. col 1

Hunc defectum adeò notabilem etiam agnovit Eusebius Gallicanus, ideo nobis instruendis scripsit. *Quid autem suadet (charissimi sapientia hujus sæculi) nisi nocitura quærere, amare peritura, negligere salutaria, & pro nihilo putare perpetua?*

Thaddæus Perusin in c 25. Isa f. 8. co 1. l. B

Hoc etiam notavit doctus interpres Isaiæ dicens: *Nostris cupiditatibus allecti, ac seducti, quæ nobis proficua sunt negligimus, & noxia quæcunque appetimus, & complectimur.*

Hyppoc. in Epic. de Phis. Arist l. 10. morali. ad Nicomac.

Imitamur infirmos, qui nociva appetunt, & proficua nolunt. Porrò causam hujus assignat Hyppocrates, quia *statura morbo corrupta appetit sibi nociva.* Tales se ostendunt similes jumento quod teste experientiâ *mavult strumenta, quam aurum.* O insaniam nimis stultam! O stultitiam nimis insanam! ô calamitatem deplorandam lachrymis sanguineis. Ferrum auro, lutum gemmis, lilia urticis, rosas spinis, granum paleis, luci tenebras, terræ cœlum præfert. Idcirco hominem adeò cæcum merito Philosophus stultum vocat: *Qui omissis omnibus melioribus deteriora sectatur stultus est.* Talis fuit Esau, qui *unico edulio, permutavit jus primogeniti.* Ob pugnum olerum fratri suo Jacob primogenituram vendidit. Sic Erasmus Roterodamus, & Eucherius Episcopus Lugdunensis. *Iste Esau primogenita sua propter escam fratri suo juniori venundavit, ac postmodum paterna benedictione privatus est.* Et quis nescit populum Israëliticum nauseasse manna dicendo: *Nauseat anima nostra super cibo isto levissimo,* & postea appetiisse allia, & cepe cibos adeò viles, & gustui difformes? re ipsâ verum est hominem semper eligere pejora. Nec desunt scripturæ tam sacræ, quam profanæ, quibus ob brevitatem omissis parabolam hodierni Evangelii præ omnibus eligo.

Arist. Gen. c. 25. Erasm. Rhoter. Eucher. Lugdun. ibi. l. 2. t. 5. p. 1. Bib. vet. PP. fol. 819 col. 1. l. E. Exod. C.

2. *Homo quidam fecit nuptias filio suo & misit servos suos, vocare invitatos, & nolebant venire, & neglexerunt.* Sub prætextu eundi potius ad villam, & negotia. *Alius in villam suam, alius vero ad negotiationem suam.* Apud scriptores sacros certum est sub metaphorâ harum nuptiarum bona cœlestia ad animam pertinentia denotari. Sic Ludolphus Carthusianus. *Præparavit futuram gloriæ, & vitæ æternæ refectionem, & cælestem, seu æternam beatitudinem, quam sanctis animabus ab æterno præparavit Dominus.*

Ludolf. Cart p. 1. c. 81.

Sub figura vero villæ, & negotiorum bona

bona temporalia corpori convenientia significantur. *Quid per villam* ait Gregorius, *nisi terrena substantia designatur?* & Jordanus à Saxoniâ *per laborem villæ intelligitur omnis occupatio corporalis circa terrena, impediens divina. Per negotiationem verò occupatio mentalis circa talia.*

D Greg. c. 14 in Luc. B. Iord. de Saxon. ser. 481.

Homo gustum adeò habet pravum, ut magis appetat bona temporalia ad corpus, quam cœlestia ad animam spectantia. Sic beatus citatus. *Solent homines mundani plus sollicitari de temporalibus, & transitoriis, quàm de spiritualibus, & æternis.* Consonat doctrinæ sancti Gregorii. *Plus diligimus terrena, quam cœlestia, & amplius rebus corporalibus, quam spiritualibus occupamur.* Id videbimus hoc discursu si ut spero mihi silentio, & attentione faveatis.

PARS PRIMA.

3. Res est certissima non solum apud doctos, sed & experientia practicata ab indoctis voluntatem humanam non solum ferri in bonum verum, vel apparens, sed & tendere in illud, quod majorem rationem boni continet. Natura hunc ordinem nostræ voluntati indidit, quem tamen nos directè violamus. Bona cœlestia sine comparatione esse meliora terrenis superfluè probem; nihilominus homo adeò est cæcus in eligendo, ut abhorreat cœlestia, & aviditate rarâ terrena appetat. Res, quæ venerabilem Bedam suspirare fecit. *Heu nos ferventissimi sumus in terrenis, & frigidissimi in cœlestibus, & summam in rebus parvis exhibemus alacritatem, ad majora tepescimus, terrena sine fine quæruntur, cælestes divitias, & immortales honores pigra quadam dissimulatione negligimus.*

Beda apud Ludolf. Cart p. 2. c. 15.

Huc etiam volens alludere sanctus Asterius Episcopus Amasiæ dixit: *Vbi impensa lucrum inæstimabile, & salutemque æternam adfert, compressa manu, pecuniam cohibemus, ut nec pauci quidem oboli excidant, ubi vero de sumptibus agitur, quos & peccata comitantur, & pœna infinita, ac vel ipsum ignis supplicium consequitur, ultro opes effundimus.*

S. Aster. Epis. Amas. homilia de œcon. inquit.

Et si ad probandum paradoxon tam verum, quàm incredibile non judicetis sufficere doctores citatos; en auctoritatem Pontificis, cujus doctrinam Spiritus Sanctus dictavit: *Omnes hujus sæculi dilectores in terrenis rebus fortes sunt, in cælestibus verò debiles; nam pro temporali gloria usque ad mortem desudare appetunt, & pro spe perpetua, nec parvum laborem subeunt: pro terrenis lucris quaslibet injurias tolerant, & pro cælesti mercede, vel tenuissimi verbi contumeliam ferre recusant. Terreno judici toto etiam die assistere fortes sunt, in oratione vero coram Deo, vel unius horæ momento laxantur.*

D Greg. in mor. dist. 46.

4. David de promissione à Deo Israëlitis factá, nempe quod eos introducturus sit in terram promissam, locum fœlicissimum, & maxime delitiosum, sub metaphorâ lactis, & mellis, eum exhibet: *Descendi ut liberem eum de manibus Ægyptiorum, & educam de terra illa in terram bonam, & spatiosam, in terram quæ fluit lacte & melle*, terra fuit omnibus abundantissima, & amœnissima habens quidquid desiderari potest. Et nihilominus dicit Psalmista, *Pro nihilo habuerunt terram desiderabilem.* Et esto in Ægypto degerent sub dura servitute, & non nisi siti, & fame torquerentur, tamen magis affici Ægypto videbantur. Ab his forsan homines didicerunt, ut potius eligant hanc terrenam Babiloniam, quam cœlestem Jerusalem locum revera promissionis, ubi Deus exspectat, ut nos immarcessibilibus bonis æternæ beatitudinis glorificet, & tamen optimè dici potest, *Pro nihilo habuerunt terram desiderabilem*, & ut declarat incognitus *David intendit reprahendere eos, qui pro nihilo reputant terram viventium, per istam terram promissionis figuratam.*

Exod. 3. Psal. 105. Incognitus in ps. 105.

O malam politiam mundanorum, qui lutum gemmas, & gemmas lutum æstimant. Huic cum sit terrestrè, toto affectu adhærent, has, quia sunt bona cœlestia, nec oculo dignantur.

5. Gratiosa metaphora id confirmavit Vates regius. *Super flumina Babylonis illic sedimus, & flevimus dum recordaremur tui Sion.* Per has aquas fluminis Babylonici intelligi bona temporalia affirmat Cardinalis Bellarminus: *Flumina Babylonis sunt bona temporalia hujus mundi, quibus qui affixi sunt per desiderium, cum ipsis aquis voluuntur in præceps, donec ad abyssum magni maris æternum puniendi præcipitentur.* Et sanctus Pater Augustinus; *Flumina Babylonis sunt omnia, quæ hic amantur, & transeunt.*

Psal. 136. Bellar. in psal. 136. D.P. Aug. ib. f. 518. col. 3. l. E.

Et

Psal 121. Remig. Antisio ib. in Bibl vet PP. t 9. p. 2.

Et alibi loquens de affectu nostro erga bona cœlestia dicebat: *Stantes erant pedes nostri in atriis tuis Hierusalem*, Id est interpretatur Remigius Antisiodorensis *in amplitudine gloria cœlestis, ubi nullus possessionis alterius angustabitur, sed omnes spaciesè, & copiosè regnum possidebunt.*

Hic unum dubium moveo, cur David ait hominem bonis terrenis insidere: *Illic sedimus*, & supra cœlestia stare *stantes erant pedes nostri*? demonstrare voluit, flocci nos ducere cœlestia, ac per transennam illa tantum aspicere, terrena vero nos magni æstimare, & fixè intueri. Huc videtur allusisse incognitus dicens. *Habet Babylon suos sectatores consulentes paci temporali, & nihil ultra spectantes.*

Incog. in psal 136.

D. Luc. c. 15. Vgo Charens.

6. Christus mundanos filiis cœli comparans dicebat. *Filii hujus sæculi prudentiores sunt filiis lucis.* Non est verbum, quod mysterio, & difficultate careat. Hugo à sancto Charo, & Dionysius Carthusianus per filios hujus sæculi mundanos, per filios vero lucis justos intelligunt. *Id est dilectores mundi: qui mundum istum pro patria amant, in terrenis hæreditatem exoptant, sæculo se conformant, temporalibusque potius, quam divinis intenti sunt.*

Dionys Cart in c. 16 D. Luc art. 39 f. 128. Idem ibidem.

Sed quomodo possit esse ut mundani servis Dei sint prudentiores? ab Aristotele probari scio prudentiam reperiri tantum in bonis, & non in malis, ergo major prudentia in justis dari deberet, quam in injustis, Idem Carthusianus hæc verba explanat. *Prudentiores; hoc est astutiores, & diligentiores in acquirendis temporalibus.* Salvator ergo mundanos esse sollicitiores in corrogandis terrenis quam justos in cœlestibus bonis dicere voluit. Sed quid non agunt justi, ut acquirant gloriam? Eremos incolunt, fonte, & cerere vescuntur, vitam ducunt austeram, cilicia portant, ad sanguinem usque se cædunt, nunc sitim, nunc famem, nunc calorem, nunc frigus libenter tolerant, noctes vigiliis, & precibus fallunt, & si opus sit vitam, & sanguinem profundere sunt parati. Et adhuc possibile sit mundanos esse magis industrios, & laboriosiores, ut hæc terrena acquirant? quin imo: audite Ludolphum à Saxonia, aut Eusebium Emissenum. *Prudentiores sunt illi in malo, quam isti in bono. Vix enim inveniuntur aliqui sancti, qui tantam prudentiam, & curam habeant in acquirendis bonis æternis, & permanentibus, quantam aviditatem, & calliditatem isti habent in acquirendis bonis temporalibus, & fugitivis, pro his enim die noctuque vigilant, angustiantur: laborant, & per fraudes, rapinas, furta, preditiones perjuria, homicidia, & his similia, has tales divitias coacervare non cessant.* Sane hoc non facerent nisi terrena cœlestibus præponerent.

Dion. ibid.

Ludolf de Sax. p 2 c. 15. Euseb. Emiss. ibi & apud Alcuinum in Dom. 10. post Pent. f. 130. co. 3.

7. Cainum primum auctorem hujus pessimæ politiæ, hocque semen infernale ab eo in cordibus nostris fuisse satum credo. Audite. Impius ille fratricida dum à Deo interrogatus num aliquid sciret de fratre, respondit: *Nunquid custos fratris mei sum ego?* crimen Deo occultare putavit. Hinc sententiam maledictionis promeruit. *Maledictus eris super terram.* Et eum omnibus fructibus, & bonis, quæ terra producit privavit. *Cum operatus fueris eam non dabit tibi fructus suos.* Quod diras in se fulminatas patienter tulerit credo, sed dum fructibus ab agris sibi producendis est orbatus, subito bile est inflammatus & cum Deo altercans totus succensus velut aspis venenosa recalcitrans temerè ei replicavit. *Si ejicis me à facie terræ, & à facie tua abscondar* Quia frugibus terræ me privasti in vindictam coram te haud comparebo, deinceps oculos meos nec unico tui intuitu donabo, si tibi occurrero tergum vertam ne te videam, sic pares erimus. *A facie tua abscondar.* Videbo N. An hunc nebulonem, qui tam temerè & sine respectu cum Deo contendit, placare possim. O Cain cur ita vociferaris? ne sis ita impatiens, comprime motus, animumque compone. An forsan tibi supplicium nimis grave videtur? an forsan divinam justitiam nimis rigidam conquereris? quin potius gravitas criminis te incitare deberet, ut hanc pœnam patienter acceptares, sperarésque in Deum, qui dum bonis mundanis, & frugibus te privavit, cœlum, & gloriam paradysi tibi sit daturus. Hic subintrat Philo Hebræus, & impium Cain audaciter respondisse dicit. Si me privas bonis terræ, ago tibi gratias pro cœlestibus, non hæc, sed illa volo, illa æstimo: *Quasi dicat si non præbes mihi bona terræ, nec cœlestia quidem accipio, si non datur frui voluptatibus, nec*

Gen. c. 4.

Philo Hebr. l. quod de ter prost. insid.

virtutem quidem desidero, si non impertiaris humana bona, divina quoque tibi habeto.

D Matt. c. 5. 8. Duo genera bonorum proponit Deus. Primi generis sunt cælestia: *Beati pauperes spiritu quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Hæc bona sunt maxima, sunt regnum paradysi, & quid plus dici potest? *Regnum cælorum.* Facillimo negotio, sine ullo labore obtineri poterit, idque per unicum actum voluntatis. Tantum sis pauper mente, & ditissimus eris. Sed quando tibi hæc bona cælestia donabit? an post plurimos elapsos annos? an tempus in tempus differet, ut illa tibi largiatur? non; sed statim, imò hoc momento. *Quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Aliud genus bonorum, nempe terrenorum parum utile est, *Beati mites quoniam ipsi possidebunt terram.* Quid vilius terrâ? & ad illam consequendam, quid factu est opus? oportet esse mitem, & mansuetum. Si quis in te jaciat convitia refer illi grates. Si quis tibi impingat alapam, ejus manui bene precare, ac alteram ei genam porrige. An tibi est animus actiones has naturæ repugnantes faciendi? *Beati mites.* Et dato quod sit unus, qui animum habeat has difficultates mansuetudine superandi, quando tandem obtinebit hæc bona, quæ nomine tenus tantum bona sunt. Id nescitur. *Possidebunt,* de futura Deus id scit, forsan post mille annos vel in fine mundi. Et nihilominus homo habet gustum ita male affectum ut viliora appetat, & deteriora amplectatur, potius eligit magnos labores ob acquisitionem nihili quantumvis terreni. Potius vult aliquod frustum, quam sine difficultate statim in possessionem regni cælestis intromitti. Audivisti stultitiam majorem? & tamen id est verum. Nec putas me id somniare, nam quidam interpres modernus, sed fide dignus id tibi dicet. *Mavult homo mundialium rerum de futuro, quam regni cælestis possessionem de præsenti.* Hi agunt velut canis Æsopi, qui carne relictâ in umbram involavit. Veritatem rei relinquunt, & apparentia amplectuntur. *O magna dementia hominum exclamabat,* Ambrosius Episcopus Lamocensis *Quid enim stultius, quid vecordius cogitari potest, quam umbris inhiantem res veras amittere?* ô magnam stultitiam ad nuptias invitatorum, dum nuptiis negotia præposuerunt. *Neglexerunt, & noluerunt venire. Et abierunt alius in villam suam, alius ad negotiationes suas.*

Chrys hom 15 Theoph & Eut.

Didacus Montela-din. con. in Judith. c. 15. §. o. n. 40. Ambr Lamoc. ser 61. in Dom. Pal. f. 366. col. 3. lib. 1.

9. Vehementer caussam, unde hæc mala affectio, & disordo justus humani proveniat scire exopto. An reperiri possint meliora bona, quam cœlestia? Divus Gregorius id dicat. *Quæ autem lingua dicere, vel quis intellectus capere sufficit illa supernæ civitatis quanta sint gaudia? Angelorum choris interesse cum beatissimis spiritibus gloriæ conditoris assistere præsentem Dei vultum cernere, incircumscriptum lumen videre, nullo mortis metu affici, incorruptionis perpetuæ munere lætari?* econtra an dentur bona magis vilia, & minus substantiosa, quam terrena? hinc Divus Bernardus in os iis loquens, qui talia bona appetunt ajebat. *Filii Adam, genus avarum, & ambitiosum, quid vobis cum terrenis divitiis, & gloria mundi, quæ nec veræ, nec vestræ sunt? aurum, & argentum nonne est terra rubra, & alba, quam solus hominum error fecit, aut magis reputat pretiosum?* Nunc videte an errem, dum dico: nuptias Evangelicas, & cælestes pertinere ad animam, villam verò, & negotia spectare ad corpus, hæc eligi, illa contemni, quia magis æstimantur bona corporis, quam animæ. Hæc non est mea opinio, sed veritas certissima scripturis probata. D. Greg. hom 37. in Evang. D Bern.

10. Hic defectus Hebræis inseparabiliter velut proprium quarto modo adhæsit. Cunctipotens manus hunc populum, à durâ servitute Ægypti liberavit, & pedibus siccis per mare rubrum duxit, exercitum Pharaonis submersit, aquas solandæ eorum siti è lapide eduxit, Regem Chananæum Adrat ei subjecit, & tamen contra Deum, & Moysen murmuravit. *Locutus contra Deum, & Moysen, ait. Cur eduxisti nos de Ægypto, ut moreremur in solitudine? deest panis, non sunt aquæ, anima nostra nauseat super cibo isto levissimo.* Res, quæ Deo valde displicuit, & sacer textus ait Deum ut eos puniret certos serpentes immisisse, qui è terra prosilientes vultum, & vitam eorum petebant, eosque morsu inficientes occidebant. *Misit Dominus in populum ignitos serpentes,* sed ille Deus, qui est magis misericors quam justus intuitu Moysis hoc remedium liberando populo suggessit. *Fac serpentem aneum, & pone eum pro signo, qui percussus* Num. c. 21

cussus aspexerit eum vivet. Moyses crucem formavit, eam in terram, & plantavit, & serpentem æneum in eâ suspendit. *Quem cum percussi aspicerent sanabantur.* En figuram; veniamus ad figuratum.

Hebræos serpens venenosus peccati infidelitatis momordit, & virus obstinationis supra eorum viscera sparsit. Deus iis remedium providit, non serpentem venenosum, sed Christum gratiosum in monte Calvariæ in ligno crucis suspensum, ut eum oculis fidei conspiciant, & filium esse Dei credant. Sed illi eum intueri, eique credere nolunt. Nec aliam caussam assignare possunt, nisi quia serpens æneus pro salute corporis, Christus vero pro animæ bono ordinatus fuit. Illum reverentur, Christo vero obluctantur, quia bonum corporis bono animæ præferunt. *O impietatem Iudæorum,* Exclamabat sanctus Ephraim Syrus. *Quoniam serpentem adorant, & Christum aversantur; ô tumulentiam ipsorum! quoniam propter serpentem crucem colunt, & crucifixum Christum non adorant.* Et Cardinalis Marcus Viguerius subjunxit. *Homines qui à Dæmonibus in hac solitudine, & silva condensa humanorum affectuum per varias suggestiones peccatorum venenati sunt, Christi crucifixione, morteque absolvuuntur à culpa, liberantur à pœna, præservantur in gratia si modo illum intueantur per fidem rectam.* Sed Hebræus velut infidelis non vult eum aspicere, & Christianus, tanquam ingratus non vult eum agnoscere. Hinc se non potuit continere Moyses quin eos gentem absque judicio, & prudentia vocaret: *Gens absque consilio est, & sine prudentia, utinam saperent, & intelligerent, ac novissima providerent.* Juxta opinionem Titelmanni dicere voluit: *Gens stulta est populus iste meus, absque consilio, & absque prudentia, non secundum rectè rationis judicium vitam instituens, neque eum prudentia debita quid agat considerans, populus absque sano judicio est, non attendunt quid æquum, ac rectum, quid decens, atque conveniens; denique quid tibi utile, atque expediens, sed inconsultè, & imprudenter nimis ea eligunt, & agunt quæ sibi summè inutilia sunt, & maximè nociva.*

D. Greg. hom 37. in Evang.

D Bern.

D. Ephr.

Card. Marcus Vig. de imp tit crucis Christi. l. 1 fol. 197.

Num. c. 21

Franc. Titelm. in Cant. Moys. v. 42.

11. Dum Salvator ad civitatem Nazareth pervenisset occasionem patrandi miraculum invenit. Quidam Paralysi graviter afflictus miserè in lecto, quem illi paupertas reliquerat, jacebat. Ductus fuit ad medicum cælestem; ut ab illo curaretur. Videt illum Salvator, gressus figit, oculis eum intuetur, & elevans manum miraculosam illi dixit, confideret suæ virtuti quantocius peccata sibi condonanda. *Confide fili remittuntur tibi peccata tua.* Mira res, quod nemo ob tantum beneficium ei gratias agat. Imo factis eum malè habeant, & verbis tanquam blasphemum perstringant. *Hic blasphemat.* Deinde manibus eum complectitur, illum erigit, pedes consolidat, membra, & nervos stabilit, ac à Paralysi sanato jubet ut lectum sumat, ac domum pergat. *Surge tolle lectum tuum, & vade in domum tuam.* Astantes ad hoc secundum miraculum Deum laudaverunt, & Christo debitas grates ob hoc beneficium reddiderunt: *Glorificaverunt Deum, qui dedit potestatem talem hominibus.* Hic cur illi gratias agat solum ob secundam gratiam, & non ob primam, maximè cum dicat Dionysius Carthusianus, *Majus est animam à languore peccati curare, quàm corporalem infirmitatem sanare.* Respondet Joannes Episcopus apud Divum Thomam in Catena aurea: flocci pendunt remissionem culparum in bonum animæ redundantem Et ideo se non exhibent gratos; at sanationem à paralysi magni faciunt, quia corpori proficua est. *Glorificaverunt Deum*, & debitas gratias reddiderunt *Audit veniam, & tacet paralyticus, nec ullam rependit gratiam, quia plus corporis quam animæ tendebat ad curam.*

D. Matt. cap. 9.

Dionys. Carth. ibi. art. 18.

Io Episc. ap D. Th. in Cat. ibi. f. 36. col. 1. lib. C.

12. Qui vult actiones virtuosas, vadat ad Apostolos, sed qui desiderat defectus ne discedat à Juda, quia si illi fuerunt speculum bonitatis, hic fuit sentina vitiorum; audiamus eum circa materiam nostri discursus; Salvatore à Simone leproso invitato, in ejusque domo prandente illico Magdalena vas alabastrinum unguẽtis pretiosis plenum ungendis ejus capillis, portans se ingessit *Et fracto alabastro effudit super caput ejus.* Observavit hanc actionem Judas, & ad Apostolos conversus dixit. *Poterat unguentum istud venundari plus quam trecentis denariis.* Tanti æstimavit hoc unguentum. Sed N. quid egerit hic Apostolus, dum factis Magdalenæ intendit notemus. Ex cæna discedit, synagogam

D. Marcus cap. 14.

gam adit, magistrum venditurus, scribas interrogat. *Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam? at illi constituerunt illi triginta argenteos.* Traditor hanc summam acceptat, & sanguinem Christi triginta, unguẽtum vero plus quam trecentis æstimat. Ah unguentum diffundebatur ob bonum corporis, ideo illud tanti fecit. *Effudit super caput, unguento unguebat pedes ejus.* Sanguis Christi pro animabus spargendus erat, nil ergo miri quod flocci pendatur. *Triginta argenteos.* Id docet S. Paulinus Episcopus Nolanus, *suo ipsius damnandus judicio, quo triginta aureis vendidit eum, quem mulier, ut ipse taxaverat, unxit trecentis. Sed in hoc perversus, quod ipsum vili æstimans Dominum, unguentum illud caro æstimavit.* O bona spiritualia, ô nuptiæ cælestes quàm in vili estis apud homines mundanos! ô bona terrena! & commoda temporalia in quantâ estis reputatione, non ob rationem boni quod includitis, sed quia gustus hominum sunt depravati. *Et neglexerunt, & abierunt, alius in villam suam, alius ad negotiationes suas.*

Dan.c.2. 13. Duo somnia mysteriosa scripturæ sacræ prisci testamenti referunt. Unum Nabuchodonosoris, quod recensuit Daniel, aliud Pharaonis à Moyse conscriptum. Verum in multis hæc duo somnia differũt, ast ego unicam differenriam, quæ ad propositum meum quadrat adducam. Nabuchodonosor statim somnii oblitus est. Gen.c. 41. *Somnium ejus fugit ab eo* Verum Pharao suum adeo tenaciter menti impressit, ut illud explanari cupiens fideliter Josepho retulerit. *Narravit Pharao, quod viderat.* Rupertus Abbas somnium de illa statua grandi, cujus caput erat aureum, pectus, & manus argenteæ repræsentasse regnum cælorum asserit. *Præsagium fuit æterni regni Dei.* Idcirco Nabuchodonosor illud oblivioni tradidit. Rerum cælestium nec memoriam habere volumus. Sed Pharao somnians de bestiis, frugibus, rebus terrenis somnium indelibiliter menti impressit, & veluti res sibi gratissimas scrinio memoriæ inclusit. *Nonne Nabuchodonosoris somnium erat de regno Dei, quod omnia alia regna contriturum erat. Pharaonis verò de temporali regni sui prosperitate? quid mirum igitur si Nabuchodonosor omnino sui somnii immemor, Pharao autem suum tenaciter tenet, & expergefactus narrat? In mente enim peccatorum, terrenæ opemitatis copia, altâ mente manet reposita, cælestium autem memoria facile elabitur.* Joseph in valetudine gravi parentis intellectâ eum visitare ante mortem resolvit. Duos igitur secum filios Ephraim, & Manassen duxit. Pertingit ad domum patris, cubiculum intrat ut bonũ senem soletur, & adducens coram eo duos filios iis mandavit ut lectum adirent, & genuflexi eum revererentur. Sed ordinẽ, & modum observemus. *Posuit Ephraim ad sinistram Israel, Manassen verò ad dexteram.* Ex significato horum nominum, & ordine genuflectendi horum adolescentum insignissimum mysterium colligimus Cardinalis Vitalis id illustrat dicens, quod Ephraim sit idem, ac affectus, & Manasses idem quod oblivio. Et Divus Gregorius id confirmat dicens *Quid namque per sinistram nisi vita præsens, quid vero per dexteram nisi perpetua vita designatur?* nunc videte, quid Spiritus Sanctus dicere voluerit. Ephraim ad sinistram, hoc est affectus humanus totus est immersus rebus terrenis. Manasse ad dexteram, hoc est homo cœlestium, & spiritualium obliviscitur. *Sinistra significat temporalia, dextera æterna Duo filii Ioseph, duo affectus animæ: vult ergo affectus humanus quod Manasses, oblivio ponatur ad dexteram, id est ad æternam. Ephraim id est affectio ponatur ad sinistram, id est temporalia.*

Ioan. de la Haye in c. 41. to. 3 fol 2113. col. 2. n. 63.

Gen.c. 38.

Cardin. Vital.

D. Greg. hom. 21. in Evang.

Cardin. Vit apud Io. Haye in Gen. to 3. c. 48. v. 14 num. 31.

15. Qui mundano vellet acquisitionem spiritualium persuadere idem quod Demostheni contigit eveniret. Hic Philosophus in senatu de seriis ad bonum reipublicæ spectantibus perorabat, sed surdis canebat Quid fecit? fabulam de illo, qui asinum emit adduxit. Emptor, & venditor in æstate simul iter agebant, & uterque, ut flammam solis retunderent dominium umbræ prætendebat. Venditor se solum asinum, & non umbram vendi disse dicebat. Emptor etiam umbram esse emptam allegabat. Per aliquod tempus litigarunt, neutro volente cedere. Tandem convenerunt ut litem ad arbitrum deferrent. Demosthenes hic discursum abrupit, & seria tractare resumpsit. Plures è senatoribus surrexerunt, cumque rogarunt ut discursum de umbrâ ad finem

Plut. Demost. & Paulus Zehentner in promũt. mala spi. l. 4. 8.8. f. 660, n.11.

producceret se libentissime audire velle decisionem. Tunc Demosthenes subjunxit *De umbra asini audire cupitis, de Græciæ salute non vultis.*

16. Quot discursus de bonis temporalibus, quæ non sunt aliud nisi umbra attentissimè, & avidissimè audiunt. An fruges in agris stent bene, an messis sit futura copiosa, an pretium frugum sit augendum, quomodo absque periculo amissionis, & damni ex pecuniis possit lucrum haberi, quam sit nocivum ipsas sepelire in cistis. An sit melius illas exponere ad censum, vel in montibus, aut alio modo ex illâ lucrari. Hi discursus attentionem obtinent, & grati auditoribus sunt. Sed si fiat discursus spiritualis pro bono animæ, quomodo possit accrescere meritum, quodnam opus sit gratius Deo, nobis esse vivendum Christianè, rationem esse Deo reddendam, paradysum à nobis obtinendum si operemur bene, perdendum si malè, quàm sit deformis anima sine gratia, quam in misero statu sit peccator, si tractetur materia seria in quo consistat salus animæ parum hæc curas, fingis te non audire, distraheris auditores vultum amovent, terga vertunt, & tacitè dicunt. *Audiemus te de hoc iterum* O miseriam maximam. *De umbra asini audire cupitis, de animæ salute non vultis.*

17. Ob lucrum temporale nulla est difficultas quæ non superetur, sed pro acquirendis bonis spiritualibus quælibet actio facillima putatur impossibilis. Quâ tâ energiâ hunc pessimum morem Chrysostomus perstringit? *Quando proponitur lucrum temporale, omnia alacriter sustinere volumus, etiamsi quid laboriosum sit, & valde ærumnosum, & sordidum, & pœnam in præsenti, & futuro prabens: propter autem nostram salutem remissi, & supini, & dissoluti videmur.* Confundi, & rubore tingi deberet vultus Christiani, dum considerat gentiles bona terrena contempsisse, & spiritualia magni æstimasse. Phocion ingentem summam auri ab Alexandro per Menillum sibi oblatam recusavit. Crates Philosophus Thebanus studium Philosophiæ divitiis præposuit, & octo talenta noluit. Idem fecit Philosofenus Melopæus teste Plutarcho. *Vitam ad domum opulentissimam in Colonia sicula hæreditate nactus, quum delicias, voluptates, ac indigenam considerasset inelegantiam. Per Deos (inquit) bona hæc haud me perdent, sed ego illa, aliusque hæreditate relicta, enavigavit.*

D. Ioann. Chrysost. hom. 55.

Plut l. 1. Apoph fol. 320 num 321. l. B.

Idem t. 3. de vitand. usura fol. 117. l B.

idem ibid.

Plotinus depingi noluit, indecorum æstimans imaginem corporis perpetuari. De ornatu verò animæ nil cogitari. Forsan legerat doctrinam Senecæ. *Cogita in te præter animam nihil esse miserabile.* Et tamen homines nihil vilius æstimant quam animam, & bona spiritualia ad ipsam pertinentia.

Aug. Mas. p. 1. desc. 1.

Seneca.

18. Vide illius nobilis palatium, quàm concinnè est intus, & extra politum. Statuæ sunt marmoreæ artificiosissimè factæ. Picturæ excellentissimæ ligneis cælaturis insitæ. Conclavia aulæis sericis, & acupictis ornata, tot sunt ibi specula, tot figuræ, tot arcæ, inaurata laquearea, solum stratum tapetibus. Et quomodo constituta est anima? omni ornatu spirituali privata est in pejori statu, quam murus non calcinatus. Intra hortum, & videbis in illo tapetes cedrinas, loca, buxorum, vel aliarum arborum, ramis obducta, innumera vasa cum plantis pomorum aureorum, ibi cernes specum quandam maximo artificio ex lapidibus marinis, & conchyliis fabrefactam. Pavimentum est encausto pictum, oder ingelegt. Plantæ incurvantur fructibus. In medio conspicies fontem ex candido alabastro, satyris lapideis ornatos, tot cernis ibi aquarum ductus, per tubos, & canales, ut omnes spectatores delectentur; sed dicite quæso, quid agitur cum anima illius nobilis? in quo statu est? ô Deus! est desertum sterile, vinea desolata, Dæmon illius auram gerit, non sunt ibi nisi urticæ vitiorum, spinæ criminum, plantæ peccatorum, nullus ibi cernitur flos prodire virtutum, nullus fructus bonorum operum, nulla est ibi aqua divinæ gratiæ.

19. Nobilis ille habet equum vulgo

Hondpferd/ duobus eum committit Equisonibus omni sollicitudine possibili curandum. Omni die mane, & vesperi eum strigili purgant, majori ei serviunt curâ, quam servirent uni Christiano, cincinni crispantur, & capilli illigantur ligulis sericis. Frontem ornant ridimiculâ in modum rosæ factâ, cujus limbis, & laciniis aurum, & argentum intertexta sunt; frenum, & sella prætiosissimè bombyce, & holoserico sunt picta, ita ut ingeniosa manus acupingens stupores artis, & patientiæ illis impresserit, sed anima, quam gubernat, quomodo se habet. O si Deus tibi illam videndam abjiceret, quam videres eam miseram, & deformem. Estne possibile quod magis æstimemus parietes domus, terram horti, pellem bestiæ quam propriam animam. Audi Archie-Episcopum Valentinum: *Ecce curam habes de domo, de hæreditate, de negotio, de familia, de equo in stabulo, & teipsum solum negligis? teipsum tam vilem æstimas, & sic parvipendis, ut non digneris de te curam habere! O anima misera, quid extra te vagaris effusa, & divisa per mundum, à te alienata. Recollige te, redi ad te, habita tecum, non sis sicut oculus, qui cùm omnia videat, seipsum non videt.*

B Thom. à Villa Nova in conc. Rom 3. Advent.

Alexander Cardinalis Oliva opes vilipendens terrenas, sæpius replicabat: *Alexander quid post hæc?* continuò bona cælestia ruminabat. O Christiane, ad teipsum revertere, & si hucusque fuisti ex illis, qui *neglexerunt & abierunt alius in villam suam, alius ad negotiationes suas.* Nunc tempus est referendi gressus, & acceptandi invitationem, quam ego indignus servus Regis cælestis te invito: *Venite ad nuptias, quia parata sunt omnia.* Nuptias bonorum cælestium, quæ sunt veræ delitia animæ condemnatis. Quiescamus.

Alexan-der. Cardin. Oliva.

ALTERA PARS.

20. IN pluribus locis sacræ Scripturæ Deum suis operibus docuisse, ut cælestia terrenis, spiritualia temporalibus præferamus invenio. An unquam observastis ordinem, quo Chronista Moyses insignem fabricam universi describit? *In principio creavit DEUS cælum & terram.* Ego hunc ordinem creationis contrario modo factũ credo. In aliqua fabrica prius partes inferiores, dein altiores struuntur. Prius fundamenta, dein muros, prius pavimentum, dein fornices. Moyses ergo dicere debuit. *In principio creavit DEUS terram, & cælum,* quia terra est pars inferior, cælum pars superior hujus pulchræ molis. Est tectum, vel fornix hujus Palatii. Dicere aliquis posset Moysen observasse ordinem doctrinæ, quæ à dignioribus incipit.

Os aureum doctè respondet, cælum pro anima, terram pro corpore creatam; docere ergo voluit commoda animæ commodis corporis præferenda. *Deus præter humanum morem suum perficiens ædificium, prius cælum extendit, postea terram substernit, prius culmen, & postea fundamentum; quis tale quid vidit? in hominum sane operibus, nil tale unquam fuit.*

D. Ioan. Chrysost. hom. 2. in Genes.

Sic etiam Theophylactus Antiochenus: *Propheta testatur creationem cæli factam esse, primò, ut non hominum more fit, sed in modum fastigii; dicit enim: in principio creavit DEUS cælum, & terram, dicens, intendit fundamentum, & quasi fundamentum*

Theophyl. Antioch. lib 2 ad Aniolyc.

21. Postquam Deus diluvio universali orbem purgasset, & Noë cum familia ex arca exivisset duos actus clementiæ ei exhibuit. Primò ipsi benè est precatus, secundò propagationem ei præcepit: *Benedixit Deus Noë, & filiis ejus, & dixit ad eos, crescite & multiplicamini super terram.* Si primario intendebat Deus restaurationem orbis per multiplicationem hominum, prius hanc multiplicationem mandare, dein ei benedicere debuit. Quidam modernus hunc locum sic explicat: *Per benedictionem dona spiritualia intelliguntur, per subsequentia verba dona temporalia.* Prius ergo benedixit, dein propagationem imposuit, ut præferenda spiritualia temporalibus doceret. Sic Lyranus: *Primò beneficium describitur ipsius Dei in spiritualibus, cùm dicitur: Benedixit DEUS Noe, & filiis ejus, gratiam suam in eis argumentando, secundò tanguntur Dei beneficia quantum ad temporalia.*

Gen. c. 9.

Ioan Hayt ibid n. 8. lit. D.

Nicol. de Lyra ad litt.

Salvator hunc modum orandi, & gratias rogandi præscripsit. *Sic orabitis: Pater noster, qui es in cælis, sanctificetur nomen tuum, adveniat regnum tuum, fiat voluntas tua, sicut in cælo, & in terra.* Et statim subdidit: *Panem nostrum*

Matth. cap. 9.

nostrum quotidianum, &c. Ante panem, sustentando corpori, prius necessaria peti ad conservandam animam in via spirituali, & gratia est observandum. Sic Jordanus à Saxonia: *Postquam petivimus illa, quæ respiciunt vitam præsentem seu necessitatem vitæ præsentis* Et Cardinalis Ægidius Columna: *In qua unica petitione, postquam in tribus præcedentibus quæsivit omnia spiritualia, petit orans panem omnium necessariorum temporalium: in pane enim quotidiano intelligitur omne necessarium ad quotidianum victum, sive cibus, sive potus, sive vestitus, sive domus, sive sumptus, sive corporis valetudo.*

B. Iordan. de Saxon. in Exposit. Orat. Domin 194. lit. A.

Ægid Columm. in exposit. Orat. Domin.

22. Filius Dei, ut Hebræos ad fidem pulsâ eorum cæcitate converteret, dum prædicaret, & in fervore discursus esset. Turba copiosa intrat, & interrumpens attentionem populi, voce Christum compellat, dicens: *Ecce mater tua, & fratres tui foris stant.* Sed Christus bile inflammatus ad eos se vertens sic respondit. *Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei?* hæc verba sic explanat Dionysius Carthusianus. *Hoc dicit non aspernando, vel negando matrem carnalem, atque cognatos, quasi phantasticum corpus habens, ut Marcon, & Manichæus mentiti sunt, sed ad ostendendum quod non solum habeat matrem, & fratres carnales, sed etiam spirituales.*

Matth. cap. 12.

Dionys. Cart. ibid. fol. 49. col 2. lit D.

Sed sanctus Antoninus Archi-Episcopus Florentinus asserit sapientiam incarnatam voluisse docere nos debere præponere spiritum carni, bona animæ (veluti est prædicatio) affectui sanguinis erga matrem & fratres. *In hac parte Evangelii docet Christus spiritualia præponere carnalibus, & cælestia temporalibus, & terrenis fore præponenda.*

23. Sed quantum displiceat Deo homo si faciat contrarium, & affectibus inhæreat terræ ex sacra Genesi deducere possumus. Postquam terra Deo obediens produxisset plantas, herbas, & flores, non lego quod ei benedixerit, ut videre est in operibus tertiæ diei, sed subitò ut aër generavit aves dicit sacer textus: *Benedixitque eis, dicens: Crescite & multiplicamini.* Cur hæc disparitas, imò dixerim partialitas? respondet sanctus Pater Augustinus. Plantas semper habere fixas radices in terra, sine qua non possunt vivere, sed aves semper volant per aërem, hinc vocantur à Davide *volucres cæli.* En sanctum Augustinum. *Quia per fibras, & radices lateribus terræ inhærent.*

Psalm. 8. D P. Aug. ad lit. lib. de Gen.

24. Hinc justi cognoscentes divinam voluntatem tanti æstimant bona animi, & cæli, quantum contemnunt bona terræ. Audite Davidem: *Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi ne commovear.* Deum habeo à dextris ideo nil timeo. Dimicans non tantum sollicitus est pro latere dextro, sed & sinistro, quia in quocunque lædatur, mori potest. Juxta ergo interpretationem divi Bernardi, qui per dextram spiritualia, per sinistram bona temporalia intelligit, dicere voluit. Dummodo Deus dextram, hoc est, spiritualia conservet, parum curo temporalia. *Spiritualia quidem bona attribuimus dextræ, sinistræ verò carnalia. Hæc gratia, & misericordia Dei in servos ejus, & respectus in electos illius, ut in eorum sinistram velut dissimulans dextræ semper studiosus protector assistat.* Imò ut acquireret cælum omnem affectum erga terrena deposuit: *Hæc recordatus sum, & effudi in me animam meam, quoniam transibo in locum tabernaculi usque ad domum Dei.* Quæ sic illustrat Bellarminus. *Ut sensus sit: effudi in me animam meam, id est, evacuavi apud me animam meam omni terrenâ delectatione, ut intraturus tabernaculum admirabile, & ipsam domum Dei implerem eam delectationibus Domini mei.*

Psalm. 15.

D. Bern. serm. 7. in Psalm. 90.

Psalm. 41

Cardin. Bellarm. ibid fol. 242. v. 4 col. 2.

Hoc fecit qui terrenis venditis voluit obtinere thesaurum cælestem; *Simile est regnum cælorum thesauro abscondito in agro. Quem qui invenit homo vendit universa quæ habet, & emit agrum illum.* Hoc cognoscens Chrysostomus dixit: *Qui renunciationem bonorum facit, is nullam jacturam, sed quæstuosissimam facit mercaturam.* Ne ergo abhorrete, sed amate nuptias cælestes. Ad hoc nos invitat sanctus Valerianus. *Aptemus itaque animum ad futuram gloriam, quæ reposita est nobis, & præponamus terrenis cælestia, ut possimus illa vita æternæ promissa contingere.*

D. Matth. cap. 13.

D. Ioan. Chrysost. hom. 18 in Matth.

D. Valer. Dom. 15. de bono mart.



DOMI-

DOMINICA VIGESIMA

POST PENTECOSTEN.

Vade, filius tuus vivit. Credidit ipse & domus ejus tota. Joan. 4.

ARGUMENTUM.

Ostenditur quam sit potens exemplum bonum & malum.

1. ORdo, quo Deus Author universi creaturas universi disposuit adeò est rarus, ut stuporem excedat, terminos admirationis transgrediatur, & capacitatem intellectus humani transcendat. Ordinavit ut inferiora moverentur, & regerentur à superioribus. Hinc Philosophus hoc axioma formare didicit: *In unoquoque genere datur unum, quod est primum, causa, & mensura caeterorum.* Et alibi addidit: *Oportet inferiora hæc contigua esse latioribus superioribus, ut inde regantur, & gubernentur.* Velut ad motum rotæ principalis horologii reliquæ omnes moventur, sic cæli moventur ad motum primi mobilis. Angeli inferiores illuminantur à superioribus. Motus creaturarum inferiorum (si excipiatur liberum arbitrium) regulantur, & reguntur à motibus corporum superiorum.

Arist.

Idem.

Eundem ordinem Deus cordibus humanis inserere voluit, dum ordinavit subditos in motibus actionum moveri ad motum exemplarem superiorum. Politia, quam multi observarunt, & specialiter Claudianus sic canens:

Claudianus.

—— Componitur orbis
Regis ad exemplum, nec sic inflectere sensus
Humanos edita valent, quam vita regentum.

2. Exercitus magni Alexandri, in Persiam proficiscens nunquam didicisset tolerare sitim, nisi Alexander primò illâ afflictus fuisset. Et in hyeme animandis militibus nives, & glacies diffregit. Agesilaus Rex Lacedemonum, ut milites urgeret, ad ea, quæ nullam patiebantur moram, primus manum applicuit. Rudolphus Imperator in bello contra Regem Bohemiæ sciphum aquæ à rustico oblatum recusavit, dicens: *Habe tibi vasculum, nam ego exercitui, non mihi sitiebam.* Et hoc modo milites ad patienter ferendam sitim incitavit. Hinc Silius omnes belli duces est hortatus, ut in omnibus bellicis potius exemplo, quam verbis milites animarent.

Quint. Cur. lib. 5.

Hortandi genus acer habet præcedere ductor.

Julius Cæsar nunquam ascendisset ad solium, nisi instar generosæ aquilæ radios solares factorum illustrium Magni Alexandri fixè fuisset intuitus. Lacedemones in conviviis heroicas actiones antecessorum proclamabant, ut juniores ad eorum imitationem excitarentur, juxta legem imperialem: *Mos majorum est observandus.* Ultimo N. monitum Senecæ admittite: *Hæc est subditorum consuetudo, ut principes suos tam in bono, quam in malo imitentur; ideo qui aliis imperant, plurimum cavere debent, ne eos suo depravent exemplo.*

Verbo: subditus speculum actionum superioris consulit. Filius patris indolem observat, & juxta illud proverbium apud

Plutarch. in Laconicis.
Æneas Syl. libro. 3 com. in res gestas Alphon. Regis
Franc. Laban. tom. 3 de Exem. prop. 2.
Silius apud Nic. Reusner. Classe 1. Cymbol. 54. fol. 191
Labat. t. 1 appar. conc. de Exempl. propos. 1.
idem ibid.
dig. de jur. omn. Iudic. l. mo. ma.
Et l. ap. Iulianum. §. Antistia ad Trab.
Senec.

Vlpius Trajan. apud Reuſ. Claſſe 1. ſymbol 14 fol 49

D.Thom. in cap. 4.

D.Ioan. Lect. 7.

Prov. 10.

pud Ulpium Trajanum: *Qualis Rex, talis grex, qualis herus, talis ſervus* Regulus Evangelicus miraculis Chriſti credens tam bono præivit exemplo, ut omnes ad ſui ſequelam attraheret: *Credidit ipſe, & domus eius tota. Scilicet*, inquit Angelicus Doctor, *Servi, & miniſtri. Quia ſecundum conditionem Dominorum, ſive bonam, ſive malam ſervi diſponuntur.* Juxta illud dictum Salomonis: *Secundum judicem populi, ſic & miniſtri ejus.* Quam potens ſit exemplum bonum & malum hoc diſcurſu videbimus. Interim majores præeant exemplo attendendo, ut reliqui cum ſilentio attendant.

PARS PRIMA.

Credidit ipſe, & domus ejus tota.

3. VApores terreſtres attrahi ſe ſinunt à radiis urentibus ſolis. Papiliones, ſeu Pyrauſtæ a ſplendore lucis, ferrum ab amore magnetis, palea à virtute ſuccini; non aliter ſubditus movetur ab exemplo ſuperioris. Solon Athenienſis referente Laërtio ſuperiores corpori, ſubditos umbræ comparavit. Sed qualis hæc ſimilitudo? ad motum corporis ſe accommodat umbra. Si corpus, hoc eſt, ſuperior ſe moveat ad dextram virtutum, vel ſiniſtram vitiorum, eodem modo & ſubditi ſe movebunt: *Vt enim umbra figuras corporum, ita ſubditi homines majorum mores imitantur.* Aggazzonii facies velo tegebant, ut conformarent ſe ſuo Regi, qui deformitatem vultus velario occultabat. *Vt ignominiam vultus ſui celarent, caput illum ſudario lineo contegere, ut pari modo populum inducere communem vultus deformitatem, velamen nigro tollere, & inde illum ritum toti genti remanſiſſe, & eam conſuetudinem illi regioni indelebilem factam eſſe.*

Alexan. Geraldinus in Niner lib 3. fol. 41.

4. Fugitivus Iſraëliticus populus per mare rubrum ibat, & Deo protegente ab aquis non lædebatur. Moyſes ut unicum pedem arenæ intulit ſtatim jubilans cantare cepit, & Deo grates referre, quia mare tranſiverat, & Pharaonis manibus ſubductus erat. *Tunc cecinit Moyſes, & filii Iſrael carmen hoc Domino.* Quod Moyſes cecinerit non miror, quia erat in tuto conſtitutus, ſed populus necdum erat extra metum, hoſtis enim eum inſequebatur, & aquis adhuc mergi poterat. Cur ergo tunc cecinerunt? quare non exſpectarunt donec eſſent extra periculum ſubmerſionis, & tuti ab hoſtibus? reſpondet meus ſanctus Pater Auguſtinus, Deum in illo momento omnium linguas moviſſe, ut ſimul grates debitas ob libertatem receptam referrent. *Admirare dignum miraculum, ut cuncti pariter ſenes cum pueris, & omnes ætates eodem inſpirante flamine, uno quaſi ex ore, nulla præmonitione edocti, eaſdem continenter literas decantarent in unum, ubi non conſuetudine humani ingenii, ſed divino ſpiritu cantorum pectora, & ora inſpirantur. Dominus, qui paulò antè in profundo coram eis apparuerat, ipſe poſtmodum in tali cantico, linguas, & ingenia gubernabat.* Sed hæc doctrina unam difficultatem, quomodo ſcilicet fieri potuerit, ut populus adeò numeroſus canticum non præmeditatum uno ore compoſuerit, & cecinerit ſolvere videtur; ideo dixit: *Dominus linguam, & ingenia gubernabat.* Sed inquiro, cur populus ille adhuc in mari exiſtens, & necdum extra periculum inceperit illud Canticum? forſan credebant, quod *proximè accingendus habetur pro accincto.* Vel an forſitan ita Dei adjutorio innitebantur, ut nil ſiniſtri timerent, ſed omne ſe periculum evaſiſſe credentes læti cantare inciperent? hæc reſponſa probabilia ſunt. Sed audite Philonem, qui rem acu tangit. Mox ut dux generalis Moyſes mari pedem extulit, & extra littus eum arenæ impoſuit, Dei decantare laudes incepit. *Tunc cecinit Moyſes.* Idcirco populus audiens cantantem ducem, unanimiter omnes concinere inceperunt: *Et cecinerunt filii Iſrael carmen hoc Domino: cantemus Domino glorioſè, cantemus. Propheta gaudens una cum gaudente populo, & lætitiam infra ſe non continens exorſus eſt Canticum; id verò audiens populus in duos choros receſſit, & canentem imitatus eſt.* Quamvis adhuc timerent, & tremerent, videntes tamen Moyſen jubilare, & cantare ſe etiam cohibere non potuerunt.

Exod. cap 15.

C. Aug. de mir. ſacræ Script. l. 1. cap. 21.

Philon. lib. 2. de vita Moyſi.

5. Deus impias urbes Pentapoli igne haurire decernit. Angeli monuerunt

Loth quatenus cum tota familia quantocius exeat, & ad montem Segor se conferat, hac tamen lege ne ullus retrospiciat. *Noli respicere post tergum.* Sole necdum exorto discedunt. Loth familiam anteit, & primus Angeli mandatum exequitur oculos non retrojiciens, sed velut exemplar se omnibus exhibebat. Sed his poteris objicere, quomodo ergo mulier transgressâ lege retrospexerit? *Respiciens uxor ejus post se, versa est in statuam salis.* Ergo inferes exemplum bonum Loth parum valuit. Imò ex hoc deduco multum valuisse exemplum. Plures opinantur Loth præcessisse, & ab igne, clamoribusque terrefactum gressus sollicitasse, & ab uxore sejunctum ad montem Segor pervenisse. Uxor ergo eum non amplius videns, statim commisit errorem, & retrospexit. Sic doctissimus noster Joannes de la Hay. *Postquam Loth ingressus est Segor, & ex ipsius oculis evanuit, tunc ipsa relicta sine duce quem imitaretur, retrospexit.*

Gen. c.19.

Ioan. Haye in cap 19. Gen. v.18 fol. 36. nu. 241. Tom. 2.

6. Cum eodem Authore alium hic conceptum formare possumus. Dixerunt Angeli: *Ne respicias post tergum.* Si omnes hæc lex concernebat, quomodo dirigitur ad solum Loth? cur non dixit: *Ne respiciatu post tergum*? ad solum Loth hæc verba tanquam ad caput dicta fuêre; nam sufficiebat si ipse non retrospiceret; sic enim nullus retrospexisset, sicut factum fuisset, si supradictum accidens non contigisset. Hinc Cajetanus in illum textum substituit ex Hebræo. *Non facias respicere post te*; ac si diceret si tu legem observaveris, omnes tuo exemplo moti idem facient. Sic idem Doctor de la Hay: *Deus non precepit ut non faciat respicere post se, sed solum ut non respiciat, cur ergo non facias respicere post te? optima versio; quia alius suo exemplo superior inducit ad benè, vel malè operandum; unde fit, quod non terga vertens, alii nec etiam verterent.*

Idem ibid.

7. Dilecta sponsa cælesti sponso convivere, ejusque sanctá conversatione frui summoperè desiderabat, demum casta desideria amplius cohibere non potens cupidines suas amorosas aperuit: *Trahe me post te curremus in odorem unguentorum tuorum.* Hic scire desidero, num sponsa hæc loquens fuerit sola; si non erat sola debebat dicere, *Trahe nos, & curremus.* Si sola, dicere debuit, *trahe me, & curram.* Hæc locutio in singulari Phrasin singularem denotat, uti observat Cardinalis Ægidius Columna: *Notandum, quod sponsa cum postulat se trahi, nominat se in singulari, dicens, trahe me post te. Cùm dicit hujusmodi tractui se obedire, nominat in plurali, curremus.*

Cant. 1.

Ægid Columna in ca. 1 Cant. Lection. 2.

Origines dicit conchas marinas inter se eligere Reginam, uti apes eligunt Regem, easque ad motum Reginæ moveri. Si Regina hæret immobilis, & ipsæ sic hærent. Si Regina movetur, ipsæ eam venerationis ergo comitantur. Sponsa cælestis velut Regina plures domicellas in suo comitatu habebat. Dicebat sponso, *Trahe me post te, id est*, sic explanat beatus Thomas à Villa Nova, *non ipsa venire possum per me, sed tu trahe sequar te, si trahis me.* Quod ad domicellas attinet, ipsæ ad motum meum movebuntur. O mi cælestis sponse, sufficit ut me juves quatenus ad te venire possim: *Trahe me post te*, statim enim meæ domicellæ me sequentur: *Curremus in odorem unguentorum tuorum.* Dicat id Hugo Cardinalis: *Ne curram ego sola, licet sola trahi petierim, curremus ergo simul, & adolescentulæ mecum, meo exemplo excitatæ.*

Origin.

B. Thom. à Villa nova in c. 1. Cant. fol. 286, col. 1

Hugo Cardin. in cap. 1. Cant.

8. Sex diebus ante Pascha Christus perrexit in Bethaniam, & in domo Lazari maximo cum affectu receptus fuit. Horâ autem imminente prandii à Martha, & Magdalenâ ad mensam vocatus fuit. Porro de Martha sacer Evangelista sic ait: *Martha ministrabat*, de Magdalena verò subdit: *Maria ergo accepit libram unguenti nardi pistici pretiosi, & unxit pedes ejus.* Sed cur addit sanctus Joannes particulam ergo cum absque eadem idem sensus exprimeretur? an ergo dicemus illam superfluam? nequaquam. Apud Grammaticos *ergo* est conjunctio illativa, ex aliquo præmisso aliquid inferre valens. Nunc ponderemus mysterium cum Cardinali Toleto. Videns Magdalena, quod soror ejus Martha ministraret, cibos pararet, discurreret, mensam instrueret, fercula inferret, ipsa ejus exemplo mota etiam Christo servire incepit. Hinc ait: *Maria ergo accepit &c.* Sic

D. Ioan. cap. 12. Ambr. Calep.

Tole-

Card Tolet. ibid.

Toletus. *Cum sororem ministrare Maria videret, indignam si ipsa otiosa maneret, judicavit; obsequium etiam suum sollicitè præstat, ac si diceret Evangelista, cum Martha ministraret, idcircò altera soror Maria, suo etiam obsequio interesse decrevit.*

9. Si dixerim creaturas etiam insensibiles bono moveri exemplo ne N. id paradoxon putetis. Elias sub umbra funestæ Juniperi, inter miserias hujus mundi desperans è medio tolli à Deo petebat: *Petivit animæ suæ ut moriretur, sufficit mihi Domine, tolle animam meam à me.* Credo, quod Deus eum exaudire voluerit, dum cum Discipulo Elisæo circa Jordanum obambulanti, ei rhedam submisit, ut commodius cælum subire posset. Turbo igneus contra naturam è cælo ruit, & in terram præcipitatur, atque coram servo Dei prolabitur, duæ lignæ flammeæ, ante duos generosos antecessores equos se distendunt, & plures favillæ ex parte terræ stridentes, & instar formæ sphæricæ se circumrotantes figuram rotarum formarunt. Aliæ ex parte imâ se dilatantes, & ex parte superiori se deprimentes, tegumentum rhedæ exhibere videbantur. Antecessores eum adierunt, & Eliam rapuerunt: *Cumque incedentes sermocinarentur; ecce currus igneus, & equi ignei diviserunt utrumque.* Video Eliam raptum à favillis ignis, sed meipsum à stupore tolli video. Elias vehitur curru igneo, nec tamen consumitur? est inter flammas, nec tamen læditur? ignis vorax, & insatiabilis, & qui omnia in cineres redigit, ut nulla sit vis, & duriries ei resistere potens, quin durissima metalla, ferrum; & æs consumat, nec tamen vatem offendit? scio vos responsuros Deum miraculosè concursum suum igni subtraxisse, ne vatem adureret. Sed cur recurritur ad potentiam absolutam, cum naturaliter fieri potuerit ne voraretur ab igne? sanctus Pater Ambrosius totum bono exemplo ab Elia igni dato attribuit. Elias jejunavit, & ab eodem ignis abstinere didicit. Propheta sibi temperat à comestibilibus, & ignis abstinet à combustibilibus. Elias non cibatur, & ignis non pascitur. Quis unquam bonum exemplum tantum valuisse putaret? conceptum sancti Ambrosii explanat doctissimus Beza: *Cur flamma præsente pabulo jejunas? unde tibi jejunium impressum est? equidem ex eo, quod facta currus dedit habenas Eliæ, & aurigam jejunatorem vidit.* Et demum concludit. *Scivit ignis manere jejunus.*

3. Reg cap. 19.

4. Reg. cap. 2.

Didac. Ponfer. t. 1 lib. 3 cap. 1. § 9.

10. Sed quid dicemus de exemplo pravo, quod superiores præbent subditis? an non creditis, quod habeat easdem vires? esse hominem dicebat David adeò audacem, ut Deum existere negaret. O magnum scelus, *dixit, insipiens in corde suo non est Deus.* Hinc Bellarminus: *Ad tantam insipientiam devenit humana natura in primo homine corrupta, ut inventus sit aliquis, qui tametsi voce non sit ausus negare Deum esse, tamen in corde suo dixerit. Non est Deus.* Et sanctus Pater Augustinus: *Nec ipsi enim sacrilegi, & detestandi quidam Philosophi, qui perversa, & falsa de Deo sentiunt, ausi sunt dicere, non est Deus. Ideo ergò dixit in corde suo, quia hoc nemo audet dicere, etiam si ausus fuerit cogitare.*

Psalm. 13.

Bellarm. in Psalm. 13 fol. 52. col. 2.

D. P. Aug. ibid fol. 26. col. 1. lit. L.

Sed quia non est mei animi hanc impiam refutare opinionem, cùm certiùs sit Deum existere, quam nos vivere, quam solem lucere, ignem calefacere, ego ad difficultatem ejusdem Psalmi à Genebrardo motam transeo. Postquam David dixerat à quodam singulari negari existentiam Dei, statim subjunxit in plurali: *Corrupti sunt & abominabiles facti sunt in studiis suis, non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.* Quomodo verificari possint singulare: *Dixit insipiens,* cum plurali. *Corrupti sunt, &c.* debebat dicere *corruptus est.* Sed unde oritur hos Atheistas adeò multiplicari, ut nullus credat Deum dari? unius malum exemplum, qui cœpit dicere, *non est Deus,* id potuit, ut omnes alios eodem vitio inficeret; ut dici possit, *corrupti sunt.* Conceptus est doctissimi interpretis historiæ Judith. *Singularis unius hominis malitia, sic brevi imitatione propagatur, ut mox jam non in singulari numero explicari possit, sed plurali opus sit: nam mutuo seipsos malo exemplo depravantes, sese mutuo corrumpunt, & abominabiles faciunt, neque relinquitur unus à malitia immunis. Imo, qui ab imitatione, & à non bono exemplo delinquit, pejus delinquit.*

Did de Cel. com. in Iud c. 2 v. 14. §. 30. n. 151. fol. 405.

11. Postquam invidus Cain neci dedisset suum fratrem Abel enormitatem sceleris patrati agnovit, & dum omnes creaturas à se offensas putare, tremens, ac fru-

Gen. 4. ſtra pœnitens dixit. *Omnis, qui invenerit me occidet me.* Plures ſacri Scriptores, cujus animi fuerit Cain, & quid inferre voluerit interrogant. Non erant in mundo, niſi ejus parentes Adam, & Eva. Hi ſanè eum non occidiſſent, nec adeò erga proprium filium crudeles fuiſſent, quamvis ille ſe fratri ita atrocem exhibuerit, & profectò magna foret imprudentia amiſſo uno oculo eruere alterum. An forſan metuebat feras? minimè; quia non erant conſciæ delicti, nec adhuc didicerant ungulas, & dentes ſanguine humano tingere. Quid ergo timebat? plures reſponſiones afferunt interpretes. Thomas Angelicus: *Lex naturalis ei dicebat, quod per quæ quis peccat, etiam torquetur.* Et noſter Hay: *Interfecit, timet jure-merito etiam interfici.* Idem confirmat Abulenſis cum Gloſſa, quæ legit, *occidat me*, ac ſi ipſemet ſibi mortem optaret: *Cain petit ſibi cito mortem venire, quia videns ſe à Deo derelictum, & in magna miſeria conſtitutum, deſiſideravit cito mori, ut diuturnæ anguſtiæ brevi temporis mora conſumerentur.*

Thom. Angel. ibid. Ioan. Haye. ibid. nu. 427.

Sanctus Joannes Chryſoſtomus: *Quiſquis in me, vel fortuito ceciderit, nudatum tuâ gratiâ interficiet; facilè me invadere poterit, ſi quis interficere volet, neque enim ipſe obluctari potero tam diſſoluta, imbecilliaque membra circumferens, & undique tremeſcens: inſuper hoc quod ſcient omnes tuâ me gratiâ deſtitutum, ſi quis vult occidere, ut ad cædem meam proſiliat, armabit.*

Sed ſanctus Ambroſius mihi mentem penetrare Cain, & difficultatem ſolvere videtur. Dicebat fratricida, verum eſt à nulla creatura ſciri quid ſit occiſio, ſed dum illud à meo exemplo didicerunt: *Omnis, qui invenerit me, occidet me.* Quod illas docui id in me exercebunt. Sic interrogat Præſul Mediolanenſium. *Sed à quo timebat occidi, qui ſolos parentes habebat in terris? potuit timere incurſus beſtiarum, qui hominem docuerat occidi; potuit, & parentes parricidas timere, qui fratricidium docuerat, poſſe committi: potuerunt parentes de filio diſcere, quod didicerunt poſteriores de parente.*

D. Ambr. lib. 2. de Caino, & Abele. c. 9

12. Deus Davidi adulterium condonavit: *Dominus tranſtulit peccatum tuum non morieris*, ſed ſtatim ſubdidit. *Veruntamen filius, qui natus eſt tibi morte morietur.* Si Deus noluit plectere Davidem reum, cur morte punivit innocuam prolem? ergone juſtus ſolvat pro peccatore? cur ergo non parcit proli? reſpondet doctè Theodoretus. David erat Rex, nec decebat filium hunc ei relinqui, nam ſubditi intuliſſent; cur nobis non liceat, quod licuit Regi? ſi ille commiſit adulterium cum Bethſabea, cur ſi idem faciamus nos poterit punire? ait ergo Deus: hic filius poterit aliis malo exemplo eſſe, ideo melius eſt ut occidatur, & ita exemplo ſubditis ſubtracto, non habebunt occaſionem idem faciendi. Hinc Theodoretus: *Ideo Deus occidit filium David, ut pariter extingueretur malum exemplum, quod per adulterium exhibuerat David populo Dei. Moriatur filius adulterinus, ut moriatur cum eo adulterii exemplum malum; ſæpe enim videntes filium illum recordarentur homines criminis David, & adulterii dicerent: quid mirum ſi nos adulteri ſimus; cum Rex noſter hujuſmodi crimen commiſit? tollatur igitur, ait Dominus, hoc malum exemplum, licet pariter, cum eo filius Davidis tollatur.*

2. Reg. cap. 12.

S. Theodoretus apud Labat. Tom. 2. prop. 3. de exem.

13. Et quomodo fieri poſſit, ut principe laſcivo ſubditi ſint caſti? quis credat parente diſſoluto filios eſſe morigeratos? quod caput ſit infirmum & reliqua membra ſana reputo impoſſibile. Apud ſanctum Lucam dicit Redemptor ad Apoſtolos. Video dæmonem ad vos tendere ut omnes cribro, quod humeris geſtat, injiciat, & ſi res ſuccedat epulas ex vobis inſtruere vult. *Ecce ſathan expetivit, ut cribraret vos ſicut triticum.* Sanctus Cyprianus legit, *vexaret.* Sanctus Ambroſius, *cerneret.* Tertullianus, *diſcerneret.* Dionyſius Carthuſianus. *Vt tentationis ſuæ impulſu agitaret, concuteret, & turbaret, ſicut triticum in cribro.* Demum concludit Janſenius. *Senſus ergo eſt quod quemadmodum ſatanas, olim ad tentationes depoſcit Iob, & impetravit, ita etiam nunc flagitarit tentare, & tentationibus ſuis concutere, & agitare Apoſtolos.*

D. Luc. cap. 22. D. Cyprianus. D. Ambroſius. Tertul. Dionyſ. Carthuſ. art. 48. Ianſen b. cap. 133.

Sed ſitis bono animo, nec timeatis: *Ego autem rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua.* Quid? num oras pro ſolo Petro? an non alii Apoſtoli etiam tibi cordi ſunt? ergo cum in æ-

in æquali sint periculo pro omnibus orare debebas. Nec dicatis eum pro reliquis implicitè orasse, quia cum lege respondebo, *qui de uno dicit de reliquo negare videtur.*

L.eum pretor ff. de iu.

Textus sancti Marci spero difficultatem solvet. Impia illa Herodiades, omni munere ab Herode (etiam medietate regni) sibi oblato recusato hoc solum flagitavit. *Da mihi in disco caput Ioannis Baptistæ.* Sed cur non potius petit ei eruantur oculi, quibus forsan actiones impudicas vidit, vel præscindantur aures, quibus verba inhonesta percepit, vel amputetur lingua, quæ luxuriam perstrinxit, aut abscindatur dextra, quæ ausa est minas intentare: *Non licet.* O puellam non minus astutam, quam malam. Petiit caput; nam illo deficiente, omnia membra cadunt. Audite beatum Simonem à Cassia. *Steterat in insidiis leæna crudelis, & apto sibi tempore prosilivit in prædam, caput exspectans, ne lingua veridica suis placitis amplius adversantia, loqueretur.* Et Chrysologum: *Contempta corporis præda caput ejus truncatura pervadit.*

B Sim.de Cass lib.3. c 3 f 108. D.Petr. Chrys.ser. 127.

Collegium Apostolicum erat corpus mysticum, caput erat Petrus, alii erant membra. Rogat ergo pro solo capite, hoc salvo membra in fide illæsa erunt; sed si caput pereat, & membra jacebunt. Et si Petrus amisisset fidem, & membra ad ejus exemplum illam perdidissent. Hinc sanctus Chrysostomus: *Porro, qui pastorem ipsum de medio tulerit, totum simul gregem dissipabit.* Clarius sanctus Leo. *Commune erat Apostolis omnibus periculum de tentatione formidinis, & divinæ protectionis auxilio pariter indigebant, quoniam diabolus omnes exagitare, omnes cupiebat elidere, & tantum specialis à Domino cura Petri suscipitur, & pro fide Petri præcipue supplicatur, tanquam aliorum status certior sit futurus, si mens principis victa non fuerit.*

D.Ioan. Chrys in Epis 1.ad Timot.c.1. D.Leo Papa serm. 3.

14. Propterea dicebat Divus Bernardus: *Membrum caput sequitur, quo laborante omnes corporis partes laborare necesse est.* Hinc gloriosus præcursor ex zelo honoris Dei, & salutis animarum crimina Herodis arguens dicebat: *Non licet tibi habere uxorem fratris tui.* Si hoc omnibus sit cautum, simpliciter dicere debebat: *Non licet habere uxorem fratris sui.* Cur ergo hoc restringit ad solum Herodem, *non licet tibi?* hic diceret Jurista: *Qui de uno negat de alio concedere videtur.* Non est dubium, quin tale crimen nulli sit licitum, sed specialiter hoc est vetitum superiori, qualis erat Herodes, *Non licet tibi; tibi* qui es caput, *tibi,* qui es superior. Omnes hoc crimen dedecet, sed particulariter te, qui es Rex. Dabis malum exemplum, & verificabitur; *qualis rex talis grex.* Non licet tibi, ait Joannes Hoffmeisterus, *quia rex es, & omnes omnium oculi in te conversi, quod tu feceris, & alii sibi licere putant, sicque malo tuo exemplo, alios ad impietatem provocas.*

D.Bern. D.Marc. c.6.

L. Si marit in fine de procur. col.3. none.

Ioan Hofmeist in D.Marc. c.7.f.49. col. 1.

15. Sanctus Joannes Evangelista hoc à se ostentum esse visum narrat: *Et ecce draco magnus habens capita septem, & cornua decem, & in capitibus ejus diademata septem, & cauda illius trahebat tertiam partem stellarum cæli, & misit eas in terram.* Qui litteraliter vellet percipere hanc visionem contra Aristotelem cœlum esse alterabile, & corruptibile affirmare deberet quod est improbabile; cum stellæ à firmamento amoveri nequeant. Ambrosius Ansberrus adventum Anti Christi, in hoc ostenro exhibitum ait: *Quia vero cauda est finis corporis, potest per eam specialiter damnatus ille homo, id est Anti Christus, ejusque prædicatores designari. Tunc enim manifestior stellarum dejectior, tunc apertior obscuritas erit, cum hinc blandimentis, illinc tormentis, hinc prædicamentis, illinc decipientur falsis miraculorum signis.*

Apoc.c.12.

Ambr. Ansb.in c. 12 Apoc. lib 5 in Biblio v. pp. t.9.p.2.f. 425.

Dionysius Carthusianus per hunc draconem Luciferum intelligit. *Potest per caudam diaboli ejus dolositas accipi, per quam innumerabilem multitudinem Angelorum, hominumque fefellit.*

Dionys. Cart.ib.fol 147.co.2.

Ejusdem opinionis est Andræas Episcopus Cappadocum: *Per hæc significari opinor Luciferi è cælo casum, quo Angelos, qui per extremum invidiæ motum una cum ipso à Deo desciverunt, deorsum traxit, primus enim omnium motus mentis erat elatio.*

Andr.Episc. Capp. com. in Apoc.cap. 33 fol.91.

Verbo: Lucifer suo malo exemplo superbiæ innumeros Angelos rebelles, quibus præerat secum in orcum traxit, & Lucifero lapso Luciferani ceciderunt.

16. Christo in Bethlehem nato fama ejus gloriosam nativitatem Hierosolymam usque deportavit, & omnium civium corda turbavit. Sed quam causam habent ut turbentur? potius jubilare debebant, quia

quia rex eorum erat tyrannus, sperare poterant per hunc novum regem se à tyrannide illius nebulonis liberandos. Herodes erat Idumæus, novus vero Rex Judæus, cum ergo esset ex eorum stirpe non turbari, sed lætari debebant, quod regnum ad nativum regem rediret. Quod timuerit Herodes nil miror, cum dicat Glossa: *Non solum propter se timuit, sed propter iram Romanorum, decreverant enim Romani, ne quis rex, vel Deus sine eorum consilio diceretur*

D. Ioan. Chrys. in Cat. D. Thom. ibi. Gloss. in Cat D. Thom ibi. D. Greg. ib

Et sanctus Gregorius, *cæli terra nato Rex terræ turbatus est; quia nimirum terrena altitudo confunditur, cum celsitudo cælestis aperitur.*

Sed quod etiam conturbetur Hierosolyma, quæ juxta Chrysostomum potius lætari debebat non parum miror. *Magis de auditu illo gaudere debuerat, quia Rex Iudæus surgere dicebatur.* Plures causas hujus rei scriptores sacri afferunt. Idem sanctus. *Turbabantur, quia de adventu justi non poterant gaudere iniqui.* Glossa. *Volens illi favere, quem timebat, populus enim plus justo iis favet, qui crudeles sustinet.* Sanctus Thomas, *timebant ne Herodes hoc audito amplius desæviret in gentem Iudæorum.* Sed reliquis omissis solam expositionem Carthusiani maximè è re mea facientem adduco, qui turbationem tribuit malo exemplo. Turbatus est Herodes, & consequenter *omnis Hierosolyma cum illo; multi quoque turbantur, quoniam Herodi applaudere, atque facere volebant, conformantes se Domino suo, quia ut dicitur in Ecclesiastico, secundum judicem populi, sic & ministri ejus, & qualis est rector civitatis, tales, & habitantes in ea: Ex quo innotescit quam periculosus, nocivusque sit indignus, impiusque prælatus.*

D. Ioan. Chrys. Idem ibid. Gloss a ib. D. Thom. in c. 2. D. Matth. D. Matth. c. 2. D. Dionys. Cart. in c. 2. D. Matth. art. 4. f. 6. col. 2. l. D.

17. Nabuchodonosor statuam maximam ex auro purissimo erigi curavit, & dein edicto publico omnes nobiles, principes, titulatos, satrapas convocavit, ut statuam adorarent: *Misit ad congregandos satrapas, magistratus, judices, duces, præfectos, omnesque principes regionum.* Verbo: demptâ plebe omnes honestæ conditionis citavit. Si ab omnibus voluit statuam adorari, cur etiam non invitavit plebem? respondet sanctus Hieronymus: *Principes, & majores congregati sunt, ut per eos seducantur minores, & seducti magistratibus, subditi pereunt exemplo majorum.* Nisi Saul prius se ferro transfixisset ejus armiger in montibus Gelboë se etiam non occidisset: *Quod cum fecisset, armiger ejus fecit similiter.* Et ut testatur Carthusianus: *Occidit itaque se, ut se suo regi conformaret.*

1. Regũ 31.

18. Idcirco Prælati, & specialiter parentes valde cauti esse deberent ne filiis malum exemplum præberent, quin potius imitentur regulum Evangelicum, qui credens Christo, suo exemplo totam familiam convertit. *Credidit ipse, & domus ejus tota. Qua in re videre licet quantum parentum exempla apud filios valeant, ita enim natura comparatum est, ut pro lege accipiant liberi quicquid in moribus parentum animadverterint.*

Thom. de Trugillo ibid.

Plutarchus hoc monitum parentibus dedit. *Ante omnia debent parentes nihil peccando, omniaque pro officii rationibus agendo, e videns se se liberis exemplum præbere, ut in istorum ii vitam tanquam in speculum intuentes, à turpibus dictis, factisque avertantur.*

Plut. in opusc. t. 1. f. 21. l. A.

Erras ô pater familias, si filium tuum credas virtuosum, cum tu sis perversus; *Probum esse patrem oportet, qui natum suum esse probiorem, quam ipse est postulat.*

Plaut. in Pseudulo.

19. Communiter ex malo exemplo parentum oritur ruina prolium. Vate Elisæo ad montem Bethel pergente magna caterva puerorum urbe egressa est, & Elisæum irriserunt, & cachinnis exceperunt dicendo: *Ascende calve, ascende calve.* Bile est inflammatus, non quod ægrè ferret illam derisionem, sed quod pueros vix verba, & gressus formare valentes tantâ malitiâ imbutos videret. Frangere se non potuit, quin eos diris devoveret; *Qui cum respexisset, vidit eos, & maledixit eis in nomine Domini.* Sed quid evenit? *Egressi sunt duo ursi de saltu, & laceraverunt ex eis quadraginta duos pueros.* Revera res mira, quod pueri vix potentes loqui ita profecerint in malitiâ, ut verbis, & factis injurias conjiciendo in vatem magistri sint. Sanctus Justinus martyr id pueros didicisse à parentibus asserit. Hinc permisit Deus ut parentes imitarentur, & sic à feris occiderentur, & parentes ob eorum necem torquerentur: *Cum ea verba pueri à parentibus suis, qui semper in prophetam infesto animo erant didicissent: idcirco Helisæus cæde liberorum, parentes castigavit.*

4. Reg c. 2

Iustin. mar. l 80. ad orthodoxos.

20. Doles te habere filium, qui est

sentina

ſentina vitiorum, ex cujus ore non audis, niſi maledictiones, verba inhoneſta, blaſphemias, qui eſt luſor, diſſolutus, & datus in reprobum ſenſum. Intra cor tuum, & teipſum accuſa quod tuo exemplo eum docueris. Deus permittit ad tuam caſtigationem, ut malum finem habeat, nempe quod occidatur, vel à magiſtratu caſtigetur. An forſan vis objurgationibus, & verberibus proles emendare? an non tibi reſpondebunt ſe à te eſſe inſtructos, & pro emendatione tibi objicient te magis eſſe

Plut. ubi ſupra.

repræhenſione, & verberibus dignum? *Etenim* ait Plutarchus, *qui peccati filiorum increpantes ipſi in eadem prolabuntur vitia, ii ſe non ſentirent ſub illorum nomine ſemetipſos accuſare. Quorum vero tota vita turpis eſt, ii ne ſervos quidem objurgandi libertatem ſibi relinquunt, nedum filios.* Quod dixi de patribus, de matribus etiam intelligi volo. Hinc ſi hactenus malum exemplum dediſtis emendate vos, & quieſco.

ALTERA PARS.

21. CONſiderantes legiſtæ, quàm nocivum ſit pravum exemplum hanc legem ſtatuerunt: *Quamvis aliquid de ſe non ſit malum, ſi tamen res ſit mali exempli fieri non debet.* Exemplum eſt facundiſſimum in perſuadendo, nec eſt eloquentia illi par, ejus viribus edit facundia Tullii, & Demoſthenis, & plus valet uncia exempli ad movenda corda, quam flumina verborum.

ff de pen. l ſi quis. §. qui abor. de judi l. Exemp c. de pro.

Magis movent exempla, quam verba, dicebat Ariſtoteles. Et id expreſſe docuit Poëta Pontico ſcribens.

Ariſt. 10. Eth.

Tolle tuos monitus, & verba diſerta; movemur
Exemplis multum, Pontice, voce parum.
Namque loqui facile eſt. ſummi at feciſſe laboris.
Si cupis audiri, quæ loqueris facito.

Ludov. Bigi in delit Ital P 1 f 450 ad Ponticum.

Et inter ſcriptores ſacros primas fert ſanctus Bernardus: *Sermo quidem vivus, & efficax exemplum operis eſt: Plurimum faciens ſuaſibilem, tunc quum intendimus, quod dicitur, dum monſtratur ſcibile, quod ſuadetur.*

D Bern. ſer 56.

Huic opinioni conſentit Guilielmus, in illud Cantici: *Manus meæ diſtillaverunt myrrham.* Ubi ſic ait: *Plus enim exempla operum, quam admonitiones verborum movere ſolent.* Sine comparatione exempla ſive bona ſive prava efficaciora ſunt ipſis orationibus, quantumvis eloquentiſſimis. Diſertè id teſtatur ſanctus Papa Leo: *Validiora ſunt exempla, quam verba, & plenius opere docetur, quam voce.*

Cant. 3. Guiliel ap. Navar in umb. virg.

Exemp. 172. num. 1696.

D. Leo Papa ſer. de jejun.

22. Hanc veritatem docere voluit noſter Salvator his verbis à ſancto Matthæo conſcriptis: *Qui autem fecerit, & docuerit hic magnus vocabitur in regno cælorum.* Obſervemus modum loquendi. Primo dicit *qui fecerit*, ſecundo *qui docuerit*. Voluit oſtendere duplici modo attrahi homines. *Faciendo, & docendo.* Anteponit exemplum velut efficacius in perſuadendo, quàm ſit Rhetorica totius mundi. Hinc Chryſoſtomus: *Vide quod opus præpoſuerit, & poſtea doctrinam.* Et ratio eſt, quia voluntas magis appetit illud, quod ei monſtratur ab oculo, quam ab aure. Id diſcite à Chryſoſtomo: *Nec tam conſiderantur ea, quæ à nobis dicuntur, quam quæ à nobis aguntur. Et ut ſcias rem ſe ita habere, licet infinities tantum philoſophemus verbis, & cum tempus fuerit operibus non demonſtremus, non tantum proderunt verba, quantum nocebunt opera.* Non nego verba, & doctrinam multum poſſe, nunc terrent velut tonitru, nunc conſternant velut fulmina, nunc movent ad indignationem, nunc flectunt ad pietatem, nunc animos pacant, & recreant. Sed quid ſunt reſpectu exempli boni, & mali? *Cæterum ſi hanc verborum vim cum robore exemplorum componas, nihil omnino eſſe reperies.* Verba ſunt cujuſdam interpretis in Eccleſiaſticum.

D. Matth. cap. 5.

D Ioan. Chryſ hom 8. in Gen.

Io de Pin. t. 2 c. 14. Ethol 368 num. 7.

23. Hoc corroboro una ſcriptura. Dæmon intrat paradyſum terreſtrem, & ut Evam ſeducat, tanquam inſtrumento utitur inflexuoſo ſerpente omnium animalium aſtutiſſimo, & praviſſimo. Infra plantam mille anfractibus ſe girat, & inter frondes, caput exerens, quid non dixit, ut Eva comederet ex illo fructu vetito? quibus verbis Rhetoricis non eſt uſus? quam facundiam non adhibuit? quæ promiſſa non fecit? ſuavitatem divinitatis illi propoſuit. Nihilominus memoria præcepti divini, & timor mortis erant duo fræna, quæ coërcebant appetitum ſenſitivum ne tranſiliret fines à Deo ſtatutos. *Præcepit nobis Deus ne tangeremus, ne forte moriamur?* inimicus ergo infernalis bis à fœmina fuit repul-

Gen c 3.

repulsus, & caro illi constitit, quousque illam ad deditionem cogeret. Demum post diutinam luctam fructum decerpsit comedit, & peccavit. *Tulit de fructu illius, & comedit.* Partem pomi reservavit, maritum quæsivit, eamque illi dedit, quam etiam sumpsit: *Dedit viro suo, & comedit.* Hic vos cupio attentos auditores. In totâ sacrâ scriptura nec verbum lego, quo Eva suaserit marito ut comederet, nec similiter invenio, quod Adam restiterit. Cur Eva ejus dulcedinem non extulit, vel dixit, ego comedi, & tamen adhuc vivo, nec tu morieris, sed æternaliter vives, & in Deum mutaberis? nihil dixit, sed absque ullo verbo illud ei dedit: *Dedit viro suo & comedit.* Ad minus Adam aliquatenus obniti debebat, & allegare, vel prohibitionem Dei, vel gravitatem culpæ, vel rigorem pœnæ. Estne possibile quod ita restiterit Eva serpenti, nec Adam ullo modo uxori?

24. Ut verum fatear, nec per capillum miror. Ut fœmina moveatur, & ad peccatum inducatur, sola verbâ adhibentur. Sed Eva manus fructibus plenas habebat, & sinistra manducabat, dextra vero ostendebat illos marito. Ubi adest exemplum inutilia sunt verba, ideo non dixit, accipe, manduca, dulcis est fructus &c. sed *dedit viro suo*, & ille sine replica comedit. Si serpens etiam comedisset sine verbis pellexisset facillimè fœminam. Ut enim ait Cyprianus: *Efficacius est vita, quam lingua testimonium habent & opera suam linguam, habent suam facundiam.* Et doctissimus interpres librorum regum hanc scripturam observans ait: *Vehementior est tentatio per malum exemplum, quam per verbum suasorium: unde quod Diabolus vix persuasit subtiliter argumentando persuasit Eva perperam operando.*

D.Cypria. lib. de duplic. Mart.

Franc. Mend. de exemp.

25. Sed si adeò nocivum sit animabus nostris exemplum peccati, tanto utilius erit exemplum pœnæ, ut à peccatis abstineamus. Cur Deus neci juxta meritum peccati non destinavit Cain, sed ei vitam concessit, & minatus est, quod *omnis qui occiderit Cain punietur septuplum?* varia responsa adducere possem. Sanctus Ambrosius. *Differtur interim severior pœna, ut tanti facinoris auctorem diutius trucidaret lenta sententia, & fieret pœna diuturnitate longinquior.*

Gen. c. 4.

D. Amb. l. de p. n. c. 4

Thomas Angelicus. *Deus per suam misericordiam peccatores exspectat ad veniam, vel pœnitentiam. unde ipsum Cain non ita cito voluit mori, ut hoc tempus haberet pœnitendi.*

Thom. Angl. ib.

Sanctus Philastrius Episcopus Brescien sis. *Per patientiam Dominus tribuebat bonitati suæ indulgentiam copiosam, ut jam desinente scelere bonorum operum fructuositatem sequeretur.* Oleaster. *Docemur hic: non addere afflictionem afflicto, neque esse molestandum, quem videmus à Deo, aut ab alio punitum.*

D. Philastr. lib. de hær. cap. 81.

Oleast. ib.

Sed præ omnibus placet responsio Divi Joannis Chrysostomi. Deus voluit ipsi vitam donare, ut reliquis esset exemplum ne simile peccatum committerent. Et sane, qui eum vidisset semper profugium, & trementem. An non dixisset cavendum est mihi à simili delicto, ne iisdem miseriis, & suppliciis involvi velim? sic os aureum: *Nequaquam ita fiet; relinquam te posteritati magistrum, ut tui spectaculum illi sit admonitio, & castigatio, nullusque exemplum tuum sequatur. Ista in toto vitæ tuæ decursu resolutio nervorum posteritati utilis erit; & id quod solus, nullo præsente operatus es, hoc discant omnes, qui gementem, & trementem videbunt, & quasi per corpus tremorem clamantem, & omnibus dicentem, nullus tali gaudeat, qualia ego, ne in eandem pœnam incidat.*

D. Ioan. Chrys. hom. 19.

Ergo fugite exempla pravorum, & imitamini actiones bonorum, sic non eritis exemplo, ut alii castigentur. Ite in pace.

DOMI-

DOMINICA VIGESIMAPRIMA
POST PENTECOSTEN.

Serve nequam omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me: & tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet universum debitum.
D. Matth. cap. 18.

ARGVMENTVM.

Ex idea culpa Deus flagellum pœnæ format, ex originali copia peccati vindictæ imitatur figuram, & juxta gravitatem culpæ, percutit qualitas flagelli.

1. ADagium habet: *A, chi mal fa, mal ha, qui male agit, malum habebit.* Omnis nodus reducitur ad pectinem. Crebro gabella, ac fraus circa illam commissa persolvitur, dies erroris est dies pœnæ; qui agit quod non debet, illi obveniet, quod non credit: quo magis inveteratur peccatum, eo magis instauratur pœnitentia juxta illud: peccatum vetus, pœnitentia nova. Quot noxas patrat homo tot hostes in se armat. Et via, quæ ipsi reserat media ad culpam, eadem pandit præcipitia ad pœnam. Quidem verum est, quod Deus non solvat quolibet sabbatho, sed dein simul omnia diluit: eadem monetâ talionem solvit, è panno culpæ, vestem pœnæ parat, & ex instrumentis nostrarum culparum virgas flagellorum aptat. *Vnde est fons peccati, illinc est plaga supplicii.* Os aureum: *quæ sunt oblectamenta hominis peccantis, sunt instrumenta Dei punientis, vel, pro modo perversitatis suæ uniuscujusque erroris pertinacia punietur,* asseruit Divus Pater Augustinus *Plerumque perversæ menti ipsa sua culpa fit pœna*, affirmavit Divus Gregorius: *Fiunt instrumenta pœnarum, quæ erant oblectamenta culparum,* scripsit Dionysius Carthusianus *Per ea quæ quis peccat, per ea & punitur*, conclusit sapiens. Oculi formæ Dalilæ cordi Samsonis eum amorem sibi non esse proficuum nuntii erant. *Hanc mihi accipe, quia placuit oculis meis.* Sed, & primi, dum Philistæi: *Eruerunt oculos meos*, Pœnam in eum derivarunt. Adonibizedes septuaginta sertatis regibus, quos prælio ceperat manus, & pedes præcidit, & postea eadem monetâ sibi repensum esse confessus est: *Sicut ego feci, ita reddidit mihi Deus.* Comam, quam ambitiosus Absolon contra omne fas diademate patri suo redimire volebat, instrumenta, & carnifices suæ infelicis necis facta est, dum à vento agitata ramis quercus impexa fuit, ac eum fugientem alligans, in aërem pensulum egit, comâque apprehensum, quousque capitaneus Joab accurreret, qui tribus ictibus hastæ cor transfixit detinuit *Coma arboris* ait Chrysostomus, *tenebat comæ tyrannum, ibi eum contundens, ubi diadema paternum gestare contendebat.* Sed quid exempla emendicamus, dum opportuna in hodierno Evangelio ab Ecclesia præsentantur. Servus ille iniquus se crudelem exhibendo, dum conservum tantum decem talentorum debitaret, vinclis constringeret, deliquit; *Tradidit eum tortoribus, donec redderet debitum.* Sed eâdem pœnâ à Domino involutus fuit: *Tradidit eum tortoribus donec redderet universum*

[Margin notes: D. P. Aug. — D. Greg. — D. Dionys. Carth. de med. text. — ava. a. 2 — Iud. c. 14. — Iud. c. 16. — Iud. c. 1. — D. Ioan. Chrysost.]

sum debitum. Tantum requirebatur, ut divinæ justitiæ satisfieret. *Prout quis delinquit,* Iust. de pu. Iudi. §. Item l. Iul. de vi pu. can 15 q. 1 c. 51. quis. *ita debet puniri;* Ac alibi decernitur: *Vnusquisque pro crimine, quo fuerit deprehensus modum congruæ severitatis excipit.* Quod etiam sacri canones stabilierunt; *Sicut præmium debet correspondere merito, ita pœna delicto.* Hinc doctus Alcuinus hujus servi castigationem observans ait: *Fortasse iste non audivit, aut si audivit non intellexit & parvipendendo neglexit, quod alibi Dominus ait; eadem quippe mensura qua mensi fueritis, remetietur vobis; estote ergo misericordes, sicut, & pater vester misericors est Nolite condemnare, & non condemnabimini, dimittite & dimittetur vobis. Quicunque misericordiam non habuerint, ipsi quoque sine misericordia cruciabuntur.* Similiter sanctus Anselmus: D. Ansel. *Magna quippe arte magisterii traditus est in pœnam, cui sponte sub secutus est in culpam, ut qui auctor fuerat ad vitium, ipse flagellum fieret disciplinæ.* Ergo in præsenti discursu à Deo ex Idæâ culpæ fabricari flagellum pœnæ, & ex originali copiâ erroris formari castigationis imaginem, ac juxta gravitatem peccati esse qualitatem flagelli videbimus. *Misit eum in carcerem; tradidit eum tortoribus.* Vos interim per spatium horæ silentium attentionis carcere concludite, ac incipio.

PARS PRIMA.

Tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet, &c.

2. INter alia decreta in tribunali justitiæ punitivæ stabilita unum est quod culpæ pœna correspondeat. Alexander severus aulicum, qui omnia reipsa acceptabat, sed pro futuro cuncta promittebat, sic tamen ut promissa in fumos abirent, nec ullus voti compos fieret fumo enecavit hac epigraphe vertici ejus inscriptâ *Fumo pec-* Lampr. in vita Alex. Severi. *cat, qui fumum vendidit.* Brasides capitaneus ferro quo vulneratus fuit vulnerantem occidit: sic refert Plutarchus: *Educto è* Paul Aref de tribul. lect. 44. n. 7 Plut t. 1. f. 322. c. 368. *corpore suo telo, eodem confodit eum, qui miserat.* Cambisen nimis severum censebitis, quod judicem quendam ob justitiam non rectè administratum, & ob accusatos, qui rei inventi erant non punitos, excoriari jusserit. Sed cur non potius eum capite plecti aut in trabem agi voluit? dicam, officium agens judicis multos inopes excoriarat, dum opibus omnibus eos expilavit; hinc hic Judex Sisamnes vocatus excoriari meruit. Cambises Persarum Rex ex idæâ culparum, pœnæ fabricandum esse opus docere voluit. Hinc de hoc Rege, qui tam justam, ac providam tulit sententiam, quidam vates Hispanus sic cecinit:

El qual mando, que un iuez se desolasse
Vivo, porque à los vivos desollava,
Y su piel en estrados se clavasse.

Constantius imperator filius Irenæ Augustæ sævitione contra nobiles, iis oculos eruendo delectabatur, sed mater in eum concitata vicem talionis ei reddidit. Leo quartus imperator purpuro genitus hoc est in purpurâ natus cognominatus, gemmis mirè afficiebatur, ita ut anno quinto suæ tyrannidis Constantinopoli templum sanctæ Sophiæ invaderet, ac imagini cuidam diadema surriperet, sed paulò pòst infirmatus verticem apostemata carbunculorum cinxerunt. Apud Torscel. lib. 6. f. 258. Hic in memoriam mihi redit, quod de quodam causidico Carpaurio Verio quidam eruditissimus poëta scripsit.

Io. Vulti Rhemi, de Carpa verio causidico.

Est rea adulterii conjux à conjuge facta
Inque Tolosano causa dirempta foro.
Causidicus Macha partes Carpaurius egit.
Actor (si memini) Borderianus erat.
Iudice cartatum est Vlmo; quo causa meriti
Iusta licet pejor lege reperta fuit.
Dictâ lite domum pergit Carpaurius, ut rem
Vxori narret protinus ille suæ.
Insi mili uxorem, sed crimine reperit; ô tunc
O clamat lingua, jam fero damna meæ.

Episcopus ille Arrianorum Olimpius impietate nequior in publico foro tres personas sacrilegè blasphemiis petiit, & tribus sagittis percutitur. *Cum scribit* Paulus Diaconus *Trinitatem publicè blasphemaret tribus justis jaculis, tanquam fulminibus consumptus est anno Christi 5 0.* Paulus Diac lib. 16. in Ann. Joannes Zvinglius catholicæ fidei hostis, dum vi bellicâ arcem non procul à Bruxellis sitam ubi erat imago refugii Deiparæ occupat elatus severè dixit. *Ego meis manibus*

Hallensi

Cornel. à Lap. c. 14. in Levit. v. 14. f. 244 col. 2 L. sancimus ff de pœnis. Hallensi muliercula, sic imaginem Mariæ vocabat, *nasum abscindam* : sed temeritatis pœnam luit; nam intranti, glans plumbea nasum absumpsit. Revera certissimum est apud juristas, quod *Pœna est mensura delicti*. Vel ut scitè Hesiodus scripsit :

Hesiodus. *Qualia vir patrat, talis manet exitus illum.*

3. Hunc modum castigandi à principio mundi Deum cum ipsis creaturis irrationabilibus exercuisse puto. Postquam serpens Evam tentarerat, Deus illud scelus
Gen. 3. hoc supplicio punivit : *Terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ*; sed cur non vult Deus, ut vescatur carnibus, herbis, vel frugibus terræ? Moyses Barcepha hanc causam dat, quod homo ob peccatum in pulverem sit
Barcepha. p 1 de parad. transformatus : *In pulverem reverteris*; merito ergo omni alio victu privatus, pulvere, & terrâ sustentatur. *In pulverem redegisti primos parentes, pulvere igitur vesceris totâ vitâ.* Sed meus sanctus Pater Augustinus subtilius hanc rem observat, & ego ejus doctrinæ innixus hanc quæstionem instituendi occasionem sumo. An scitis animal esse in orbe, quod verbis capitur? aves visco, ac retibus, animalia glandibus, quæ è tormentis metallinis protruduntur, pisces homo, escâ, & nassis capi non nescio. Sed serpens nonnisi energiâ vocis capitur. Incantator ad campum se confert, ac in planitie prati consistens virgâ multos circulos in terrâ format, verbis incantantibus intra se mussitat, & serpentes ut virgæ jussionibus pareant vocat. Et illico è cavernis sibilando, spumando, ac fistulando prorumpunt; nunc ad terram se potiunt, nunc caput erigunt; nunc circis illis, quos incantator suâ virgâ formavit se ingerũt.
Ps. 57. Ad hoc propositum regalem vatem dum dixit: *Sicut aspidis surdæ obturantis aures suas*, allusisse credo. Atque ut interpretatur
Remig. Antis. in Ps. 57 v. 9. Bibl. vet. Remigius Antisiodorensis : *Aspis enim ab incantatore de tenebrosa caverna in lucem evocatur, recusans audire voces, quibus se cogi sentit, allidit unam aurem terræ, & caudâ obturat alteram.* Hinc clarè serpentem verbis capi, & incantari deduco. Sed cur hoc animal præ aliis huic infortunio subjectum sit? causa in promptu est. In principio mundi incantationibus verborum à serpente mulierem circumventam, & captam, dum esu fructus ei deitatem pollicitus est, recordemini. *Dixit ad mulierem, eritis sicut dii scientes bonum & malum.* Juxta legem talionis L. 1. in fi. c de his qui ante aper. ta hered. trans L. de uno ff sol. ma. & l si ambo ff de comp & li. si duo. ff de dolo. supplicii in eum decerni debuit. *Dignum est fraudem in suum auctorem retorqueri* Lex enim sic statuit : *Dolus cum dolo compensatur.* Ne ergo ô serpens miseram tuam sortem deplores si verbis fœminam incantasti, iisdem, ab homine incantaberis. Et quia à principio adduxi meum Patrem sanctum Augustinum, credo quod curiositate ejus doctrinam audiendi moveamini. Audite ergo eam : *Divino consilio fit, serpentes magis moveri carminibus hominum, quàm ullum aliud genus animalium : etenim non parva testificatio est, naturam primitus hominum, serpentis seductam esse colloquio.* D P. Aug lib. 11. in Gen. ad litt. c. 18

4. Si ergo divina justitia hanc politiam usurpet cum creaturis irrationabilibus ut à culpâ idæam pœnæ formet, quomodo à potiori id non agit cum homine ratione prædito ? à supplicio serpentis ad vindictam in protoparentes latam transeamus *Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos, in dolore paries filios, sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui.* Hæc pœna fœminæ; Gen. c. 3. quam triplicem esse observo. Prima consistit in multiplicatione miseriarum, & calamitatum; altera in parturitione prolium cum dolore. Tertia, quod viro subsit, ac subjiciatur. Eccur miseram fœminam triplici flagello involvit? an non unum, quod gravitate suâ intensivâ, & extensivâ illa tria æquaret reperire potuit ? an scelus adeò fuit grande, & excessivum, ut supplicia multiplicari, ac triplicato numero tantum constringi debuerint? quot noxas Eva commiserit videamus, & solutionem habebimus. Serpenti potius, quàm Deo hunc æstimans fallacem, illum veracem, credidit. *Morieris* ait Deus. *Non morieris* replicat serpens. Et dum vitam immortalem velut Deus se adepturam sperans *Tulit de ligno, & comedit*, majorem serpenti, quàm divinæ majestati se adhibere fidem demonstrat. Secundo legem esu fructus à Deo vetiti violavit. Tertiò maritum in idem scelus traxit. Numerum ergo culpæ Rupert. Deus numero pœnæ remetiri voluit. Sic l. 3 in Gen. Rupertus Abbas : *Mulier triplicem pœnam* c. 21 de *habet, quia peccati quantitas triplo major quàm* Trinit.

in viro est. Vnde triplici peccato, triplex quoque vindicta, præter communem sibi cum viro mortem, reddita est.

5. Nunc qualitatem supplicii, quo plexus est Adamus ponderemus. *In sudore vultus tui vesceris pane tuo.* Tu ô Adame moneta sudorum panem comparabis, cibi tui condimento laborum amarescent. Cur hanc potius, quàm aliam in eum fulminarit pœnam scire cupio. Indagat quidam modernus: *Cur hanc potius pœnam, quàm aliam imposuit? Nam in impositione pœnarum est aliqua ratio, cur potius hæc, quàm illa imponantur*: Cum Deus non agat fortuito, sed à consilio, id sine fundamento non contigisse dicendum. Eiusdem etiam est animi Divus Pater Augustinus: *Neque enim nos frustra in primo peccato nostro pœnam accepimus, ut in sudore vultus nostri panem manducemus.* Divus Eucherius Episcopus Lugdunensis per hunc panem sanctissimum sacramentum altaris à Christo sub speciebus panis institutum intelligit: *Illum intelligi voluit panem, qui se de cælo descendisse testatus est, qui dat vitam mundo Hunc ergo panem cum maximo sudore, & pœnitentia satisfactione accipiunt pœnitentes.* Idem confirmat Divus Justus Orgelitanus: *Non enim, qui vitio quodam, vel sapore inertiæ resolvuntur, sed illius panis qui de cælo descendit esum cito perveniunt, sed qui sanctis laboribus invigilaverint.* Responsa horum gravium doctorum veneror, sed doctrinæ Divi Thomæ Angelici adhæreo. Eam è nostro proposito ad solvendam difficultatem dictam audite. *Ista pœna sibi optimè competit, quia de ligno vetito gustavit delitiosè, ideo debet vivere laboriose, quia cum pœna sit medicina quædam contra culpam, & remedium si in culpa fuit libidinosa delectatio in pœna debet esse laboriosa afflictio.*

Io. de la Haye ib v. 19 n. 591.

D. P. Aug in ps. 138.

Euch. Lugd. lib. 1 in c. 3. Gen

D. Iustus Org in expl. Cant. Cantic.

Tho. Anglicus in c. 3. Gen.

6. Sed ad supplicium præcipuum mortis, quod Evam, & Adamum nosque omnes ab iis descendentes involvit veniamus: *In quacunque hora comederis ex eo morte morieris.* Quid supplicio mortis, cum qualitate culpæ? an forsan in armamentario justitiæ divinæ pœnæ morte leniores, vel graviores deerant? veritas Theologica est peccatum consistere: *In aversione à Deo, qui est bonum incommutabile, & in conversione ad creaturam, quæ est bonum commutabile.* Ac ita Doctor Angelicus, & omnes alii docent. Et in quo consistit mors? *In aversione, & conversione, avertitur anima à corpore, & convertitur corpus in cinerem.*

Gen. c. 3.

D. Thom. 1 q 9 87. a 4.

7. Deus ira exæstuans orbem eluvione universali mergere decrevit: *Repleta est terra iniquitate, omnis caro corruperat viam suam. Ecce adducam aquas diluvii, ut interficiam omnem carnem.* Executurus voluntatem suam se accingit, cataractas immensas cœli aperit, & orbem totum aquis haurit. Hanc pœnam sacra historia quadragintadialem fuisse affirmat *Factumque est diluvium quadraginta diebus super terram* Sed cur non duravit minus, vel plus? Deum unico instanti totum orbem aquis absumere potuisse si ita libuisset jam scimus; & si in tempore illud fieri volebat poterat pauciores dies adhibere, ac undis terram mergere. Cur ergo præcisè quadragintadiale supplicium voluit? ut satisfieret divinæ justitiæ tot dies adhiberi debuisse sanctus Ado Viennensis respondet. Numerus quadragenarius ex quatuor, & decem conflatur: nam decem quater repetita constituunt quadraginta. Mundus in quatuor partes secatur, Asiam, Africam, Americam, Europam; ac quatuor hæ partes decem præcepta violaverant. Ergo ut pœna commensuraretur culpæ: *Factum est diluvium quadraginta diebus* Hæc sunt verba sancti: *Quod quadraginta diebus, & quadraginta noctibus pluit, quia omnis reatus peccatorum in decem præceptis legis admittitur per universum orbem terrarum, qui quatuor partibus continetur.*

Gen. c. 6.

Gen. c. 7.

S. Ado. Vien. in Bibl. vet. pp. in Cronic ætas prima t. 9. fol. 260.

8. Severum, & atrox fuit alterum supplicium, quo Deus impias urbes Pentapoli non eluvione aquarum, sed ignis, ac sulphuris absumpsit *Pluit Dominus sulphur, & ignem de cælo.* Ignem sulphure mixtum? quodnam est hoc insolitum? si Deus ad cinerem usque illas urbes, ac cives annihilare voluit, solus ignis sufficiebat: Cur ergo, & addendum sulphur? hic Cardinalis Cajetanus responderet quod *præter naturalem rerum cursum miraculum operatus est Deus in puniendo iniquos ad differentiam naturaliũ causarum*

Gen. c. 19.

Card Cajet. ibid.

sarum naturali ordine concurrentium ad generandum ignem, & sulphur opponitur à Iehova. Et Salvianus *ut gehennam quæ in futuro datur judicio etiam in hoc sæculo sustinerent.* Bona responsa sed omnium optimè satis facit responsum Abulensis, cui etiam Albinus, ac Rupertus adhærent: *Sulphur,* ait Abulensis *fœtet cum ardet, quia tale vitium fœtidum, imò omni fœtore fœtidius, quod natura humana exhorrere deberet; vel sulphureo igne puniuntur, ut putidissimus libidinis ardor putidissio flammarum ardore puniretur.* Et demum Rupertus Abbas concludit: *Qui carnis fœtorem miserant ad cælum, rectè de cælo fœtorem, vel ignem fœtidum receperant.* Ad idem subjectum, & idem propositum Rhetor aureus alium conceptum format. Cùm ignis velut thus naturaliter ascendat demiratur, cur Deus è cælo in terram illum depluat? quomodo ergo contra naturam suam descendit? peccato pœnam correspondere Deus voluit: *Erat justa retributio his, qui naturæ subverterant leges, fœminas in masculis quærentes, ut invertatur in eis ordo naturæ, & fiat eis naufragium ex igne quasi ex aqua.*

Salvian. lib. 4 de provid.
Abulens.
Albinus.
Rup Abb. lib. 6. cap. 11.
D. Chrys. serm. de Adam.

9. Justus Loth cum uxore, ac totâ familiâ jubentibus sic Angelis è civitate ad montem Segor velut ad Asylum se contulit, insuper ne ullo modo hoc in itinere constituti oculos in urbem retrojicerent Angeli præceperunt. *Ne respicias post tergum.* Subitò atrâ caligine cælum obfuscari, inter horrores fulgura micare, inter tenebras splendescere fulmina viderunt, per aërem tonitrua strepantia roboare, sagittas fulminantes perstrepere, ac horribili fragore sulphure mixtam grandinem decidere, ac flammas agmatim, & densatim velut phalanges irruere audierunt. Turres dejiciebant, mures quassabant, superbissima ædificia funditus everterunt, machinas prostraverunt, piramides solo æquarunt, flumina absorbebant, homines devorarunt, animalia in cineres redigerunt, ac in carbones duriores, petris, ac firmiores acervis reduxerunt. Ense evaginato dominabatur justitia, & victorias vindicta sumebat. Nimis curiosa uxor Loth oculos in hos funestos successus conjecit, & subitò immobiles hæserunt ejus plantæ, juncturæ fuerunt induratæ, carnes sunt congelatæ, membra induruerunt, obriguerunt ossa, in amaram salsedinem mutatus est sanguis, unico momento a capite ad calcem usque tota impalluit, labra ac linguam ad proferendos accentus, & mariti auxilium inclamandum movit, sed lingua, & labra induruerunt, verba detruncabantur, & en fœmina *versa est in statuam salis.* Quod peccatum hujus fœminæ supplicium promeruerit non dubito. Sed cur à divina justitia mutatur in statuam salis? cur non mutatur in lignum, petram, aut terram, vel aliam materiam magis communem? varia responsa ab Expositoribus hujus loci adferuntur. Stephanus Porrecta ait: *Ex hoc quod vertitur in statuam salis, datur intelligi, quod pœnæ aliorum sunt ad nos de sapientia instruendos apta.* Sanctus Prosper: *Vxor Loth suo exemplo fatuos condivit in proposito sancto, quo tendunt proficientes, noxiâ curiositate retro non debere respicere.* Sedulius.

Gen. c. 19.
Stephanus à Porrecta.
D. Prosper lib. 10 de prædict.
Cælius Sedul lib. 1. in Bibl. vet PP. Tom. 5. part. . fol. 405. col. 1. lit. A.

Loth Sodomæ fugiente chaos, dum respicit uxor
In statuam mutata salis stupefacta remansit:
Ad pœnam conversa suam, quia nemo retrorsum.
Noxia contempti vitans, discrimina mundi
Respiciens salvandus erit, nec debet arator
Dignum opus exercens vultum in sua terga referre.

Optatus Millevetanus, & divus Pater Augustinus: *In salem conversa hominibus fidelibus quoddam præstitit condimentum, quo sapiant aliquid, unde illud caveatur exemplum.* Nonnulli Hebræi a Lyrano, ac Abulensi citati asserunt, uxorem Loth, dum Angelos, quos peregrinos censebat ad se divertere vidisset, non velut maritus qui paratissimo animo hospites recipiebat, sed illibenti animo eos admisisse, cum nil molestius ei, quàm hospites tecto recipere accidere posset. Interim Lotho mensam instruente, fercula parante ipsa sal subduxit, ut hospites ex missibus, dapibus inconditis, & insipidis quam ingrati hospites essent, colligerent, nec denuò rediient. O quam exiguam charitatem monstrat hæc fœmina? nulli rei non solum applicare manum voluit, sed & sal ne cibi condirentur abscondit. Agedum, ait Deus, sale peccasti, sale te plecto. *Versa est in statuam salis.* Hæc verba Hebræorum sunt: *Loth petenti sal*

Optat. lib. 3.
Nicol. de Lyra. ibid.

sal in condimentum ciborum dare noluit, scilicet gentilitio hospitalitatis, odioque notato : facilis est responsio, scilicet versam esse in statuam salis, ut in quo offendit, puniatur. Idem confirmat Abulensis : *Quare autem versa sit in statuam salis, dicunt Iudæi causam esse, quia præcedenti nocte in sale peccaverat : quia Loth petente sal ad condiendum epulas hospitum, non dedit: ipsa enim secundum conditionem Sodomorum inter quos habitaverat, hospitalitatem non diligebat.* Et hoc modo diem delicti esse vigiliam pœnæ est experta.

Abulens. ibid fol. 505 col. 1. lit B. Cornel à Lap. in ca. 19. Gen. v. 26 & Gloss ordin.

10. Auditores, & Scripturistæ funestum illum successum, qui duobus filiis Aaronis Nadab, & Abiu evenit recordemini. Hi thuribula gestantes ante sanctuarium divinæ majestati incensaturi consistebant, sed statim ignis accenditur, eosque invadit, ac perimit: *Arreptisque Nadab, & Abiu filii Aaron thuribulis, posuerunt ignem, & incensum desuper offerentes coram Domino, ignem alienum quod eis præceptum non erat : Egressusque ignis à Domino, devoravit eos, & mortui sunt coram Domino.* Deliquisse hos sacerdotes in hoc, quod alienum ignem offerrent Scriptura recenset: sic etiam Abulensis. *Hic exprimitur causa specialis, propter quam puniti sunt, scilicet quia ignem alienum obtulerunt ; non igitur potest stare, quod fuerunt combusti, nisi quia obtulerunt ignem alienum, & ista est positio communis, & necessaria secundum litteram.* Igne itaque peccarunt, igne etiam castigentur *Fuit autem,* verba sunt Abulensis, *justè factum, ut isti cremarentur ab igne, qui erat in Altari ; nam per quæ quis peccat, in his torqueri debet; hi autem peccaverunt in igne Altaris, ad cremandum incensum coram Domino, & acceperunt de igne alieno ideo debuit ignis Altaris eos punire.* Et divus Joannes Chrysostomus subscripsit. *Dum contaminare extremo igne altaria præsumunt, ipsius Altaris consumuntur incendio, ut sumerent de sacrificio pœnam, qui fecerant de propitiatione peccatum.*

Levit. cap 10.

Abulens. in cap. 10. Gen. q 5.

Idem ibid. quæst. 4.

D. Ioan. Chrysost. serm. 26. apud Andr. Pint. Ram lib. 3 cap. 1. §. 3.

11. Deus Pharaonem obstinatum in non dimittendo populo videns, Moysi, ac Aaroni cineres è fornace acciderent, eosque per aerem spargerent, qui plagas, & ulcera producerent, quibus non solum homines, sed & animalia affligerentur, præcepit. *Et dixit Dominus ad Moysen, & Aaron, tolle plenas manus cineris de camino, & spargat illum Moyses in cælum coram Pharaone.* Cur hi cineres debuerint sumi de camino Lyranus inquirit. Hos cineres ex se non habuisse hanc virtutem certum est. Deus iis velut instrumento uti voluit ; sed annon erat alius modus: an media divinæ justitiæ deerant? non. Sed quia Hebræi ab Ægyptiis absque quiete, laboribus in fornace, ignem fovendo, lateres pro ædificiis coquendo dirè habebantur. Ideo Deus torquendis Ægyptiis medium nullum congruentius, quam cineres illarum fornacum, in quibus miseri Israëlitæ fatigabantur, & angebantur judicavit. *Cineres,* ait Lyranus, *accepti sunt de camino ardenti, & correspondet plaga ista culpæ Ægyptiorum, qui afflixerant Hebræos in decoctione laterum ignis ardentis.* Eandem rationem affert Oleaster: *Laborare fecerunt Ægyptii filios Israel in decoquendis lateribus in fornace, nunc verò favillâ fornacis discruciantur.*

Exod. c. 9.

Nicol de Lyra ibid.

Hieron ab Oleast.

12. Quæso vos, hanc eandem Scripturam aliâ ponderatione observemus. Effectus horum cinerum lacerare, ac sauciare membra Ægyptiorum erat; & quæcunque suo tactu intolerabili dolore torquere. Nec alia causa hujus afflictionis, quam justum Dei judicium assignari potest : Nam velut illi cruciabant Israëlitas, eosque indiscreto rigore incessanter, absque ulla pietate, plagas, vulnera infligendo, carnemque discerpendo torquebant, sic divina majestas eosdem effectus, quos habuerunt virgæ in membris Hebræorum, etiam in carnibus Ægyptiorum producerent, voluit *Ergo pro vibicibus postulas, & disruptionem cutis, pro attrita & concussa carne, apostemata, & ulcera in carne ; & qui Hebræos gravi verbere attriverat, nunc præ ulcere, & furunculorum acerbitate, non laborare, non ambulare, non stare, non jacere quidem, sine dolore gravi, aut requiescere permittebantur.*

Ioan. de la Hage. in c. 9 Exod. v. 10. fol. 348.

13. Gravi supplicio Deus in Ægyptios desævit, quando Aaroni ut percutiendo virgâ aquas Nili fluvii, easdem in sanguinem mutaret, commisit. *Tolle virgam tuam, & extende manum super aquas Ægypti, & super fluvios eorum, ut vertantur in sanguinem.* Sed si vindictam meruerunt, cur eos nece subitâ non absumpsit? cur in eos non misit exercitum, qui Pharaonem solio excuteret, ac subditos inimicis mancipes redderet? ad imperium Pharaonis Ægyptii Nilo omnes primo-

Exod. 7.

primogenitos Hebræorum submerserant. Aqua, quæ ad tantam crudelitatem deservijt, eâ eos privare voluit, ut eorum defectu eos castigavit. *Adverte,* ait Oleaster, *etiam quomodo per ea, quæ quis peccat, torquere-* Oleaster in c.7. Exod. *tur: peccaverant Ægyptii, aquis fluminis suffocando, & submergendo filios piorum; & ideo voluit Dominus quod ab aquis punirentur, bibendo sanguinem pro aquâ.*

14. Illius supplicii, quo propter David in Israelem Deus animadvertit pestilitatis scilicet, quæ tot millia sustulit recordemini. Sacer textus occisos ad numerum redigens ait: *Ceciderunt de Israël septuaginta millia virorum.* Estne possibile nec plures, nec pauciores fuisse interemptos. Glossa, & Hebræorum Rabbini rem singularem observant, & ajunt: *De omni populo tot millia interfecta Hebræi affirmant, quot millibus numerus in Paralipomenon scriptus est.* Quæ verba quidam gravis Author sic Hispanicè commentatur, quæ Latinè sic reddo. Divinum supplicium mediocritatem servavit, dum non plures occidit, quam imprudens curiositas principis numeravit, ut mysteriosa proportio, & congruentia haberetur inter correctionem, & culpam, & Deus eadem viâ, quâ offensus erat eos puniret.

2. Reg. cap. 24. Paralip. c. 21. Gloss. ordin. in 1. Paralip.

15. David hostis sui capitalissimi Sauli perfectionem declinans in specu quadam, quam & Saulem ingredi contigit delitescebat, David tacitè, ac paulatim adserpit, & inadvertenter oram chlamidis abscindit: *Surrexit ergo David, & præcidit oram chlamidis Saul silenter.* Hâc ratione, quod quâ operâ vestimenti timbum præscidit, eadem & eum jugulare potuisse demonstrare voluit. Nihilominus Expositores Davidem hoc facto peccasse affirmant, & ipse remorsum conscientiæ sentiens errorem agnovit. *Post hæc percussit cor suum David, eo quod percussisset chlamidis oram Saul.* Nunc quæ pœna ab ipso reperita sit audiamus. Ætatem ut attigit provexam nullo tegumento eum calefieri potuisse legimus. Me herclè res, quæ de nullo alio legitur; & experientia docet quemlibet senem Davide annosiorem vestibus laneis calorem recipere. Cur ergo & eandem virtutem non ostendunt in Davide? *Cumque operiretur vestibus, non calefiebat?* defectus non fuit vestium, sed divinæ justitiæ, quæ adolescens præscindendo vestes peccarat senem castigare voluit. Hanc opinionem Glossa ordinaria adducit: *Dicunt Hebræi quod David circa mortem fuit punitus in simili, scilicet in vestibus, quibus opertus non calefiebat.*

1. Reg. cap. 24. 3 Reg. cap. 1. Gloss. ordin. ibid.

16. Quot parentes annosi lamentantur, & deplorant filios pravos, dissolutos, lusui deditos, immorigeratos, pessimos, à quibus maximis injuriis afficiuntur, à quibus pane doloris sustentantur, quique in nullo eorum voluntati obsequuntur, & sunt tam impii, ut minas iis intentare audeant, & parentes sibi obsequentur, volunt? sed vos ipsos tantum deflere potestis, tales olim vosipsos parentibus exhibuistis, simili ergo monetâ vobis Deus rependere vult.

17. Domo illâ quidam morbo certo decumbit exomologesi, ac viatico se munire vult. Servus Religiosum vocat ut auxilia spiritualia præstet, ac charitatem exhibeat: sed sacerdos nullus reperitur, religiosus nullus comparet; vix ab Ecclesia, ac domo absunt, & in hac necessitate urgenti nullus reperitur? id Deo sic permittente fieri creditote. Sanus plures annos absque confessione, & sacramentis transmittebat; religiosorum infensissimus hostis erat, eos publicè traducebat, ac lacerabat. Nunc cum eorum operâ egeat, nullus invenitur, qui sacramenta administret, sine quibus dum defungitur Deus scit, ubi anima degat.

18. Divitem quendam adeo immitem erga pauperes fuisse pratum floridum narrat, ut aures ne stipem postulantis perciperent obturaret. Naturæ debitum solvit, ac corpore humato, dum religiosi justa persolventes: *Requiem æternam,* &c. intonant, crucifixus tumbæ proximus manus dissolvit, ac aures ne orationes, & preces religiosorũ penetrent obfirmat: & sic Deus eandem monetam rependit. Sanè illud Proverbiorum verificatur: *Qui obturat aurem suam à clamore pauperis, & ipse clamabit, & non exaudietur.* Si eâdem mensurâ tibi Deus non vis remetiatur oculos ad tuas preces occludendo, dum morti vicinus ignoscentiam culparum petes, nunc pauperibus Christi subsidium eleemosynæ rogitantibus non solum aures, sed & viscera pietatis pande; & quiesco.

Part. 2. cap. 3.

ALTERA

ALTERA PARS.

19. Nimis verum est severitatem cæli iisdem mediis punire, quibus ejus potentiam offendimus. Instrumentum nostrorum scelerum fit virga suppliciorum. Lucifer è cælo deturbatur, ac æternis pœnis addicitur. Justissimè Deus disponit, ut flagella vindictæ cum eis ordinem naturæ non observent, qui eundem sunt transgressi, sicut æternitas eos ibi jugulet, ac mors conservet, nec mors finem timori, nec æternitas spei principium det. Et quia cogitatione in imo tartari versamur, supplicia damnatorum considremus; quod ibi *erit fletus & stridor dentium*, à Salvatore habemus. Continuò plorabunt, ac præ frigore dentibus stridebunt. Ludolphus à Saxonia ortum harum qualitatum assignans ait: *Fletus ex calore dissolvente, & stridor dentium ex frigore constringente.* O quam benè Deus vicem talionis reddit? in amore Dei friguerunt, & stridore dentium pœnam à frigore causatam prodent. *Stridor dentium ex frigore constringente.* Fuerunt ferventes in concupiscentiis, & ideo: *Erit fletus ex calore dissolvente.* Et Dionysius Carthusianus ait: *Certum est quod fletus, & stridor dentium non sint corporaliter in substantiis spiritualibus, scilicet animabus separatis atque dæmonibus, sed ante diem judicii est in eis fletus interior, id est, summa tristitia*, quæ actus est internæ voluntatis *Et dentium stridor, id est, interiorum viscerum horrenda concussio*; qui est actus Physicus, & externus, quo Deum offenderunt *Post diem vero judicii erit in hominibus condemnatis stridor dentium corporalis ex frigore infernali, quoniam ibunt à calore nimio ad aquas nivium.*

D. Matth. cap. 8.

Ludol. Cart p. 1. cap. 64.

Dionys. Cart. in cap 8. D. Matth. art. 16. fol. 31.

20. Hæc omnia tormenta pœnæ exteriores vocantur. *Projicientur in tenebras exteriores.* Et hoc forsan, ut dicit Angelicus; *Quia tunc erunt totaliter alienati à Deo, qui est lux vera.* Sed doctus Celada ait, maximam partem criminum in tenebris noctis committi, ut ergo pœna correspondeat culpæ: *Ejicientur in tenebras exteriores; qui in tenebris sumpserunt gaudia, tenebras inveniant, à quibus acerbissimos cruciatus accipiant: illa ipsa res, quæ tibi modo solatia ministrant, æternorum tibi gemitum materiam ministrabunt. Et ibi erit fletus, & stridor dentium*, ait D. Gregorius, *ut illic dentes strideant, qui de edacitate gaudeant, illic oculi defleant; qui hic per illicitas concupiscentias versabantur, quatenus singula membra supplicio subjaceant, quæ hic singulis quibusque vitiis subjecta serviebant.*

D. Matth. cap 8. D. Thom. in cap. 8. D. Matth. Didac. Ponser. Tom 4. lib. 16. c. 1 §. 19.

D. Greg. cap 21. in Matth in cat. D Thom. fol 76. col. 4.

21. Nunc è tenebris æternæ noctis ad claram lucem diei emergamus. Sancto sacerdoti Zachariæ in templo Altari incensanti Archangelus Gabriel apparuit, ac ei ortum Joannis nuntiavit. *Elisabeth uxor tua pariet tibi filium* Sed sanctus vates se & uxorem suam ætate jam provexos esse sciens à tellure sterili florem tam insignem non posse produci credidit. Hinc replicavit; *unde hoc sciam? ego enim sum senex, & uxor mea processit in diebus suis?* Et D. Dionysius Carthusianus dicit: *Hæc loquutus est Zacharias dubitando, quia non ad Dei omnipotentiam, sed ad naturæ cursum, naturalemque ordinem, & causalitatem respexit.* Angelus incredulitatem privatione loquelæ castigavit. *Eris tacens, & non poteris loqui.* Sed cur non potius cæcitate, vel surditate eum punivit? cur usum ei ademit linguæ? lingua sola verbis Archangeli refractaria fuit, illa sola contradixisse videtur, ergo illa plectatur. *Ecce*, ait Chrysostomus, *inquit Gabriel Zacharia eris tacens, & non poteris loqui linguâ tuâ, quæ ad verborum meorum diffidentiam suam præstitit officium, pœnam suæ incredulitatis, & ideo eris tacens usque in diem quo hæc fient, & non poteris loqui.*

D Luc. cap. 1.

D. Dionys. Cart. in 1. D. Luc.

D. Ioan. Chrysost. Tom. 1. hom. 2. de incompr. Dei natura.

22. Unquamne audivistis, vel legistis, quâ morte occubuerit illa puella saltatrix, quæ in regia dum ob natalem Herodis convivium instrueretur, saltavit? id Nicephorus Callistus recenset. Tempore hiemali, dum rigor anni campos durè habet, dum floribus terram, frondibus arbores exuit, dum lacus, stagna fluvii congelantur, ac lubricos passus sistunt, dum agros nives operiunt, puella illa ad agros venatione se oblectatura pergere decrevit, sine dubio feras ex vestigiis nivi impressis deprehensura sperans. Operi se accingit, lacum congelatum, ac nive opertum vult transire credens esse planitiem, & dum in medio lacus esset, glacies pedibus subtrahitur, submergitur, & dum collatenus voragini illi immergerentur, duæ partes collum stringunt, & ac si essent duo

duo rasores illud præciderunt ; corpus fundo lacus demergitur , & collum in summitate glaciei hæsit. Sed quodnam est hoc infortunium hujus infelicis puellæ: non infortunium imò potius justitia divina fuit. Innoxio præcursori verticem avelli procuravit, ideo aliâ morte occumbere, vel alio supplicio quam decapitatione è medio tolli non debuit Nicephorum adduco : *Filiæ Saltatricis talis fuit obitus; eundum ei quopiam brumali tempore erat , & fluvius trajiciendus , qui cum glacie constrictus coagmentatusque esset , pedibus eum transibat; glacie autem ruptâ, idque non sine Dei numine, demergitur illa statim capite tenus; & inferioribus partibus corporis lasciviens , molliusque se movens saltat non in terra, sed in undis : caput vero scelestum frigore, & glacie concretum, deinde etiam convulneratum & à reliquo corpore, non ferro, sed glaciei crustis resectum , in glacie ipsa saltationem lethalem exhibet, eoque spectaculo omnibus prabito, in memoriam ea, quæ fecerat spectantibus revocavit.* Quotquot aderant, concluserunt, benè ei fit, alia mors ei inferenda non fuit , aliam vindictam à cælo exspectare non debuit, cum millies compertum sit illud, quod Lex ait: *Qui mortem facit, mortem debet pati.* Non solum quoad substantiam facti, sed etiam quoad modum, ut in hac puella videre est.

D. Marc. cap. 6.

Nicephorus Callistus lib. 2. cap. 20.

ff ad l. Cor de Fal lib. 1. §. 1.

23. Plures peccantes à Deo non solum eodem modo, eodem instrumento, sed etiam tempore quo deliquerunt puniri observant. Gennadius Constantinopolitanus Patriarcha narrat, Græcos sacro Pentecosten die Spiritui Sancto dedicato à Saracenis esse subjugatos. Nec sine mysterio, quia forsan processionem Spiritus S. à Patre, Filioque negabant. Sic scribit Gennadius: *Hinc in die Pentecostes ; scilicet in festivitate Spiritus Sancti devenerunt in potestatem Turcarum.*

Genn lib. con Græc.

Hebræos , si credimus Tertulliano, Romani die Paschatis sibi subjecerunt, quia illo die filium Dei innocuè morti tradiderunt: *Iudæi, qui per sacrum Paschatis diem Christi Domini sanguine crudeliter effuso profanarunt: hinc paucis annis recurrentibus eam pœnam subierunt; ut eandem Pascha celebrationem proprio sanguine cruentarent capti à Romanis.* In occupatione urbis Hierosolymitanæ id quod Josephus, sanctus Antonius à Padua posteritati tradiderunt , omittere nolo. Inter alias miserias, quibus Hebræi obsidentibus dictam urbem Tito, & Vespasiano confecti fuêre hæc fuit , quod tantâ copiâ Hebræi servituti subacti fuêre, ut triginta denario vænierint. Nec hoc in admirationem vos rapiat , ex panno culpæ vestis pœna excisa fuit, & monetâ eadem debitum dilutum est. Unum filium scilicet Dei triginta denariis emerunt, & triginta uno denario vænierunt : *Triginta,* verba do Josephi , *Iudæi pro uno numismate dabantur, ut pœna corresponderet delicto.*

Tertull. lib. adv. Iud. cap. 10 & lib. de Orat. c. 14. & lib. 4 conc. Marc. c. 40.

D. Anton. de Padua; Dom. 20. post Pent.

Ioseph. Hebr. de bello Iudaico.

24. Quis genus humanum ob peccatum commissum mortem promeruisse ignorat? noster Redemptor huic pœnæ etiam se subjicere voluit. Sancti Ephrem, Irenæus, Cyrillus, Epiphanius (sicut etiam traditione Scripturarum habemus) cum vigesimâ quintâ Martii, qui in diem Veneris incidit in crucem actum affirmant. Causam audite, eodem die, ac tempore ab Adamo scelus patratum testantur : Nam *eodem tempore, quo homo extendit manus ad arborem prohibitam peccans, eodem tempore extendit Christus manum in arbore crucis pro homine patiens , & eodem tempore quo homo gustavit pomum vetitum, gustavit Christus in ejus pœnam fel, & acetum.*

D. Ephrem in Gen D. Irenæus lib. 5. advers. hæreses. D. Epiphan. Francisc. Lab tom. 3. de peccato prop. 18. fol. 1026. col. 1.

Ergo nil aliud, quàm quando Deus ob peccata nostra nos punit solum in nosipsos nos debere querelas, & lamenta effundere, cùm è gravitate, ac qualitate demeritorum ipse Idæam efformet concludere queo. Sed si è contrario actiones virtuosas, & laudabiles faciamus, pro flagellis, ac suppliciis præmia juxta merita donabit. Ideo in bono crescere studeamus, ut coronam gloriæ , quam nobis per suam misericordiam præstare dignetur obtinere valeamus.

DOMINICA VIGESIMASECVNDA
POST PENTECOSTEN.

Magister, scimus, quia verax es, & viam Dei in veritate doces, non est tibi cura de aliquo, non respicis personam hominum. Dic ergo nobis: Licet censum dari Cæsari, an non? Matth. 22.

ARGVMENTVM.

Ostenditur judices, advocatos, procuratores non debere esse injustos, nec partiales, neque debere aliquem in faciem respicere.

Didor. Siculus lib. 1. re antiq. cap. 1.

1. SI credimus Diodoro Siculo qualitates, & conditiones requisitas in judice, procuratore, & advocato, ingenioso Hieroglyphico Ægyptii clarè expresserunt. Depinxerunt hominem multis libris cinctum, pectus habentem & saphiris, è collo habentem medaliam, cui insculpta erat veritas, tenentemque oculos obfirmatos. Volebant inferre, & in similibus officiis constitutos docere, tales debere esse maturos non ætate, sed sensu & prudentia. Libri, docebant illos debuisse esse litteratos, & virtuosos, saphirus in pectore, qui est coloris cælestis demonstrabat illos debere esse temperiei incorruptibilis: Quia *saphirus non recipit impressiones peregrinas.* Sic neque judex in ferendis sententiis debet moveri ab affectu consanguineorum, munerum, vel amicorum. Medaliâ cui insculpta erat veritas, volebant ostendere illos in decidendis litibus, præ oculis puram, & simplicem veritatem debere habere juxta legem. *Iudex debet omnino inquirere veritatem*: ultimo habebat oculos velatos, ut in administratione justitiæ neminem respiceret; & eum qui his qualitatibus dotatus erat judicem rectum, & integrum proclamabant.

2. Inter Herodianos, & Cæsarem controversia agebatur. Hic sensus, & tributa exigebat, illi se exemptos allegabant. Hinc sanctus Hieronymus: *Nuper quidem sub Cæsare Augusto, Iudæâ subjectâ Romanis, quando in toto orbe est celebrata descriptio, stipendiaria facta fuerat. Et erat in populo magna seditio, dicentibus aliis pro securitate, & quiete, quá Romani pro omnibus militarent, debere tributa persolvi. Pharisæi vero, qui sibi applaudebant in justitia, è contrario nitentibus non debere populum Dei, qui decimas solveret, & primitias daret & cætera quæ in lege scripta sunt humanis legibus subjacere.*

D. Hieron. in Cat. D. Thom. in cap. 22. D. Matth.

Ut hæc tributa exeuterent Herodes filius Antipatris, qui illo tempore erat Rex in Judæa Christum Salvatorem nostrum, qui omnibus conditionibus supradictis præditus erat in hac causa advocatum, & judicem elegit. Erat Christus magnæ prudentiæ, judicii maturi, vocabatur ab iis magister, & sic non deerat ipsi scientia, vel literatura. E collo gestabat veritatem: *Scimus, quia verax es*, & viam Dei in veritate doces. In ejus pectore erat saphirus coloris cælestis, qui non recipit impressiones affectuum magis circa hanc quam illam personam. *Non est tibi cura de aliquo.* Oculos habet velatos in judicando, nullam partem attendens: *Non enim respicis personam hominum.* Ut sitis imitatores hujus hiero-

hieroglyphici imò ipsius Filii Dei, hoc mane judices, procuratores, & advocatos (cum in hodierno Evangelio fiat sermo de litibus, tributis, censibus, & vectigalibus) exhortabor ne sint injusti: *Scimus, quia verax es, & viam Dei in veritate doces,* ne sint partiales. *Non est tibi cum Deo aliquo*, & ne ullum attendant, sive sit dives, sive pauper. Consanguineus, vel extraneus, amicus, vel inimicus: *Non enim respicis personam hominum.* Et sine dubio erit judex integerrimus.

PARS PRIMA.

Magister, scimus, quia verax es, & viam DEI in veritate doces.

3. INter omnes defectus, quos potest habere ille qui administrabat justitiam genus generalissimum est, esse injustum, nec æqua lance administrare omnibus justitiam. Et quid non egerunt gentiles ut hanc maculam effugerent. Plutarchus de Rege Artaxerxe refert, quod cubiculario, cui magna summa auri si certam gratiam, nescio, an pro se, vel alio contra justitiam obtineret: promissa fuit. Rex ne injustitiam committeret, promissam pecuniam numerari fecit: *Quæstori ærarii sui mandavit, ut triginta millia duricorum ad se deferret, & allata dedit cubiculario, dicens: Accipe, nam hæc tibi cùm dedero, non ero pauperior; injustus autem futurus, si ea quæ petebas, dedissem.* Sanè melius si illum castigasset docendo omnes ne peterent gratias illicitas, & ne provocarent superiorem ad id quod non decet, & ad justitiam lædendam; sed voluit hoc facto clementiam prævalere.

Plutar in Apo. Regum.

4. Publius Rutilius dum Romæ gubernaret cuidam è servis, & amicis favorem oppositum directè justitiæ denegavit. Indignatus est alter, & dixit: Quid mihi prodest tua amicitia, si mihi gratiam quam peto, negas? cui prudenter occurrit Rutilius, dicens: *Quid mihi opus tua amicitia, si me urgere cupis, ut in leges justitia tua causa peccem?* responsum revera non gentilis, sed Christiani.

Franc. Lab. verbo Iudex pr. 1 fol. 716.

Quid dicemus de justitia Alexandri; nunquam potuit induci ab Olimpia sua matre, ut vitam innocenti adimiret, quamvis illa novem menses, quibus eum utero gestavit, interponeret. *Sed humanissimè respondit, aliam parens optima de me, quamvis mercedem justam posce, hominis enim vita nullo beneficio compensatur.* Rex Alchamenes quædam munera, à Missenis sibi oblata cùm recusasset causam rogatus ita narrante Plutarcho dixit: *Si recepissem, pacem cum legibus habere non poteram? O mentem*, inquit Plutarchus, *Rege dignam, quæ magno, & obvio lucro legum authoritatem antepostuit.*

Francisc. Sen lib. 3. de inst. Reipubl.

Plutarch. in Apos. rigum.

Simonides Poëta à Themistocle favorem justitiæ contrarium pro quodam amico postulabat, cui Rex prudenter respondit: *Nec tu Simonides bonus eris Poeta, nisi mensuram, & modum in canendis carminibus, quæ scribis, curaveris, neque ego bonus prætor, si legibus & justitia alicujus præposuero gratiam.*

Fulgos. lib. 6.

Bias unus è septem sapientibus Græciæ dum (judex erat) in quendam mortis sententiam ferre deberet, ejus infelicem sortem deplorare cepit. Et replicantibus quod liberare eum posset, respondit: *Necessarium quidem esse natura condolere à lege autem, & justitia regula discedere pernitiosum esse.*

Stobæus serm. 44.

Aristides Atheniensis cognomine justus electus in judicem, nec amicos, nec consodales amplius curavit, & hoc non ex gravitate vel superbia sed ne sub prætextu amicitiæ justitiam lædere cogeretur. *Ab horruit ab omni factione, & amicitia, ne adigeretur ad aliquid faciendum quod justum non esset, aut cogeretur abstinere ab eo quod reipublica judicasset convenire.*

Plutarch. in Apoph. Græcor.

Simile quid fecit Clæus vir prudentissimus, & sapientissimus creatus enim judex omnibus amicis convocatis declaravit cum omni humanitate nodum amicitiæ ab hinc dissolvendum, & eos velut incognitos, & nunquam visos à se tractandos. Timebat fortè actum injustitiæ à se eorum gratia committendum. *Amicis in unum convocatis locum, eam quam cum illis inierat amicitiam dissolvit tanquam quæ in administratione civitatis rectum, ac justum institutum emolliat.*

Anton. Melis. p. 2. serm. 1.

5. Salomon à Deo sapientiam, & intellectum postulabat: *Da mihi Domine sapientiam, & intellectum.* Sed cur? sciebat, si hæc duo adessent in admiratione justitiæ, reliqua in regno bene se habere. Hujus petitionis causam assignat sanctus Fulgentius dicens. *Vt sciam inter justum, & injustum judicio secante dividere, ne mea sententia tibi incipiat displicere, & incipiat populus tuus sub meo tam parvo, & minus instructo examine laborare.*

D. Fulgen. hom. 10. de Salo. Iud.

Postquam omnipotentia divina Adamum creasset in campo Damasceno, introduxit eum in paradisum terrestrem, ut Dominus esset omnium deliciarum paradisi. Revera hic actus summæ benignitatis fuit, sed mox ut est transgressus præceptum divinum, *ejecit eum de paradiso voluptatis*: Deus hic videtur mutabilis, dum ei primo paradisum donat, eumque ipsi postea negat. An non Adamus erat imago divinæ majestatis? an non erat ita charus, & amicus Deo? cur ergo eum proscribit paradiso? si commisit errorem, Deus illius deberet oblivisci, vel saltem illum dissimulare. Oblivisci? dissimulare? & quid dicet justitia? juxta meritum puniatur, castigetur si hoc promeritus sit, nec attendatur quod habeat meam imaginem, quod sit mihi charus, & amicus. *Gratia fuit*, inquit Rupertus, *quod hominem foris plasmatum in paradiso Deus posuit. Iustitia vero, quod datum peccanti rursus abstulit.*

Rupert. Abb. lib. 3. cap. 23. in Gen.

6. Job justitiam à se administratam his terminis describit: justitiâ indutus sum, & vestivi me sicut vestimento, & diademate judicio meo. Qualis est hæc metaphora, quod justitia ita vestiatur? vult dicere justitiam ita à se administratam, sicut homines uti solent vestimentis. Maxima industria adhibetur, dum homines se vestiunt, ne in vestitu sit aliqua deformitas, vel macula, quæ spectantes offendere possit. Volebat ergo dicere Job. Ita accuratè administravi justitiam, ut absque fastu gloriari possim. Nullius vel capillum læsi, cuilibet suum tribui, nemo meam justitiam sive commutativam, sive distributivam, aut vindicativam accusare potest. Sic divus Chrysostomus intelligit verba Job: *Non fuit ex hominum genere, quæ cateris præ sunt: verum ipsorum vita turpis est, & in gloria: non ita hic noster. Sed quid ille? vestitus sum, inquit judicio, hoc ego vestitus genere exornabar.*

D. Ioan. Chrysost. in Catena Græca.

7. Rex David qualitates Messiæ venturi oculo prophetico prævidens de eo sic dixit; *Reges eos in virga ferrea.* Sed si Messias Christus noster fuit mansuetus & benignus, & omnes ejus actiones fuerint rectè, & à clementia gubernatæ, quomodo potuit dicere David, quod administraturus sit justitiam per virgam ferream, quæ significat rigorem? quod per virgam significetur justitia expresse affirmat Cajetanus. *Iudicium per virgam ferream aptissimè significatur.* Per ferrum denotatur rectitudo inflexibilitatis. Sic sanctus Remigius Antisiodorensis: *Tu regis eos in virga ferrea, id est, inflexibili justitia, non in humana justitia, quæ facilè mutatur, quia quod semel est justum apud eum, nunquam erit injustum, vel quod injustum, nunquam erit justum.* Et sanctus Pater Augustinus: *In virga ferrea*, hoc est, *inflexibili justitia.* Propheta ergo dicere voluit, Messiam adeò futurum inflexibilem in justitia, ut absque ullo respectu amicitiæ, vel consanguinitatis præmia bonis, supplicia malis decreturus sit. Hinc Cardinalis Bellarminus. *Hic significatur potestas Christi in Ecclesiam, & in homines summa, & iustissima, ut possit tam facile bonos remunerare, & impios suppliciis afficere.* Sed audite quid subdat: *Erudimini, qui iudicatis terram*; hoc est, discite iudices iudicare *in virga ferrea.* Sitis inflexibiles, ne sinatis vos moveri passionibus, affectibus, amicitiâ, multò minus consanguinitate, sic eritis iudices iusti, & inculpabiles; nam *Iudex*, inquit Lex, *non dicitur nisi sit iustus, & cum iustitia iudicet. Hortatur eos*, inquit Cardinalis Bellarminus, *ut corrigant iudicium, intelligant veritatem, eruditionem suscipiant, deinde hortatur ut corrigant pravum affectum.*

Psalm. 2.

Remig. Antisiodorensis ibid. in Biblia vet. PP. part. 2. fol. 634. col. 1

D. P. Aug. ibid.

Card. Bellarm. ibid. fol. 9. v. 9.

C. iusgenerale 1. di. Bellarm. ibid. num. 10. fol. 10.

8. Sed quomodo poterunt esse tales si se ostendant partiales, *& non sit iis cura de aliquo*? sic observat Philo; *Ideo docet bonum judicem personas, quæ judicantur non animad-*

Phil. libro de judice. *madvertere, sed solum negotium negotiorum sinceram notitiam, nudamque considerare.* Ego credo quod noster Salvator historiam Epulonis, & Lazari proposuerit, ut judices, ne sint partiales doceret. Dives Epulo, naturæ debitum solvit, & sententia fertur ut sepeliatur in inferno, & juxta gravitatem culparum torqueatur: *Mortuus est dives, & sepultus est in inferno.* Similiter defungitur mendicus Lazarus, & gratiosam accipit sententiam ut ab Angelis ad sinum Abrahæ deportetur. *Factum est, ut moriretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinu Abraha.* Ille est dives, & contrariam accipit sententiam, hic est pauper, & miserabilis, & obtinet decretum favorabile, & tamen ille nummis, & amicis prævaluit, hic omni auxilio destitutus fuit. Deus hoc actu justitiæ judices docere voluit ne magis divites, quam pauperes respiciant, sed justitiam, & æquitatem ament: debent conformari judicio Dei, de quo ait Chrysostomus. *Quamvis sit dives, quamvis potens, quamvis alicui notus, & familiaris, hæc omnia sunt illic inutilia. Illic unusquisque ex factis punitur, & coronatur.* Sed si hi duo ambulassent in jus humanum vidissemus Lazarum quia pauperem tumulatum fuisse in inferno, epulonem vero tanquam divitem ad sinum Abrahæ ablegatum, ut delitiis frueretur.

D. Luc. c. 16.

D. Ioannes Chrysost. in psal. 48

9. Magnus vates Israëlis loquens de Deo sic dixit: *Deus stetit in Synagogâ Deorum, in medio autem Deos dijudicat.* Textum difficiliorem in omnibus psalmis non inveni. Videamus an sacri expositores eum intelligere potuerint. *Deus stetit*; in Hebræo legitur *Elohin* quod propriè significat Deum judicem. Per τὸ. *Deos* in plurali, Cajetanus intelligit *judices.* Idem asserit Bellarminus. *In synagoga Deorum*; *synagoga Dei nihil est aliud nisi conventus judicum à Deo constitutorum, quibus etiam nomen suum impertivit, quia communicavit cum illis authoritatem judicandi.*

Psal. 81.

Cajet. ibid.

Bellar. ib.

Sed cur Deus velut judex est in medio judicum? possem respondere, cum eodem ut judices in ferendis sententiis Deum in medio eorum esse qui illos judicabit considerent: *Quod certe multum prodesset judicibus, si serio cogitarent, in conspectu summi judicis omnes causas judicari: Deus (inquit) stetit, id est semper assistit præsens invisibili majestate. in synagoga Deorum, id est in conventu, & consessu judicum, dum causas populi judicant.* Sed Remigius Antissiodorensis aliam dat explicationem super illa verba *in medio. Qui est in medio æqualiter à circumstantibus videtur, & quia Deus communis est omnibus rectè in medio positus dicitur*; nam certissimum est apud Mathematicos, quod *medium* æqualiter distat à qualibet parte circumferentiæ. Ergo ex eo quod Deus steterit velut judex in medio synagogæ, circumdatus à judicibus, infertur eum docere voluisse, ut judices semper sint in medio, nec magis in hanc, quam in illam partem, magis in divitem quàm pauperem, magis in nobilem, quàm ignobilem propendeant. Hoc credo voluisse inferre sanctum Basilium: *Adsunt tibi ob oculos fratrum differentiæ, hic pauper ille dives, hic hospes, alius domesticus, si judicaveris, ne inæqualia videas, divitem, sublimem, pauperem, & humilem.*

Idem ibid.

Remigius Antiss. in psal. 81.

D. Basilius hom. 21.

10. Caput quintum Matthæi nil aliud tractat quàm de legibus: *Non veni solvere legem sed adimplere: iota unum, aut unus apex non præteribit à lege.* Et cum postea tractet de justitiâ, quâ leges conservantiæ: *Nisi abundaverit justitia vestra plus quam scribarũ, & Pharisæorum*, sunt necessarii ministri. Quin imo ait Christus hi sunt Apostoli, qui ibunt per mundum, hi defendent, judicabunt, ferent sententias, & ut benè hoc officium præstent. Erant sicut sol, & *sal*: *Vos estis lux mundi, vos estis sal terræ.* Cur sicut sol? Forsan, quod sicuti hic planeta nunquam quiescit sed continuo movetur, sic judex, & advocatus debet continuò studere, & revidere statum causæ? sententiam affirmativam, vel negativam absque dilatione de die in diem debet proferre sciens litibus sopitis lucra cessare. Omnia bene, sed quis nescit solem non esse acceptatorem personarum, locorum, & regionum? omnes illuminat, sive princeps sit, sive servus, sive nobilis, sive plebeus, sive dives sive pauper, *Sol omnibus lucet, & calorem æqualiter impertitur, nec pauperi minus, nec diviti magis concedit, sed omnibus æquè licet, & calorem exhibet.* Tales deberent esse judices. *Vos estis lux mundi.*

D. Matth. c. 5.

Franc. Lab 1. verbo judex.

11. Quo

11. Quo ad sal observandum est illud componi ex duobus elementis contrariis, quæ semper litigant, igne scilicet, & aqua. *Sal* inquit, sanctus Hilarius, *est in se uno continens aqua, & ignis elementum.* Et esto aqua, & ignis sibi contrarientur, tamen in sale uniuntur, & hoc ideo, quia sal non est magis partiale, erga aquam, quam ignem. Facite ut sit partiale erga ignem, dum eum sali injicitis statim, videbitis, quod aqua se opponat, strideat, & strepitet; sic si eum faciatis partialem erga aquam, ignis indignabundus abit, sal liquescit, & in aquam resolvitur. Sunt duo elementa contraria duæ partes quæ litigant, judex debet esse sal. *Vos estis sal terræ.* Nulli parti magis quam alteri favere debet. Si uni magis faveat quam alteri, *si sit ei cura de aliquo*, altera pars obstrepet, te proclamabit partialem, & passionatum, & suspectum te habebit. Porrò si adhæreas alteri parti desinis esse sal, argueris, vel destructor justitiæ, præjudicabis tuæ famæ, & anima tua malum finem habebit. Si autem econtrario non sit tibi *cura de aliquo*, sed bilancem justitiæ æqualiter libres, litigantes erunt quieti, non murmurabunt, sed sal conservabitur in reputatione sui esse. *Mirum judicis symbolum, quando enim duo litigant inter se, judex eos quantumvis oppositos, sicut salignem, & aquam debet continere pacificè non adhuc potius, quam ad illum propendens. Quod si ad se aliquis eorum trahere contendat, debet sicut ab igne sal statim velocissimè resilire: quod si remanserit, aut in igne comburi, aut in aqua resolvi, & perire illum oportet: unde merito Christus ad divinos judices illos; vos estis (inquit) sal terræ.*

D Hilar. in Matth. cap. 4.

Franc. Lab ap. par. conc. t. 1. verbo judex pr. 2.

12. Cardinalis Ægydius, principibus documentum tradit non quod concernit dignitatem, sed officium de justitiâ administrandâ, *ne sit* inquit *specularis, sed opacus princeps.* Non sit instar speculi cujus proprietas est repræsentare species colorum. Sed si quæratis qualia objecta repræsentet? respondeo vicina, & non remota. Turpe est quod judex respiciat vicinos vel per affectum, vel per cognationem, *ne sit specularis, sed opacus princeps.* Non se ostendat partialem nec rationes unius magis, quam alterius prævalere sibi fingat. *Opaci existât, nec vicinos agnoscant, nec facile contra veritatem frangantur: quippe speculares illi, ut habent instar speculi adjunctis, & vicinioribus præoccupari.*

Ægydius de Reg. Principis.

Didac de Baeza t. 3. lib. 14. c. 2 §. 18.

Proprietatem contrariam speculo habuit verbum incarnatum, de quo sic scripsit sanctus Evangelista Joannes: *Verbum caro factum est.* Si sit factum homo debebat potius dicere, *Verbum homo factum est*, vel cum anima sit nobilior, & propinquior Deo, quam corpus ob spiritualitatem debebat dicere, *verbum anima factum est*, quia *denominatio debet fieri à nobiliori.* Voluit demonstrare se non habere conditionem speculi, idcirco denominari à carne voluit *Et verbum caro factum est.* Hinc Theoderetus *anima enim cognationem aliquam habet cum Deo, caro autem nullo modo cõmunicat cum Deo.*

D. Ioan. cap. 1.

L. cum ex aliq. ff. de acquir. re. Do. & L. quæritur. ff. de stat homi. Theoph.

12. Dum sufficiendus aliquis esset in Apostolatum loco Judæ duo præsentati fuerê, Matthias scilicet, & Joseph cognominatus Barsabas. Apostoli ad orationem confugerunt, ut Deus ostenderet quisnam sibi placeret: *Ostende quem elegeris ex his duobus.* Sortes miserunt, & Deo volente sors Matthiam tetigit: *Et cecidit sors super Matthiam, & annumeratus est undecim Apostolis.* Ego scire vellem, cur Deus non inspiraverit, ut potius eligeretur Joseph. An forte non fuit aptus officio Apostolico? an forsan non fuit illo officio dignus? quin imò: fuit enim sanctus, & ad illud officium aptissimus. Ut ergo veritas sciatur in memoriam est revocandum Joseph fuisse fratrem Jacobi minoris, & consequenter consanguineum, & cognatum Christi. Dicere ergo Salvator voluit ne dicar in hac electione fuisse partialis cum meo cognato, & me esse speculum, quod repræsentat objecta vicina, negligam Joseph, & eligetur Matthias, qui mihi non est conjunctus. Sic Dionysius Carthusianus. *Ioseph, id est Barsabas fuit frater Iacobi minoris, & consanguineus Christi, sicque per hoc quod Christus huic Ioseph Matthiam in Apostolatum præposuit, docuit quod ex consanguinitate, aut carnali affectu non sunt homines ad Ecclesiastica beneficia, aut officia promovenda.*

Act. Ap. 1.

Dionys. Cart. in c. 1. Act. Ap. l. B.

Judices ex hoc poterunt discere ut sint erga omnes indifferentes, nec se permittant moveri affectibus, amicitia vel consanguinitate. Sic imitabuntur Christum cui fuit dictum à Pharisæis, *non est tibi cura de aliquo.*

13. Alphon-

13. Alphonsus Aragonum Rex judicibus expressè mandavit ut dum pro tribunali sederent omnes passiones mitterent: *Dicebat sapiens Rex, ut in judiciis, & synodis, in senatibus, & in conventibus, in quibus de rebus publicis consultatur, privatos affectus ponerent, hi enim sunt, qui omnia pessundant* Non erunt passionati, nec partiales si aurem actori, & reo præbeant. Id fecit Pellæus judex ætate juvenis, sed judicio maturus; hanc quidam Poëta sic canens laudavit.

Achill. Bochius in delitiis Ital p.1 f.447

Olim Pellæus juvenis cum forte sederet
Iudex, & actori alteram
Interea digito prudens occluderet aurem?
Interrogatus à suis
Cur nam sic faceret? satis actori est, ait, una,
Servo alteram integram reo.

Et quis non scit etiam diabolum in judicio esse audiendum, alias sententia erit nulla & invalida, & esto foret justa adhuc tamen judex proclamaretur ut iniquus. Hinc dixit ille Poëta.

Antonius Macinell. in del. Ital. p.2 f. 9.

Si quis in auditis ambabus partibus ullum
Iudicium profert, justum licet; extat iniquis.

D. Athan. Apolog. 2.

Et inter scriptores sacros sanctus Athanasius dixit. *Ea quæ inaudita altera parte fiunt, nihil habere roboris, nemo mortalium ignoraverit Non est moris Romani gratiæ adversariorum donare hominem reum, qui nondum, accusatores ante oculos suos habuit, aut respondendi locum de crimine adeptus.*

D. Clem. Rom lib. 2 ap. constit. cap 51.

Et sanctus Clemens Romanus. *Diximus vero non esse æquum altera tantum parte audita, judicare: Etenim si alterum audiatis, cum alter abest, & cum nihil ad illorum crimen responderit, sententiam de damnatione ejus tuleris apud Deum justum judicem reprehendamini.*

Salvator noster postquam audivisset partem Pharisæorum qui nolebant vestigalia solvere. Voluit à Cæsarianis sibi ostendi monetam: *Ostendite mihi numisma census. Cujus est imago hæc, & superscriptio?* & postea tulit sententiam: *Reddite ergo, quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo.* Et videntes judicem judicasse sine passione acquieverunt, nec sciverunt quid responderent, sed obmutuerunt; *Et audientes mirati sunt,* nec replicarunt, vel ad aliud tribunal appellarunt, sed *relicto eo abierunt.* O judicium integerrimum; ô judicem inemendabilem!

14. Nonnulli censuerunt, judicem debere carere manibus & oculis, hoc est nullum debere spectare, ita ut de illo possit dici, *non respicit personam hominis*, nec admittit munera. Utramque conditionem expressit ille Poëta, qui coloribus verborum effigiem calamo expressit.

Plut. Stobæus Alex. ab Alex. lib. 3. dier. Gen. c. 5. ap. Theban Claud. verderius in delitiis. p. 2 fol. 1129.

Deficiens natura facit portenta: sed justum,
Duplici deficiens perficit illa modo.
Quot manibus caret, atque oculis, perfectus habetur;
Ni careat, merito mancus habendus erit.

Et alter non minus doctè subjunxit.

Petrus Castalius Nozereni in delitiis. p. 1 fol. 828.

Sit manibus truncus judex, sit lumine captus
Qui volunt in nostro dicere jura foro.

Sine oculis hoc est, *Non respiciat personam hominis.* Hunc in finem judices Athenienses Areopagi nocte pro tribunali sederunt, & advocatos tantum audierunt, ut non attenderent loquentes, sed ea quæ dicerentur. Et hinc mos apud illos inolevit, ut cortinis absconditi sententiam dicerent.

15. Christus parabolam decem virginum, quarum quinque erant prudentes, quinque fatuæ introducit: *Simile est regnum cælorum decem virginibus, quæ accipientes lampades suas, &c.* Omnes ad nuptias admitti prætendebant; sed sapientes sententiam habuerunt favorabilem, & fuerê admissæ: *Venit sponsus, & quæ paratæ erant intraverunt cum eo ad nuptias, & clausa est janua* Accedunt postea quinque fatuæ, & invenientes ostium clausum intromitti postulabant; *Domine, Domine aperi nobis.* Sponsus acclinat se ad fenestram, atque illas repellit, sed audite quibus verbis? *Amen dico vobis nescio vos*, scire velim cur illas non repellat aliis verbis, exempli causâ, ut habeant patientiam, nuptias pro iis non esse paratas, eas non esse dignas, quæ admittantur, ideo abeant. Verum

D. Matth. cap. 25.

D.Th in c.25. D. Matt. rũ his omiſſis paucis ſe expedit dicẽs, *Neſcio vos, id eſt non approbo vos* dicit Angelicus. D. Hieronymus ſic ait: *Novit enim Dominus eos, qui ſunt ejus, & qui ignorat ignorabitur, & licet virgines ſint, vel corporis puritate, vel vera fidei confeſſione tamen qui oleum non habent, ignorantur à ſponſo.*

D. Hieron. ib. in Cat. D. Thom.

Et quidam author modernus ad meum propoſitum reſpondet: *Neſcio vos*: Ac ſi diceret oculos habeo obvelatos, nec vultus veſtros obſervo, an ſitis venuſtæ, juvenes, ſenes, nobiles, ignobiles, divites, vel pauperes, ſolum attendo merita cauſæ: *Neſcio an venuſtæ ſitis, & gratiarum manibus facta puellæ: Neſcio an ſitis venuſtæ nobilitate conſpicuæ, & in tenerâ ætate. Neſcio an opulentæ, & procerum neceſſitudo vos tueatur, & vindicet à periculo non bonæ cauſæ. Perſonas, & earum qualitates quaſi neſcio, & cauſæ merita tantum ad judicium ſcio.*

Didacus Celada in Iudith c 8 § 24 nu. 92.

Sed maxima pars judicum hujus temporis reſpicit perſonam hominum, attendit an aliquis ſit dives, nobilis.

16. Antequam finiam primam partem, aliam ſcripturam, adducere volo. In Hebræos inciderat mulier adultera, quam juxta legem Moyſis lapidibus obruendam allegabant. Sed voluerunt ei porrigere aurem, ejuſque rationes audire. Dederunt ei locum ut ſe defenderet, & noſtrum Salvatorem advocatum ejus conſtituerunt: *Magiſter hæc mulier modo deprehenſa eſt in adulterio, in lege mandavit nobis Moyſes lapidare. Tu ergo quid dicis?* Chriſtus ſe inclinat, vultum deprimit, oculos dejicit, & extendens dexteram ſcripſit in terrâ: *Inclinans ſe digito ſcribebat in terra.* Cur non erigit vultum uti debet judex facere, dum fert ſententiam. Forſan ſe inclinat ut legem obſervat, quæ ſic habet: *Iudex debet ferre ſententiam in ſcriptis.* Erro ſi non id fecit ad docendum judices, ne accuſatam accuſatores in faciem reſpiciant. *Hoc fecit Ieſus cum ferre ſententiam contra adulteram rogaretur: Duo hoc facto innuit, quod imitari debent judices; inprimis inclinavit ſe deorſum, ut terram tantum modo reſpiceret, & à rea & accuſatoribus vultum averteret.*

D. Ioan. cap. 8.

Ioan. Pineda in Eccleſ. c. 11.

Ut ſciretur ſe velut judicem partialem nullius faciem attendere: *Non reſpicit perſonam hominis, hoc imitentur judices, & neque accuſatores perſonam ſuſcipiant.*

17. O quot ſunt Judices, qui non faciem, ſed burſam ſpectant, apud hos dives prævalet, & omnibus aliis antefertur. Pro his non habent portarium, nec unquam eſt incomoditas illos audiendi. Sacri Evangeliſtæ de Joſepho ab Arimathia ſic loquuntur. *Introivit audacter ad Pilatum, & petiit corpus Ieſu.* Duo hic admiror. Primo cur ita audacter Pilatum acceſſerit, & ſine aliquâ apulsâ voti compos factus fuit: *Tunc Pilatus juſſit reddi corpus.* Et ſi cauſam ſcire vultis eam aſſignat Dionyſius Carthuſianus, *erat nobilis decurio, id eſt unus de curialibus.* Ergò pro illo nullus ſit portarius intret quando placet, detur illi quod placet, & intret quando lubet. Sic obſervat Paſchaſius Ratbertus: *Dives dicitur, ut oſtenderet cauſam quare à Pilato potuerit impetrare corpus Ieſu, vel unde acceſſum ad eum habuerit.* Si fuiſſet pauper menſis effluxiſſet, antequam haberet audientiam, & dein negativum reſponſum habuiſſet cum optimis verbis: *Pauperis, & ignoti non erat facultas ad Pilatum præſidem Romanæ poteſtatis accedere.* Illud Homeri ejus curiæ inſcribi potuit.

D. Paſch. Ratbert. in D Matth. in Biblia veter. Patrum.

Ipſe licet venias muſis comitatus Homere
Si nihil attuleris, ibis Homere foras.

Io. Sareſb. lib 5. c. 10. fol. 247.

18. O quam verbis acerbis perſtringit tales ſummus Pontifex Innocentius Tertius, *Væ vobis qui corrupti prece, vel pretio, qui tracti amore, vel odio, dicitis bonum malum, & malum bonum. Vos enim non attenditis merita cauſarum, ſed merita perſonarum; non jura, ſed munera, non juſtitiam ſed pecuniam, non quod ratio dictat, ſed quod voluntas affectat: non quod lex ſanciat, ſed quod mens cupiat. Non inclinatis animum ad juſtitiam, ſed juſtitiam inclinatis ad animum, non ut quod licet hoc libeat, ſed ut liceat, quod hoc libet.* Hi non habent aliam legem, quam propriam voluntatem.

Innoc. III. de contẽptu mundi. lib. 2. c. 4.

Sic volo ſic jubeo ſtat pro ratione voluntas.

Not Gl iſti de uſucapt. §. Lurtive quoque.

Væ vobis, qui reſpicitis perſonam hominis. Damnati eſtis, & cælo excluſi. Divus Joannes cœlum apertum, & omnes beatos circumſpexit. *Vidi turbam magnam, quam dinu-*

Apoc. c. 7.

dinumerare nemo poterat. Et ex qualibet tribu Israelis erant duodecim millia: *Ex tribu Iuda duodecim millia signati*. Sola tribus Dan fuit exclusa. Sed cur? Dan interpretatur *judicans*, vel *judicium*. Sic prædixit moribundus Jacob. Hoc cœlo excluditur. Audite Hugonem: *Tribus Dan, idest Advocati non numerantur in catalogo Sanctorum. Dan interpretatur causa, vel judicium, & significat Advocatus, & contentiosus, quibus timendum est, ne à numero servorum Dei excludantur.* Scio quod tibi displiceant mea verba, sed Deus odit tuas actiones, & tamen te non emendas, sed omni die fis pejor. Responde ad interrogationem, quam tibi proponit meus beatus Thomas, *tu quis es, respondebis ego sum judex, prætor, decurio, præfectus, magistratus, censor. Et nunquid servas rectam regulam? non possum omnino, sed necesse est aliquando aliquantulum flectere precibus, & rogatui aliquorum procerum, & præcipuè eorum, qui apud Regem gratia, & favore præstant. Intercedit amicus, cui si nego, cum vituperio reijciar ab officio. Et nunc quid accipis munera? aliquando; nam non possum sustentare domum meam, salarium est modicum, sumptus immodicus, non equidem agros fodere, aut arare queo, ex meo officio alendus sum. Et utinam agros arares, vel foderes, melius enim fuisset esse aratotorem quàm judicem.*

Gen. c. 49. — B Thom. à Villa Noua Dom. 3. Adventus — D. Pasch. Ratbert. in D Matth. in Biblia veter. Patrum. — Io. Saresb. lib 5. c. 10. fol. 247. — Innoc. III. de contẽptu mundi. lib. 2. c. 4.

Quàm melius esset tuæ animæ ut esses Agaso, quàm Advocatus, dum es injustus, & regis in virga arundinea, & non ferrea. Deus vos liberet à medico, & advocato, ille vitam, hic opes vobis auferet, & quiesco.

ALTERA PARS.

19. Diximus superius judices debere carere oculis, & tamen sunt Argi. Et quod pejus est cum non debeant habere manus, sunt tamen Briarei, apud quos plus valent manus nummatæ, quam rationes. Thamar uterum gerebat: *instante autem partu apparuerunt gemini in utero.* Hi duo certarunt quisnam primus egrederetur; sciebant forsan, huic primogenituram & hæreditatem deberi. Zara manum extendit, quæ ab obstetrice fuit signata, & cum retraheretur Phares primò est egressus. Cui putatis assignatam primogenituram? sine dubio dicetis Phares, qui primò natus est: erratis, sed illam obtinuit Zara, nec aliam ob causam nisi quod prior extenderit manus. Si inter duos agatur lis de hæreditate, vel gravi summa pecuniæ, quem putatis obtenturam sententiam? ille, qui majora munera manu extendit. Zara vincit

Gen. 38. — Not Gl ssi de usucapt. §. Lurtive quoque. — Apoc. c. 7.

20. Plutarchus Stratoclem, & Democlidem duos judices dum ad tribunal irent hæc verba dixisse scribit: *Eamus ad messem auream, sic enim tribunal, & curiam appellare consueverunt.* Id eos dixisse credo, quia non intenderunt veritati, sed lucro proprio. Audite Angelicum: *Hodie in Italia judices facti sunt mercenarii, sicut & Domini; unde agunt non ad utilitatem subditorum, sicut & Domini: sed ad lucrum præstituentes in mercede finem.* Porrò litigantes patiuntur instar panni madidi, qui comprimitur, sic unus judicum, vel advocatorum ex una parte exprimit negando, & alter ex altera parte affirmando, sic ambo eliquant aquam, imò sanguinem, & substantiam miserorum hominum. Et demum litem magis profuisse advocatis, quàm clientibus videmus.

Plutarch. in præc. polit. ad Trajan. — D. Thom. in Regibus Princip.

21. Recordor me legisse apud divum Chrysostomum litem, quæ mirabilem finem habuit. Quidam Dominus agrum in quo thesaurus latebat communi pretio vendidit, emptor dum foderet, ut arbores plantaret thesaurum invenit, & quia erat homo conscientiosus venditorem adiit, dixitque (quis id crederet) ut thesaurum acciperet, se emisse agrum & non thesaurum, negavit id venditor dicens se agrum cum omnibus contentis vendidisse. Id ego non crederem, nisi os aureum tantæ authoritatis id testarentur. Judicem adierunt. Qui ne ulli parti injuriam faceret, & ne ullam haberent ansam conquerendi sibi thesaurum applicuit. *Dixit enim se quæstionem soluturum, & se possessorem futurum.* Observavit regulam: *Tertius gaudebit.*

D. Ioannes Chrys. hō. 30. ad pop. Antioch. — Paulus Aresius l. 6. p. 1. de vitiis imp. 161. v. 20. fol. 294.

22. De duobus rusticis idiotis narratur, quod in silva simul itinerantibus luscinia quædam cantillare inceperit. Incepit unus affirmare illam avem sibi cantasse. Miror replicavit alter factum tuum, nam mihi cecinit; litigare inceperunt, &

rem ad arbitrum detulerunt, & ut uterque ejus gratiam venaretur, certarunt quis muneribus alterum superaret; citavit illos quadam die ut sententiam audirent, quam hujus tenoris tulit. Sciatis avem mihi solùm cantasse, & nulli vestrum, ideo ego vici. An hæc sit fabula ignoro, hoc verissimum esse scio in litibus neminem præter advocatum lucrari.

Et quod pejus est nunquam contentantur, sed omnia ad bonam solutionem admittunt. Audivi uni horum, nonnullos fructus in scutella fictili artificiosissima fuisse missos cum mandato ut bajulus omnia illi daret, sed ut judici scutella in manibus est consignata, ex ejus manibus cecidit, & fracta est, verùm hæc verba subjunxit, si fuisset argentea, nequaquam esset fracta. O aquilam rapacem, ô harpyam cupidam, ô lupum rapacem. Hos
Psal. 81. deploravit vates regius: *Vsquequo judicatis iniquitatem, & facies peccatorum sumitis?* Quousque ob vestrum lucrum justitiam, & leges violabitis? Quando à vestris peccatis, & injustis sententiis desistetis. Si judex nil aliud significet, quam secundùm leges judicans, vos nomen tantum judicis habetis. *Et facies peccatorum sumitis*, id est jus dicitis, nam secundùm justitiam, sed in favorem amici, divitis, vel benefactoris. Sic Bellarminus *porrò sumere faciem peccatorum in judicio, nil est aliud, nisi talem sententiam ferre, non qualem justitia exigit, sed qualem requirit amicus, vel benefactor, vel cognatus: Et hoc idem est respicere in faciem hominis, non in regulam justitiæ.* (Card. Bellarm. in ps. 81. v. 3.)

Vel etiam fert sententiam in favorem sui juxta Hieronymum: *Quando venerit ad vos judicium, non consideratis causam, non consideratis judicium, sed personas eorum, qui causas habent; ac si dicat, si venerit pauper habens negotium iustum, & venerit habens negotium nequam, vos personam accipitis, non negotium.* (D. Hieron. in ps. 81.)

24. Si pauper homo in ejus manus incidat, qui non potest ungere manus, rem habet planè injustam, leges contra eum sunt claræ, dicit se non velle agere contra conscientiam, nec Deo pro eo rationem reddere. Sed si veniat ad eum dives, quamvis non habeat umbram rationis, tamen dicit omnes leges stare ab eo, se ejus causam bene acturum. Hinc bene Solon & Anaxarxes dixerunt: *Leges aranearum telis similes esse, in quibus infirmiora animalia hærent, validiora prærumpunt; ita leges, humiles ac tenues constringunt, à potentioribus autem impunè violantur.* (Val. Max. lib. 7. c. 2. Laer. lib. 1 cap. 3.)

Et hic defectus non oritur à legibus, sed à judicibus. Et hoc sensu intelligo adagium, quod dicit leges esse latas pro pauperibus & egenis, qui carent emplastro, quod iis imponant. Pro pauperibus non volunt quod possunt, sed pro divitibus volunt, quod non possunt, & possunt quod volunt.

25. Æterna memoria dignum est, quod narratur de Joanne secundo Rege Lusitaniæ; Judicem officio privant, & causam rogatus dixit: *Quia ad recipiendum manus suas apertas habebat, ad audiendum verò pauperes, qui ad negotiorum expeditionem ad eum accedebant, iis januas claudebat.* (Fræc. Lab. tom. 3. judex prop. 6 fol. 727.)

Alexander Severus ut aliàs memini, judicem injustum excoriari fecit, & pellem ad terrorem aliorum tribunali induit. Si hodie omnibus lucrum suum quærentibus id fieret, quot manerent sine pelle? Nil melius quàm tales vitare. Et si ansam habeas litigandi, melius est quod credas omni prætensioni quam quod litem incicipias cum spe vincendi. Hoc consuluit Christus, *Et ab eo qui aufert tibi vestimentum, etiam tunicam noli prohibere.* Hugo Cardinalis etiam nos monet. *Ne litigemus; satius est jacturam facere, quàm in judicio rem repetere.* Cur vos tandem ô judices, ô Argi, ô Briarei, ô Harpyæ non emendatis? An velletis tractari sicut tractatis clientes? (Ælius Lamprid. D. Luc. cap. 6. Hugo Car. ap. Io. Pin. t. 3. c. 21.)

Iustitiæ radix fundamentumque illud
Ne facias ulli, quæ tu tollerare nequires (Ant. Mar. Cinell. in del. Ital. p. 2. fol. 9.)

Si vis esse justus judex infallibiliter observa, ut sis sine oculis, sine manibus, nullius faciem respicias, nec acceptes munera.

Cœca sed audito præpollens talpa sagaci,
Iudicis esse tibi vera tabella potest:
Iudicis esse, inquam: iusti auscultator, & æqui
Si quis amicitiæ, haud respicit, & opibus. (Corn. Lep. in delit. p. 2. f. 412.)

DOMINICA VIGESIMATERTIA

POST PENTECOSTEN.

Loquente Iesu ad turbas, ecce princeps unus accessit, & adorabat eum dicens : Domine filia mea modò defuncta est.
Matth. 9.

ARGVMENTVM.

Ostenditur quàm sit efficax oratio , ac Deo grata , & quod spem nostram in Deo collocare debeamus.

1. DUæ personæ, videlicet unus Princeps, & una matrona, in hodierno Evangelio exhibentur , quibus merito compati debemus. Ille ob mortem unicæ filiæ dolebat, & affligebatur, hæc ob sanitatem amissam , quam valde amabat cruciabatur ; ambæ à Salvatore succursum flagitarunt, ille dilectam filiam vitæ petit restitui , hæc à morbo incurabili rogat sanari. Ille ut voti fiat compos adhibet preces : *Domine filia mea modò defuncta est, sed veni, impone manum tuam super eam & vivet*; hæc ad impetrandam sanitatem tactu vestium Christi curandam se sperat : *Si tetigero tantùm fimbriam vestimenti ejus salva ero.* Porrò preces principis fuerunt exauditæ : *Tenuit manum ejus, & surrexit puella*; & fiduciæ matronæ non fuerunt irritæ : *Confide filia, fides tua te salvam fecit.* Ille per preces, hæc per spem assequitur , quod petit. Hinc sanctus Marcus Eremita preces , quas ad Deum fundimus, sic laudat dicens : *Ad parandum Dei obsequium nihil est precatione efficacius, aut potentius, atque ad ejusdem beneplacitum nihil est utilius.* Et de fiducia hoc scriptum reliquit sanctus Pater Augustinus : *Qui gaudet in spe, tenebit rem, qui autem spem non habet , ad rem non poterit pervenire.*

D. Marc. Eremit. de leg. spir. cap. 88.
D.P. Aug. in Psal. 104.

Idcircò ego ex facto primo principis discursum instituendi sumo ansam, quam sint efficaces preces apud Deum , ex secundo verò facto matronæ, occasionem dicendi accipio à nobis fiduciam in Deo collocandam esse, ut id obtineamus quod speramus. Ego interim confido cum matrona evangelica, quod mihi favebitis silentio, & attentione, dum imitans principem instantissimè hoc rogo , & incipio.

PARS PRIMA.

Domine filia mea modo defuncta est, &c.

2. ANtequam demonstrem quàm efficax sit oratio difficultatem quam movit Doctor Angelicus, & quam quilibet Professor Theologiæ mihi objicere posset vobis proponere libet. Vel Deus ab æterno decrevit independenter à nostra oratione illam gratiam nobis præstare quam petimus , vel id non decrevit, imò potius resolvit nostras preces non exaudire. Quidquid dicatur , cum decretum divinum sit stabile, & efficax, aut obtinebimus quod petimus, aut non obtinebimus , & consequenter frustra precibus majestatem divinam pulsamus. Verùm respondeo à divina providentia non tantum præordinari effectus, sed & modum, ordinem, causas per quas debent produci. Explico; Deus tibi talem gratiam conce-

dere decrevit, sed cum hac conditione, ut illam prius à Deo petas. *Ex divina providentia non solum deponitur qui effectus fiant, sed etiam ex quibus causis, & quo ordine proveniant. Unde oportet homines agere aliqua, non ut per suos actus divinam dispositionem immutent, sed ut per actus suos impleant quosdam effectus secundum ordinem dispositum à Deo. Non enim oramus ut divinam dispositionem immutemus, sed ut impetremus quod Deus disposuit per orationes esse implendum, ut scilicet orando mereantur accipere, quod eis Deus ante sæcula donare disposuit.*

D. Thom. 2.2dæ qu. 83. art. 2. de necessit. orationis.

Idem confirmat sanctus Pontifex Gregorius: *Obtineri nequaquam possunt, quæ prædestinata non fuerunt, sed ea, quæ sancti viri orando efficiunt, ita prædestinata sunt à Deo, ut precibus obtineantur.* Ex quo consequitur preces nostras non esse inanes, sed maximè necessarias. Ab æterno decretum fuit hanc filiam per Christum resuscitandam, sed hac lege, ut prius à principe hoc peteretur: *Domine filia mea modo defuncta est, sed veni impone manum tuam, &c.*

D. Greg. in Dial. c. 8.

3 Mira est proprietas cujusdam certi lacus, qui reperitur in provincia Alesa, ut refert Solinus. Ex hoc lacu scaturit fons cujus aquæ non diffunduntur per terram, nec agros vicinos, aut tellurem adjacentem irrigant, sed in ipso fonte concluduntur: Incolæ ergò dum volunt ut aqua effluat, atque hortos, & agros invidet, quædam instrumenta musica pulsant: ad quorum sonum statim aquæ effluunt, terminos transgrediuntur, & nescio an dulcedine harmoniæ incantatæ, an ut gratæ sint instrumenta pulsanti, terram irrigant. *In regione Alesa lacus quidam est ingens, in quo fons quidam emanat semper, sed tamen hoc mirum quod tota quæ ex illo fonte oritur aqua, intra illius laci terminos remanet, nec extra derivatur: Ut autem homines regionis illius rura, & hortos irrigare aqua illa valeant, instrumenta quædam musica pulsant, quo facilè lacus ille magnus aquas suas extendit, & profluit, quibus irrigare campos suos possint.*

Solin. lib. de mirab. mund. Et apud Fræc. Lab. verb. or. tom. 1 prop. 5.

Idem ibid.

In Deo est fons omnium bonorum, quæ in illo coarctantur, sed cum omne bonum sit sui ipsius diffusivum ut illa in nos effundantur Deus instrumenta sonora nostrarum precum, & musicam suavissimam nostrarum orationum instituit. *Fons omnium bonorum in Deo ipso sita est, & omne bonum continet intra seipsum, ut pelagus illud gratiarum immensum ad nos derivetur, musica maximè præstat, musica (inquam) orationis; nunquam enim dulcior auribus nostris insonat sonus, quam oratio nostra in auribus Dei qua fit, ut bonorum omnium fons ille ad nos, & nostra prosiliens, nos omnibus repleat bonis.*

Fræc Lab. ibid.

4 O quàm multi hac musica à cœlo aquas divinæ gratiæ impetrarunt? Judith Holoferni caput præcidit: *Stetit Iudith ante lectum orans cum lachrymis, & labiorum motu in silentio dicens: Confirma me Domine Deus Israel.* Jonas liberatus est à naufragio, & à carcere cete: *Oravit Ionas in ventre piscis ad Dominum Deum suum.* Ezechias evasit mortem, quam divina justitia propter peccata illi minitata fuerat: *Conversus ad parietem oravit ad Dominum.* Tres pueri, Sidrach, Misach, Abdenago à flammis fornacis Babylonicæ non sunt læsi: *Ecce Deus noster, quem colimus, potest nos eripere de camino ignis ardentis & de manibus tuis.* Elias obtinuit ignem à cœlo, quo sacrificia cremantur: *Exaudi me Domine, ut discat populus iste quia tu es Domine Deus.* Pharao precibus Moysis, & Aaronis judicavit supplicia divina impediri posse: *Orate Dominum ut auferat ranas, à me & populo meo.* Ad preces Angelus è cœlo descendit, atque afflictæ, & desolutæ Agar fontem monstravit, ut sitim Ismaelis solaretur. *Exaudivit DEUS vocem pueri. Surge tolle puerum, quæ videns puteum aquæ abiit, & implevit utrem, deditque puero bibere.* Hac suavi musica Moyses manus Deo ligavit ne populum flagellare posset. *Noli orare pro populo isto: Dimitte me ut irascatur furor meus.* Rachel ex sterili facta est fœcunda: *Exaudivit Dominus Rachaelem, & aperuit vulvam ejus.* Rex David ab afflictionibus fuit liberatus: *Ad Dominum cùm tribularer clamavi, & exaudivit me.* Ille servus Evangelicus dum Deum placavit musica precum se ostendit alium Terdandrum, qui fidibus furores Alexandri sedavit. *Rogabat eum dicens: patientiam habe in me, & omnia reddam tibi, & misertus est.* Oratio fidelium obtinuit à Deo Angelum mitti, qui Petrum è carcere liberaret. *Oratio autem fiebat sine intermissione ab Ecclesia*

Iudit. c. 13 *Ionas c. 2.* *Isa. c. 38.* *Plutarch.* *Dan. c. 3.* *3 Reg. c. 18* *Exod. c. 8* *Gen. c. 21.* *Exod. 32.* *Gen. c. 30.* *Psal. 119.* *D. Matth. cap. 18.* *Act. Ap. c. 12.*

Ecclesia ad Deum pro eo. Tandem nescio quid dicam de illo portento quod narrat sanctus Damascenus de anima Trajani Imperatoris, quæ per orationem sancti Gregorii liberata fuit ex inferno: *Quis non rem adeo unquam, & usquam exauditam non miretur, & obstupescat? maximè si quis Trajanus fuerit attendat: quamvis enim mores ejus compositi fuerint, erit tamen ille infidelis, & idololatra, & tyrannus in Christianos, & sævus adeò in eos, ut multorum martyrum necem amariam instituisse quid mirabi ius de vi & efficacia orationis justi dici potest?*

D. Ioan. Damas. in serm. pro mortuis. D.Thom. 3 par. quæst. 71. art 5. Lab.tom.1 de orat. prop. 2. f. 663. D Mar.c. 11.

O musicam suavem, ô melos gratum auribus Dei. *Omnia quæcunque orantes petitis credite quia accipietis, & evenient vobis.*

5. Ex hoc antecedenti conditionato *si oraveris*, potest inferri hoc consequens infallibile *obtinebis*. Potest ergò dici quod oratio sit contingens, sed largitio gratiarum absoluta, quia Deus simpliciter preces nostras exaudiet. Filius Dei sitibundus sedebat ad puteum Samariæ, ad quem cum venisset Samaritana haustum ab illa petiit: *Mulier da mihi bibere*. Illa indignata, inurbanè haustum à Christo petitum denegavit: *Quomodo tu Iudæus cum sis poscis à me bibere quæ sum mulier Samaritana?* Ad hanc repulsam institit Salvator: *Si scires quis est qui dicit tibi da mihi bibere, tu forsitan petisses, & daret tibi aquam vivam.* Reverà hæc verba sunt valdè ponderanda, & ut illa benè intelligamus notare oportet significatum, & locum in quo ponitur hoc adverbium *forsitan*. Significatum ejus est contingens, nam significat contingentiam; quoad locum, is illi datur juxta *petisses*, & significat petitionem esse contingentem, ac idem significat ac si diceretur *si forsan petieris*. Hic scire cupio cur *forsitan* non potius adjungatur *daret*, cum Deus liberè, & juxta beneplacitum suum det? videtur ergò dicere debuisse, *si tu petisses, forsitan daret tibi.*

D.Io. c.4.

Audi quid Christus docere voluerit, *si* inquit *forsitan petisset*. Oratio tua ô fœmina est dubia, & contingens, nam ideò addit *forsitan: ut liberum arbitrium*, sunt verba Toleti *hominis significaret, quod ita petit ut possit non petere.* Sed postea loquens de Deo ait, *daret tibi: ad exprimendam promptitudinem ex parte Dei dantis removet dubitationem.* Sed si oraveris ex necessitate infallibilitatis tibi dabo quod petis. Sic speculatur doctissimus Beza: *Non enim ait forsitan daret, sed absolutè inquit, daret tibi, quippe dubitari posset, an oratio futura sit, sed minimè dubitandum est, quod oratio ex Deo donum impetret.*

Tolet. in c. 4. Io. f. 342.

Did. Beza lib. 6. c. 3. §. 18.

Huic opinioni accedit Pater Labata: *Observa, non dixit Christus, & fortè dedisset tibi, sed notam illam dubitandi apposuit petitioni, & non concessioni. tu forsitan petisses, inquit, quia nos adeò miseri sumus, ut etiam necessitatibus oppressi, vix ad parendum, & orandum Deum excitemur; Deus autem non fortè sed indubitanter ait dedisset; quia certius est Deum nos exaudire, quam nos petere.*

Frãc. Lab. tom. 3. verb. oratio prop. 21. col. 2. fol. 999.

6. Quinimò dici potest quod jam pugnis id habeamus, quod à Deo rogitamus. Harum precum exemplar istud redemptor præscripsit; *Sic orabitis, Pater noster qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum*, & statim subdit *panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Per hunc panem intelligitur omne illud quod ad vitam est necessarium. Sed quomodo in una propositione possint subsistere hi termini *panem nostrum*, & *da nobis*, capere non possum. Ille panis quem petimus cujus est? si spectet ad Deum tanquam Dominum universorum, quomodo dicimus *panem nostrum*? Si sit noster potius deberemus dicere, *redde nobis*, & non *da nobis hodie*. Possit aliquis respondere cum sancto Petro Chrysologo, quod *pater est custos substantiæ filiorum*, & juxta alios bona Patris hæreditas filii sunt. Non est dubium quin panis, & omnia quæ petimus spectant ad Deum, qui est absolutus Dominus universorum, sed oratio nostra illa manibus Dei extorquet, & facit ut nostra fiant. *Panem nostrum*, quia nostræ preces accipiunt possessionem ejus, vel *panem nostrum*, quia sumus certi, quod nostris precibus eum Deus non denegabit, qui videtur vel non posse, vel nescire, vel nolle nostras necessarias petitiones repellere, vel votis nostræ voluntatis contraire.

D. August lib. 1 locut. in Gen. c. 39. D. Basil. in reg. Breutin. tr. 253 & Maldonat. ibidem.

D. Petrus Chrysol. serm. 1. Did. de Cel c. 4. in Iud §. 6. v. 20

7. Sacer Evangelista Joannes recenset illud miraculum stupendum, quod Christus patravit in multiplicatione panum, dum quinque millia hominum satiavit:

Ioan. c. 6. *Accepit panem, distribuit discumbentibus, & ex piscibus quantum volebant.* Tot panes, & pisces distribuit, quot turbæ desiderabant; alii legunt in singulari *quantum volebat* scilicet Christus. Hic sensus multum differt à sensu quem scribit sanctissimus Joannes. Nihilominus Cardinalis Toletus esse eundem modum loquendi ait *illud (volebant) aliqui textus habent in singulari ut ad Christum adferatur, qui pro sua voluntate distribuit: Hæc tamen sensum non mutant.*

Card. Tolet. annot. 5. in cap. 6. Ioannis.

Sed quomodo possit esse idem modus loquendi? Ergone voluntas humana sic idem quod voluntas divina? nequaquam secundùm se, sed bene in ordine ad petendum, vel concedendum quia sic suo modo tantum Christus volebat dare, quantum illi accipere. Vel juxta interpretationem patris Didaci Celadæ. *Tantum ipsi volebant accipere, quantum ipse Christus volebat impertire.* Ergò si petamus ut Deus det nobis suum panem possumus dicere panem nostrum, ac si illum jam acceperimus, dum intuitu nostræ orationis est promptissimus ad dandum quod volumus imò plus, & prius quam postulemus.

Did. Cel. in Iud c. 4 §. 22. n. 91

8. In aspero ligno crucis pendebat bonus latro spirans, & sperans in misericordia divina, vultu pallido, & quasi examinis hoc à Salvatore petiit: *Memento mei Domine, dum veneris in regnum tuum.* Clementissimus Salvator statim illi respondit, *hodie mecum eris in paradyso.* Hic substantia, & circumstantia tàm petitionis latronis, quàm concessionis Christi observari debet. Hic solum petit ut sui recordetur, *memento,* en substantiam facti. Sed quando? *dum veneris in regnum tuum,* quod fieri debebat post plures dies à resurrectione; hæc est circumstantia. Jam ergò habemus quid petierit latro, & quo contentari se significavit si illud obtineret. Sed filius Dei dum præveniendo tempus præfixum à latrone: *Dum veneris in regnum tuum* paradisum, sine comparatione excedentem recordationem quam petebat, illi confert magnitudine doni superat ejus petitionem. Hodie mecum eris in paradyso: Ac si diceret tu parum petis, & de futuro, sed ego multum dono, & de præsenti. Sic sanctus Pater Ambrosius: *Dicamus quemadmodum in remunerando prævenit nostram precationem; Audi illum ex duobus latronem dicentem, memento mei Domine, dum veneris in regnum tuum, respondit Dominus, Amen dico tibi hodie mecum eris in paradyso; ille adhuc rogabat ut meminisset sui, cum venisset in regnum suum; & Dominus cum nondum venisset in regnum cœleste, jam ei tribuebat: quam velox misericordia! tardius votum precantis, quam remunerantis est præmium.*

Luc. c. 23.

D. Amb. in Psal. 23.

Et meus sanctus Pater Augustinus: *quod distulit misericordia; hoc est latro miseriam suam & indignationem considerans, distulit gloriam postulare, sed misericordiam Salvatoris, humilitatem petentis attendens, obtulit statim, quod post longa tempora accipere multum erat illi.*

D. P. Aug. serm. 2. de verb. Dñi.

9. Deus tanti æstimat nostras preces ut maxima beneficia nostræ salutis & redemptionis earum intuitu exequi voluerit. Inter hæc maximè emenent incarnatio & mors. Beata virgo dum ab Archangelo Gabriele percepit mysterium ineffabile incarnationis, *ecce concipies in utero, & paries filium,* statim actu profundissimo humilitatis se subjecit: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.* Et quamvis per hæc verba juxta divum Irenæum, Damascenum, Venerabilem Bedam Deo præstiterit consensum, tamen juxta divum Ambrosium, & Maldonatum rogavit ut verbum statim naturam humanam assumere vellet, nec amplius moras trahere, & hinc statim illud obtinuit. *Et verbũ caro factum est.* Secunda ergò persona potius intuitu precum Mariæ (quas præcedere voluit, quam alterius virtutis beneficium tàm rarum hominibus præstare voluit. Audite sanctum Ambrosium: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum. Habes obsequium, vides votum. Ecce enim ancilla Domini, apparatus officii est. Fiat mihi secundùm verbum tuum, conceptus est voti.*

Luc. c. 1. S. Iren. l. 3. c. 3. Beda ibid.

Ioan. c. 1.

D. Amb. in c. 1. D. Luc.

10. Præterea morti preces præmitti voluit. Quot non mediis, & falsis inventionibus Hebræi inducere Pilatum tentarunt ut eum morti adjudicaret? *Tolle, tolle, crucifige eum,* sed ille sententiam injustam

Luc. c. 23.

ſtam ferre noluit, imò perſuadere conatus eſt Salvatorem eſſe ſanctum & innocentem: *Quid enim mali fecit? non invenio cauſam in hoc homine.* Allegabant, quod ſe faceret regem Judæorum, quod blaſphemaret ſe filium Dei jactando, quod populum ſubverteret. Sed hæc omnia Pilatum flectere non potuerunt. *Innocens ego ſum à ſanguine juſti hujus* Demum confugerunt ad preces: *At illi inſtabant vocibus magnis poſtulantes ut crucifigeretur:* Hæc verba teſte Bedâ obſecratoria fuerunt. *Quia verò totam accuſationem quam adverſus Dominum detulerunt ſollicita Pilati interrogatione videbant evacuatam, tandem ad ſolas preces convertunt.*

D. Matth. c. 27. D. Ioan. c. 18.

D. Matth. cap 27. D. Luc. c. 23.

Beda ibid.

Et ſtatim ſanctus Lucas ſubdit: *Pilatus adjudicavit fieri petitionem eorum.* Permiſit itaque Christus non ut eorum accuſationes, ſed preces eſſent impetratoriæ, quo facto demonſtrare voluit tantum beneficium vi precum fuiſſe concedendum eſto à cauſa mala, ſcilicet odio & perfidia Phariſæorum proceſſiſſent. Quidam modernus clave ſuæ doctrinæ hactenus dicta reſerat. *Vides præcationis (etiam non bonæ) miniſterio, Chriſtum Deum, qui vitam inchoavit ab oratione, etiam ab oratione finire. Vt qui vitam quodammodo orationi debeat, debeat & mortem, ne quid ſit in Chriſto, quod ab omni oratione non ſit.*

Didacus Monteladien. com. in Iudith. c. 9. v. 17. §. 35.

11. Ulterius videtur, quod non velit nec poſſit noſtras preces repellere. Dum Elias degeret in deſerto quotidie corvum miſit, qui illi victum adferret. Attamen quadam die Eliam Deus vocavit, eique ſic præcepit. *Vade in Sarepta Sidoniorum, præcepit mulieri viduæ ut paſcat te.* Sed cur Deus vult ab eo hoc iter peragi, an forſan deeſt illi panis? an forſan corvus eſt mortuus? hinc meus beatus Thomas Valentinorum Archi-Epiſcopus Eliam admirantem hanc novitatem ſic loqui introducit: *O Domine ſatis opulentè paſcor à corvis, vitæ miniſterio non indigeo, ut quid in Sareptam ibo?*

3. Reg. cap.

D. Thom. à Villa Nova fer. 4 Dom. I. Quad.

Et reſpondet idem beatus Deum ad preces Eliæ prohibuiſſe rori, & aquis ne terram irrigarent *Vidit Dominus Deus Iſrael in cujus conſpectu ſto ſi erit annis his ros, & pluvia niſi juxta oris mei verba.*

Nihilominus Deus videns campos avidos, & infructuoſos, & videns homines ex aquæ defectu perire pluviam mandaſſet, niſi Elias contrarium petiiſſet. Quid agam dicit Deus pluviam ſi prohibuero terra præ ſiccitate erit ſterilis, ſi pluvias miſero contraibo precibus mei ſervi. Quid factu opus Elias exeat ex deſerto, & pergat in Sarepta, in hoc itinere videbit campos aridos & languentes, terram ubique incultam, homines deſolatos ob aquarum penuriam ſic ſpero quod movebitur ad compaſſionem & pluviam permittet. Sed Domine an non es Dominus omnium? Si vides neceſſitatem eſſe maximam, cur quæris tot ambages? An forſan tua voluntas ſubditur Prophetæ? Ah inquit Deus ego aquas darem, ſed preces Eliæ me impediunt, illas repellere nequeo, ne aliam cauſam dare poſſum. Sic dictus beatus. *O viſcera pietatis Dei mei, ut videret Propheta populi afflictionem, & miſeriæ condoleret, miſertusque eorum interdictum aquæ tolleret, miſſus eſt in Sareptam. Noluit enim Dominus interdictum aquæ pluviam populo concedere, niſi ejuſdem qui interdixerunt beneplacito.* Deus nil aliud, quàm Elias rogavit facere potuit.

Idem ibid.

12. Rem inveriſimilem, & incredibilem narrat Marcus Varro nempe ſe vidiſſe Nymphas Lidiæ, naturaliter & ordinariè ad ſonum lyræ ſtatim ex proprio loco moveri. An tantum poſſit ruſtica lyra? Quid dicemus de precibus ſervorum Dei. Quod Deus ſit immutabilis eſt certiſſimum: *Ego ſum Deus & non mutor.* Nihilominus ſi poſſet mutari ad ſolas preces mutaretur. Rebecca duos gemellos utero gerebat, & cupiens ſcire quid de utroque fieret à divina majeſtate hoc ſibi precibus revelari poſtulavit: *Perrexit ut conſuleret Dominum*, & ab hoc reſponſum accepit quod ſenior ſcilicet Eſau Jacobi junioris ſit futurus ſervus. *Major ſerviet minori*, hoc eſt Jacob benedictionem, & paternam hæreditatem habebit. Hunc audite quantam hæc mulier diffidentiam, & incredulitatem promisſis divinis præſtiterit. Iſaac ejus maritum chariſſimum morbus fatalis poſtmodum invaſit. Hic ergò

Marc. Varro.

D. Matth. cap. 3.

Gen. c. 25.

Eſau

Esau benedicere, eumque hæredem instituere promisit, sed primò voluit, ut exiret venatum & postquam attulisset feras captas se promissa executurum. Sed vix Esau domo abscesserat, & ex Rebecca maximè affecta Jacobo cum vestibus primogeniti induit, manus pelle caprina involvit, ut cœcus Jacob cum crederet esse Esau, carnem domesticam accepit, & his stratagematibus Jacobo benedictionem obtinuit, sed tot cur astus & diligentias adhibuit, an forsan Deum promissis non staturum putavit: sed quomodo, cum ejus promissiones sint infallibiles, nam *cœlum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt?* & ut alius interpretatur *Dei verba sunt, verba regis, si cœlum sua incorruptibilitate & terra sua soliditate cum certitudine, & firmitate verbi Dei certare vellet, prius cœlum, & terra, quam verbum Dei deficerent.* Cur ergò tam inutiliter anxiatur Rebecca? An forsan promissionem Isaac æstimat validiorem, quàm promissionem Dei? respondet Gennadius sciebat affectum, quo maritus ferebatur erga Esau, timebat ergò eum rogaturum Deum, ne impediret benedictionem, quam Esau impartire volebat prudens fœmina, si hic bonus senex cœlum precibus pulsavit, meus Jacob benedictione frustrabitur, si Deus facit quod vult Isaac non sequetur quod mihi promisit. *Si interrogatio est Gennadii oraculum quod à Deo acceperat pro certo habebat, cur tam sedulo in patris benedictione laborabat?* Potius promissiones Dei quàm Isaac frustrandum credebat, *Cujus preces proposito Dei rescindere possent.*

D. Luc. c. 21. Lab. t. 3. verbo oratio. prop. 6.

Gennadius in catena Græca.

13 Magnum quid profert Clemens Alexandrinus in favorem orationis, dum eam vocavit *oratio dominans,* & Tertullianus dixit *omnipotens oratio, cum sit una omnia potest.* Dicere voluit quod esto omnipotentia conveniat tantum Deo per essentiam, tamen illam communicare voluit oranti, ut Deum inducat in omne illud quod vult. Sponsam quæ ferventissimè orabat: *Quis mihi det te fratrem meum sugentem ubera matris meæ, ut inveniam te foris, & deosculer te?* Sponsus cœlestis promptissimè è paradiso descendit, ut eum in terra quæreret, & pro eo, quod ipsi concederet gratiam, quam postulabat, respondit: *Pone me ut signaculum super brachium tuum, ut signaculum super cor tuum.* Philo Carpatius sic legit, *ut sigillum super, &c.* Cur sponsæ (per quam intelligitur anima justa) cor & brachium sigillo Dei insigniatur? Quis nescit sigillum esse symbolum authoritatis, dominii & potentiæ? Hinc dum Assuerus dedit Aman suum sigillum ei concessit suam authoritatem *de populo fac quod tibi placet.* Simile quid præstitit Pharao Josepho. *Ecce constitui te super universam terram, & dedit annulum in manu sua.* Nunquam litteræ sunt efficaces nisi muniantur sigillo principis. Sigillum ergò potentiam, & jurisdictionem denotat: sed cur vult illud imprimi cordi & brachio? Respondet sanctus Gregorius: *In corde sunt cogitationes, & in brachio operationes;* ergò volebat sponsus animæ roganti dicere: Quidquid desideraveris corde, & quidquid volueris operari manu fiet, & si forsan desideraveris manu tentare opera, quæ excedunt humanam possibilitatem, sigillo meæ omnipotentiæ uti poteris. Quid ultra concedere possim? mea Deitas me facit omnipotentem per essentiam preces tuæ me movent ut tibi illam participem, hinc fac quod vis, poteris mihi mandare si vis aperire cœlum, claudere infernum, imperare naturæ, mutare tempus, solem sistere, movere terram, facere ignem frigidum, nivem calidam, domare feras, morbos pellere, mortem fugare, dæmones terrere, Angelos à servitio tuo habere. Si vis ut omnia dissolvantur, & renoventur, fiat novus mundus & novum cœlum, corde desiderare potes, & manu operari: *Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum, id est divinum meum sigillum accipe, penes te sit annulus potentiæ meæ in corde, & in genere. Quicquid corde cogitabis, quidquid voles, sigillo meo imprime, jube, constitue, fiet omnino, & ubicunque manus ad opus posueris, tibi omnipotentia mea præsto sit* Sic Fernandez.

Clem Alexand. 1. strom. Tertul. in hist. relig.

Cant. c. 8.

Esther. c. 3.

Gen. c. 41.

D. Gregor.

Fern. Gen. l. 1. c. 3. sect. 17. num. 7.

Ideo dixit Divus Chrysostomus, *Hac omnes homines non minus opus habemus, quam*

Arbores

D. Ioan. Chryſ. lib 1 de orando Deum. *arbores aquarum humore. Neque enim valent illæ fructus producere niſi bibant humorem radicibus; neque nos pretioſis pietatis fructibus poterimus eſſe gravidi, niſi precibus irrigemur.*

Joachim, & Anna erant terra ſterilis, & precibus impetrarunt fœcunditatem, & mundo plantam produxerunt de qua natus eſt fructus cœleſtis, de quo fuit dictum, *Benedictus fructus ventris tui.* (D. Luc. c. 1) Sic ſanctus Germanus: Precibus horum commotus dedit ſterili ſobolem, quam ad Deum fuſa proſeminavit oratio. (D. Germ. ap. Novar. umb. virg. n. 1173.) (Eſther. c. 3. Gen. c. 41.)

14. In oratione noſtram fiduciam collocare debemus ait ſanctus Bernardus, nam virtute ejus, vel concedet nobis quod petimus, vel quod eſt utilius: *Nemo veſtrum fratres parvipendat orationem ſuam, duo enim vobis, quia ille ad quem oramus non parvipendet eam, priuſquam egreſſa ſit ab ore noſtro, ipſe jubet eam ſcribi in libro ſuo, & indubitanter unum è duobus poſſumus ſperare, quoniam aut dabit quod petimus, aut quod nobis noverit utilius eſſe. Oratio tamen infructuoſa non erit.* (D. Bern. ſerm. 5 in Quadrag.) (D. Gregor.)

Et de ſequentibus nos reddit certos Laurentius Juſtinianus: *Magna prorſus eſt orationis virtus divino conſpectui oblata per Angelos hæc placat Deum, lætificat Angelos, refovet ſanctos, penetrat cælos, terret Dæmones, adverſarios ſuperat, immutat homines, vires reparat, roborat mentem, cor illuminat, propinquam Deo animam, reddit, devotionem parit, depræcantem complet dulcedine, poſtulata reportat.* (D. Laur. Iuſtin. lib. de perfect. gradib. cap 12.)

15. Nonne ſanctus Pharao Epiſcopus vi orationis traxit navem ad litus, quam homines trahere non poterant? an non ſanctus Gregorius Thaumaturgus montem alio tranſtulit? an non Joſue per preces ordinem naturæ invertit; nam ſol quem Poëtæ dixerunt oculum cæli in aurem migravit, & audivit juſſa Joſue, ac illa ſtatim executioni mandavit: *Sol contra Gabaon ne movearis.* Hinc Poëta. (Ioſ. c. 10. Io. Biſſ. Æſtiv l. 1 ſ. 139 Eleg. 23 in fine.) (Fern. Gen. l. 1. c. 3. ſect. 17. num. 7.)

Mundi oculus ſol eſt. Oculum vidiſſe vetuſtum eſt.
Aſt, audiſſe oculum bellica juſſa novum.

Scit Deus preces noſtras tanti apud ſe valere, ut dum videt nos velle petere gratiam cujus ſumus incapaces, vel indigni impedit ne oremus, ac ſi diceret: ſi homini tempus indulgeo orandi, cogar ejus annuere votis. Hinc dixit Jeremiæ, *tu noli orare pro populo hoc, & non obſiſtas mihi, quia non exaudiam te.* (Ierem. c. 7.) Sed Domine quid tua intereſt ſive oret ſive non tuum eſt vel ejus preces admittere, vel repellere. Audite quid reſpondeat ſanctus Hieronymus, *Ite videatur Propheta rogans non impetrare quod poſtulat, præcipit Dominus, ne oret pro populo peccatore, & nullam pœnitentiam agente.* (D. Hieron. in cap. 7. Ierem.)

Vel ut ſcribit doctiſſimus Labata; *Tam potens, & efficax eſt oratio apud Deum, & tam illubenter Deus preces repellit, ut impediat illas ſi repellendæ ſint.* (Lab t. 3. verbo orat. prop. 3.)

16. Fateor vos replicare poſſe quod ſæpe oraveritis, & tamen non fueritis auditi. Audite Paladium Epiſcopum hujus cauſam dantem. *Orationes ſpirituales, quæ non habent vitam honeſtam, & temperantem, ſunt ſpicæ quæ vento intereunt quæ habent quandam ſpicarum formam, ſed ab eis ereptum eſt alimentum.* (Pallad. Epiſc in hiſt. Lauſia de vitis Pat. lib. 8 tit. de Steph. Lap.) Secundo poſſum dicere cum Divo Gregorio quod tepor, & diſtractio veſtra hujus cauſæ ſint. Ideo monet: *Quando ſtamus ad orationem, claudatur contra adverſariū pectus, & pateat ſoli Deo, obrepit enim frequenter, & penetrat ſubtiliter fallens Diabolus, preces noſtras à Deo avocat, & aliud habemus in corde, & aliud in voce.* (D. Cypr. de oratione Dominica.)

Et Smaragdus Abbas dicit, *cordis eſt non labiorum, neque enim verba deprecantis Deus intendit ſed orantis cor aſpicit, quod ſi cor tacite oret, & vox ſileat, quamvis homines lateat Deum latere non poteſt: Melius eſt cum ſilentio orare corde ſine vocis ſono, quam ſolis verbis ſine intentu mentis.* (Smaragd. Abb. in diadem. Monach. cap. 10.)

Hinc ſanctus Pater Auguſtinus ait Deū ſi nos non exaudeat id fieri pro noſtro bono; *Deus bonus ſi det quod vis, quid ſi male vis? non erit tibi non dando miſericors magis? quid enim petebas? forte mortem inimici? triſtis eſt, quia non es exauditus contra illum; gaude quia non es exauditus contra te.* (D. P. Aug. in pſal. 8.)

Princeps Evangelicus qui rogavit Chriſtum ut filiam vitæ reſtitueret: *Domine filia mea,* &c. Exauditus eſt pro ſuo bono: *Tenuit manum ejus, & ſurrexit puella.* Sed ut habeamus tempus diſcurrendi de fiducia fœminæ quieſco.

ALTERA PARS.

17. Si tetigero, &c. Nullus est fidelior socius hominis in periculoso itinere hujus vitæ infelicis quam spes, illa nos excitat ad negotia ardua, & difficilia. Sic sanctus Zeno. *Primo omnium spes nobis proponenda est futurorum, sine qua nec præsentia quidem ipse stare posse perspicimus. Tolle spem, torpet humanitas tota, tolle spem, artes, virtutesque universæ cessabunt; tolle spem, & inter empta sunt omnia.*

D. Zeno serm de spe, & fide.

Qui agitatur à ventis, & jactatur à procellis periculosis fluctuum maris, adhuc innixus anchoræ spei ad portum pervenire sperat. Alius detrusus est in obscurum carcerem vinculis, & compedibus cinctus, & scit per solam mortem inde liberari posse, nihilominus adhuc consolatione perfunditur, & revidere sperat amicam lucem, & ad lares paternos redire. Natus es pauper, vel ad incitas redactus, ab amicis desertus, necessitate pressus, miseriis afflictus, fame molestatus, ærumnis confectus, panis spei quo speras fortunam, vel statum mutandum te alit, & sustentat. Infirmus desperatus à medicis à patria vitæ pulsus, & jurisdictioni mortis destinatus, ita ut jam animam agat, esto videat de se esse actum, tamen velut alter Anthius victoriam à febri reportare sperat, & spiritū ferme exanimem ex labiis extremis retrotrahens dicere videtur dum spiro spero; hinc Poëta quidam cecinit.

Gabriel Faerni in delit. Ital. p. 1. f. 939.

Bona universa Iupiter coëgerat
In dolium; idque sane opertum sedulo,
Mortali amico deinde commendaverat.
Is gestiens quid intus esset visere,
Cum operculum amovisset, in cælum illico
Cuncta evolarunt; spes modo hæsit in labro
Hinc in bonorum sola defectu omnium,
Mortalibus, spes alma nunquam deficit.

18. Fœmina hodierni Evangelii morbo laborabat incurabili, & dum nulla sufficerent remedia ad spem confugit, *si tetigero tantum fimbriam vestimenti ejus salva ero*, nec ejus fiduciæ fuerunt irritæ quia dixit ei filius Dei: *Confide filia*, fides tua te salvam fecit.

Si tetigero tantum fimbriam vestimenti ejus, ac si dixisset cum rege David: *Mihi autem adhærere Deo bonum est, & ponere in Domino Deo spem meam.* Sic explicat Bellarminus: *Id est viderint alii quid eis bonum sit; mihi certe bonum est, utile, & jucundum, honorificum adhærere Deo; & quoniam adhærere per amplexum in hac vita non datur; bonum mihi nunc est ponere in Domino Deo spem meam, id est adhærere per spem, & in spe perfectæ adhæsionis interim gaudere.* Et sanctus Bernardus docuit non nisi in auxilio Dei esse sperandum: *Sperant in aliis alii, forte hic in scientia litterarum, hic in astutia sæculi, ille in nobilitate, ille in dignitate, ille in alia qualibet dignitate confidat, propter te Domine detrimenta omnia feci, & arbitror ut stercora, quoniam tu es Domine, spes mea. Speret qui vult in incerto divitiarum, ego vero nec ipsa quidem victi necessaria nisi à te spero.*

Psal. 72. Card. Bell. ibid. v. 17. D. Bern. ser. 9. in Psal. 90.

19. Fiduciæ, quæ collocantur in Deo nunquam sunt vanæ, esto videatur impossibile quod possint reduci ad effectum; postquam Abraham pervenisset ad radicem montis Moriæ in quo filium Isaac sacrificare decrevit sic locutus est ad servos: *Manete hic cum asino, ego & puer postquam adoraverimus revertemur ad vos* Sed quomodo poterat redire Isaac si debebat immolari? *quid ô Abraham fingis? das verba famulis, quomodo cum puero reverteris, si puerum sacrificaturus discedis*, respondet Abraham scio quid agam. Spero vel quod non immolabitur Isaac, quia Deus de sacrificio providebit, vel ad minus quod immolatus redibit ad vitam. Tantam fiduciam collocavi in Deo. Hinc absolutè dico, *Revertemur ad vos. Non fingo inquit Abraham, sed persevero fundatus in Dei promissis, omnino ac infallibiliter cum puero revertar in spe contra spem, arbitrans quia, & à mortuis suscitare potens est Deus.*

Gen c. 22. Io. Hayein c. 22. Gen. t. 2. v. 5. num. 107. Idem ibid.

Et ita contigit, nam Angelus gladium detinuit: *Non extendas manum tuam super puerum.*

20. E contra in aliis sperare est periculosissimum Exercitus Israëlis castra movit è regione Philistæorum; timpana sonant ad animandos pedites, tubæ rebuāt ad excitandos equites, acies instituitur, vexilla explicantur, venitur ad prælium, & certamen, Israëlitæ cæduntur, & pars datur in fugam, & plures occiduntur: *Terga ver-*

ga vertit Israel, & cæsa sunt in illo certamine passim per agros quatuor millia. Exitum hujus pugnæ miror, & potius exposuissem vitam quam credidissem Israëlitas cædi cum haberent militem copiosum, & duces generosos. Nunc video quod *varius est eventus belli.* Deus immortalis, & unde ruina hujus exercitus? audite scripturam, *& castra metatus est juxta lapidem adjutori.* Retrò quædam saxa se vallarunt ut iis servirent tanquam quidam aggeres, & munitiones, & in his confidebant, & non in adjutorio Dei, in his plantarunt vexilla fiduciarum nil ergo miri si cædantur. O *quam* verba sunt Ponferradiensis, *infausto homine ineunt certamen, dum sub hoc auxilio creaturæ castrametantur, miserè intereunt; sic pereunt qui auxilium creaturarum auspicantur.*

Didact. Ponfer. t.1. c.2 l.3. §1

21. Econtrario qui credidisset pastorculum qui nil sciebat nisi invigilare gregi, tangere liram, qui nunquam vidit explicare vexilla vel volare acies cassidum, nec audivit reboare timpana, postea expertum ducem qui fuit terror exercitibus immensum dico gigantem devicerit? antequam iniret certamen jam victoriam in manu habebit: *Dabit te Dominus in manu mea.* Sed quid miramur erat armatus spe, pugnabat armis confidentiæ: *Ego veni ad te in nomine Domini* Hinc ait citatus Doctor: *David in limine arenæ jam victoriæ palmam prædicat: Et quidem tantæ fiduciæ vox non poterat non sonare vel ante pugnam victoriam.* Sic nec in nobis debemus confidere, nec in nostris viribus, quia decipiemur, nam contrarium eveniet quod putamus.

1. Reg c.17 — *Idem t.2. lib.9. c.5. §.8.*

22. Cur Apostoli deseruerunt Christum? *Relicto eo omnes fugerunt.* Respondet Victor Antiochenus eos dum magister eorum diceret: *Percutiam pastorem, & dispergentur oves* in se ipsis confidisse, quod particulariter fecit sanctus Petrus: *Etiamsi oportuerit me mori tecum non te negabo, cum Petrum cæterosque omnes precari, & dicere oportuisset. Adjuva nos Domine, nec à te avelli, sibi suisque viribus confisi, ea temerè præmisere, quæ non præstiuere: Siquidem Dominus animam illam, quæ præseferebat audaciam, animique fiduciam castigare volens; Petrus quidem in trinam negationem prolabi cæteros vero omnes per fugam dispergi passus est.*

D. Matt. c.26. D. Marc. c.14. D. Matth. cap.26. Victor Antiochenus ibid.

23. Sæpius consideravi cur Diabolus rem sibi nocivam nempe ut amici Jobum visitarent persuaserit. Si volebat pugnare cum Job poterant ei succurrere. Porrò si volebat eum agere in desperationem poterant id impedire exhortando eum ad patientiam, & consolando. Videtur mihi Dæmon carere judicio, nam debebat eos impedire si sponte voluissent eum visitare, & consolari. Optime sciebat astutus quid ageret Job sperabat & confidebat in Deo. Hinc erat inexpugnabilis: *Dominus dedit, Dominus abstulit. Sicut Domino placuit, sic factum est, sit nomen Domini benedictum.* Sed si forte se recommendet suis amicis si confidat in eorum auxilio ego equum assendo, & de illo est factum. Sed patiens percepit stratagema hostis, & spernens auxilia humana, firmiter speravit in Deo, & virtute spei hostem infernalem superavit, & omnia feliciter sibi successerunt. *Quid agis Satana? hostis es, & amicos Iobi convocas? si ipsi veniant, amicum suum juvabunt. Te amicorum turba munitus facili negotio Iobus superabit O quam vafer, quam astutus est Diabolus: Iobi amico auxiliatores convocat, sciens nihil magis detrimentosum esse hominibus, quam auxilium, & juvamen.*

Iob. c.2. — *Baeza t.1. lib.3. c.2. §.1.*

24. Verum Joseph suo infortunio dum esset incarceratus in Ægypto ob falsam accusationem suæ Dominæ didicit quid esset sperare in favore illius Pincernæ: *Memento mei ut suggeras Pharaoni, &c.* Res hæc ita displicuit Deo, ut permiserit pincernam ejus oblivisci, & illum adhuc manere duobus annis in illo carcere. Sic meus sanctus Pater Augustinus, *Merito hæc passus dicitur ut in carcere discat non in hominibus, sed in Deo debere esse confidentiam* Ergo in vestris necessitatibus & adversitatibus imitemini mulierem Evangelicam, & dicite cum Davide *spes mea in Deo est,* & ite in pace.

Gen. c.40 — *D P Aug. serm 81.* — *Psal. 61.*



DOMINICA VIGESIMAQVARTA

POST PENTECOSTEN.

Cum videritis abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele Propheta, stantem in loco sancto, qui legit intelligat. D. Matth. cap. 24.

ARGVMENTVM.

Deus antequam castiget primo nos monet per signa, vel ne habeamus causam nos excusandi, vel ut per fugam supplicia evadamus.

1. TAmburtanus Scythatum imperator dum exercitum ad obsidendam, & invadendam civitatem disponeret, antequam urbem agrederetur, & vi armorum illam debellaret, primo niveum vexillum explicari jussit, ut obsessis significaret si deditionem cogitarent, & se se subjicerent se iis favorem, & gratiam facturum. Sed si obluctarentur explicabat rubium syrma, & si adhuc obstarent nigrum exponebat velabrum, iisque certissimam mortem fulminabat, & ruinam civitatis. Sic Petrus Crinitus: *Albo colore clementiam promittebat, rubeo sanguinis effusionem, minitabatur, & nigro mortem jam jam præ foribus esse demonstrabat.*

Petr. Crinit lib 1, de honesta disciplina.

Sic etiam refert Jacobus Philippus Bergomensis; *In obsidionibus quidem urbium, prima die albo utebatur tentorio; secunda rubeo, tertia nigro, & si se dabant in albo sedenti, salutem consequebantur. Rubeus autem color, moriendum patribus familias indicabat: Niger vero civitatis excidium, & omnia in cinerem convertenda.* Solebat ergo hic dux, præmonere cives ut si postea deveniretur ad exterminium non haberent ansam conquerendi.

Iac. Philipp Bergom lib 14 Cronic. Anno Christi 140.2 f. 231.col. 2.

Si attendamus successus hodierni Evangelii, & signa, quæ videbuntur dum instabit judicii dies inveniemus Deum procedere eodem modo cum mundo, & maximè dum peccatores punire decernit: *Cum videritis abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele Propheta.* En primum vexillum, quod servit pro admonitione. *Sicut fulgur exit ab oriente*, &c. En secundum, quod minatur flammas, fulgura, & supplicia *Statim post tribulationem dierum illorum, &c.* En tandem ruinam, & exterminium, nec aliud restat medium quam fugere. *Tunc qui in Iudæa sunt fugiant ad montes.* Hoc est optimum remedium quod inveniri potest. Sic testatur prudenter doctus Labata; *Ideo in sole, luna, & stellis signa judicii apponit ut in luce harum sagittarum, & in fulgore hastæ Dei periculum suum videant peccatores, & fugiant à facie arcus, & liberentur facti dilecti ejus.*

Franc. Laba. 1. propr. 3. de mis. Dei.

Ex hoc facto deducitur expresse Deum nostrum priusquam castiget præmittere signa, vel ne habeamus occasionem nos excusandi, vel ut fugâ supplicia evadamus. Et ecce discursum divisum in tres partes. *Cum videritis abominationem, &c.*

PARS PRIMA.

2. PRoprietas est cæli non dejicere fulmina, nec in nos derivare tonitrua nisi nos prius fulgore præmoneat. Præterea est mos nostri Dei antequam flagellet in antecessum mittere minarum hortationes. Audite Oleastrum: *Non solet Deus aliquem punire nisi prius per prophetas punitionis admoneat, & deterreat.* Josephus Hebræus opina-

Oleaster in c. 7. Exod. Ioseph. Hebr. l. 1. de

antiquit. Iud. cap. 3. & 4.

opinatur, quod protoparens Adamus per scientiam Astronomicam duo supplicia aquæ scilicet, & ignis quæ suprema justitia in homines destinatum erat præviderit, & nepotibus revelaverit; hoc cum intellexisset Seth fabricavit duas columnas, unam è terra cocta cui insculpsit ignem, alteram è lapide vivo, cui inscidit diluvium, & dein in summitate columnarum depinxit montem, qui posteros moneret ut se emendarent.

3. Propheta Habacuc dum oculos in cælum conjiceret vidit Deum irâ excandescentem per conclavia empirii obambulantem, & interim sanctâ curiositate ductus tantæ indignationis causam scire cupiebat; edic amabo, ô Domine, quis ita fuit temerarius ut audens silice peccati percutere petram tuæ clementiæ flammas furoris excusserit? an forsitan flumina, vel potius mare quod dum intumescit undarum montes usque ad stellas ejectat? *Numquid in fluminibus iratus es Domine, numquid in fluminibus furor tuus, vel in mari indignatio tua?* credo ego, quod furor tuus, dum velut ventus furibundus ex antro pectoris tui egreditur, velit non solum consternare, sed & creaturas viventes consumere: *In fremitu conculcabis terram, & in furore obstupefacies gentes* Vestra majestas mille causas habet gentem extirpandi, & annihilandi. Id Deus mente concepit, sed audire quem modum adhibeat: *Ascendes super equos tuos, & quadriga tua salvatio.* Quis est hic modus loquendi obscurus, & confusus? ut verum fatear hoc non capio. Septuaginta legunt: *Ascendens super currum furoris tui, & rota tua peccatorum salvatio.* Velim scire qualem habeant efficaciam & virtutem rotæ currus furoris divini ut peccatores liberent à flagellis Dei. Videamus si per historiam id intelligere possimus.

Cant. Habac. cap. 3.

Septua. Interpr.

Alex. ab Alexand. lib. 1. cap. 27.

4. Si credimus Alexandro ab Alexandria, olim Romani quosdam apparitores, & ministros instituebant, qui urbem à nebulonibus purgarent. Hi antequam officii sui partes agerent quendam ministrum, qui vocabatur Lictor præmittebant. Hic fascem virgarum, vel flagrorum colligatorum cum certis instrumentis ferreis gestabat. Sic videre est apud multos Scriptores, & specialiter apud Plutarchum, qui hunc ritum explicat: *Cur prætorum fasces colligati feruntur, appensis securibus? an id signum iram magistratus non debere esse in proclivi, & solutam? an solutio fascium, quæ paulatim fit moram aliquam iræ injici, & cunctationem & nonnunquam fecit, ut sententia de supplicio exigendo mutaretur: jam cum vitiorum alia sint sanabilia, alia insanabilia: virgâ corrigebantur immedicabiles* Hinc rei videntes lictores fugiebant, & se abscondendo eorum manus evadebant.

Plutarch. in quæst. Rom. n. 82 fol. 141. ver fasces.

Hæc historia nobis declarat sensum verborum Prophetæ: *Qui ascendens super currum furoris tui, & rota tua peccatorum salvatio.* Antequam Deus puniat peccatores præmittit rhedas (loquor metaphoricè) ut audientes strepitum rotarum emendatione supplicia evadant: *Et rota tua peccatorum salvatio.* Id confirmat Origenes: *Signa hæc benignitatis, & Dei nostri misericordiæ sunt; nam tali strepitu excitantur fideles, ut præmoniti, venientes lictores, effugiant.*

Orig cap. 24. D. Lucæ.

5. Insuper Rex serenissimus David hanc politiam, & modum quo Deus solet punire intellexit, ideo dicere solebat: *Dedisti metuentibus te significationem, ut fugiant à facie arcus.* Domine, vel tua majestas vult punire peccatores vel non, si non velit punire ob tot offensas tibi illatas, cur ergo ejacularis arcum justitiæ? quod si velis vindictam repetere, & gravibus suppliciis eos afficere, cur eos præmones? *Dedisti metuentibus te significationem.* Quinimò ut conterriti in fugam sedent, sagittas ostendis: *Ut fugiant à facie arcus.* Respondet Titelmannus, *Dedisti tuis te metuentibus veluti signum quoddam, & indicium venturæ ultionis tuæ, ut effugiant arcum illum, quem jam tetendit fortissimus judex, ut ultionis illius venturæ sagittas evadant.* Hoc sensu dicit Jacobus a Valentia de venatore, quod si videat avem in arbore considere eum arcum instruere, & diligentissimè cavere, ne vel ab ave audiatur, vel videatur; nam si vel voce, vel pedibus ederet strepitum, aut sese ostenderet, præmoneret avem ut fugeret. Dum Deus armavit arcum justitiæ sagittis flagellorum innuit peccatori, ut emendatione se salvet, & arcum ostendit, ut perterritus fugiat: *Nam sicut aves audientes sonitus arcus, aut ballistriæ, si videant alias aves cadentes, vulnera-*

Psalm. 59.

Titelmannus in Psalm. 59. vers. 4.

Iacobus de Valent in Psalm. 5

nervtas, tunc fugiunt à facie arcus venatoris (nam ille sonitus arcus est eis signum, ut fugiant.) En confirmationem; Pontificiam sancti Gregorii: *Monet ergo mundum cum eum destruere vult, & monet homines ad quos judicandos properat, ne condemnet.* Sancte Deus & ubi reperire est eum qui vult ferire inimicum quod prius eum moneat, nisi nostrum Deum? & hoc exinde oritur quia non potest punire juxta nostra demerita. Huic subjungit Archi Episcopus Valentinus: *Dat Deus metuentibus se significationem, & veluti annuit oculo electis suis, cum eos hic corripit, ne illos illa crudelis sagitta perfodiat.*

B.Thom. Vill. serm. 1 Dom 1. Quadrag.

6. Mandat Deus Josue ut exercitum in aciem disponat, & civitatem Jericho invadat, sed ipsi præcipit ut per sex dies continuos milites mœnia circumeant, & tertio die exercitui jungantur sacerdotes, qui septem tubis civibus insonent, & octavo die totus exercitus in clamores erumpat: *Clamate, & vociferamini*: Deus immortalis, & cur tot ritus? nonne melius foret adhibere astus militares, instrumenta bellica, & impetus martiales? cur ex concavis, metallorum vi ignis non emittuntur globi, vel ignes missiles ut portas civitatis quatiant, cur non parantur cuniculi, ut flammis hauriatur. Si Deus illam possit destruere unico die, vel momento, cur vult insumi septem? septem diebus fabricavit universum, & ut res vilis destruatur vult impendi septem; præterea vult ut sacerdotes septem tubis clangant, & toties urbem circumeant. *Septimo autem die sacerdotes tollent septem buccinas, quarum usus erat in Iubilæo: septies circuibitis civitatem, & sacerdotes clangent buccinis.* Cur tot ritus? sic interrogat Chrysostomus: *Mundum universum sex diebus construis, & urbem unam septem in diebus solvis? quid tuæ potentiæ accidit impedimento? quare non repente destruis? montes transferre in mare potes, & urbem unam repugnantem non vis destruere nisi diebus septem?* & respondet ad meum propositum, quod in quolibet ex his sex diebus Deus illos monere voluerit, quatenus se emendarent cives, & desolationem effugerent. Hinc per sex dies continuos voluit ut milites circumirent civitatem, ut excubitores, & vigiles illos viderent, & incolas periculi imminentis admonerent. Septimo die sacerdotes tubas insonabant, ut earum clangor aures civium penetraret, & consternati se dederent, ac vitam emendando ad Deum recurrerent; sic subdit Chrysostomus: *Clementia divinitus tolerat septem huic addit dies, si forte pœnitentiæ susciperent prædicationem, & salvarentur.* An plures præmonitiones desiderari potuerunt?

Iosue c.10.

D. Ioan. Chrysost. apud Labat. Tom. 1. de misericord. Dei pop. 2.

7. Veniamus ad ruinas diluvii universalis. Divina justitia ob peccata hominum diluvio universali mundum submergere decrevit, hinc dixit ad Noë: *Finis universæ carnis venit coram me Delebo hominem, quem creavi à facie terræ.* Ideo fabrica tibi arcam, in qua te cum tota familia salvare poteris; Sanctus ille senex moras non traxit, sed statim executus est divinam voluntatem, & magnam provisionem quercuum, abietum, pinorum & aliarum arborum sibi fecit. Ante ejus domum non nisi trabes, asseres & alia ligna videbantur, quilibet hanc novitatem stupebat, & eum cum senectute cerebrum exuisse putabant, & dum curiosi interrogarent ejus rei causam sic eum respondisse credo, sciatis mei conterranei: Deus ad nostra punienda peccata diluvium mittere vult, ego his lignis asilum mihi fabricare volo. Dum hæc diceret, abibant, & cachinnis eum excipiendo ut stultum eum deridebant. Et crediderim à pueris eum fuisse sibilis exceptum, & manibus complosis ei acclamatum, O stulte, ô stulte, idque ad finem usque arcæ ædificatæ continuatum.

Gen. c.5.

Nunc scire velim quantum temporis insumpserit Noë in exstruenda arca. Scio quod mihi respondebitis centum annos? centum annos? estne possibile quod tantum temporis sit impensum? templum Salomonis adeò pomposum, sumptuosum, pretiosum, spatio septem annorum ædificatum fuit. Piramides Ægypti, quæ numerantur inter miracula orbis viginti annorum spatio fuerunt completæ, quomodo erga centum annos impendit Noë? divus Joannes Chrysostomus solvit difficultatem dicens, Deum voluisse ut videntes fabricari arcam se emendarent, & id confirmasse prædicatione Noe ut pœnas effugerent. Audite Chrysostomum: *Volebat Deus illos qui tam graviter peccaverunt, fabricatione Arcæ admoneri, ut secum cogitarent*

D. Ioan. Chrysost.

quæ fecissent, resipiscendoque non experirentur indignationem.

8. Deus ne ansam habeat te puniendi quot non præmittit monitiones? videt te esse obstinatum in malo, quod eum continuò tuâ sensualitate offendas, jam tot anni elapsi sunt, quibus degis in peccato mortali, non confiteris, non communicas, vivis instar bestiæ, & ac si non haberes corpus, & animam, & nunquam esses moriturus. Te monet, nunc per prædicatorem qui te defendit, nunc per patrem spiritualem, qui te dehortatur à malo, & excitet ad bonum. Sed non curas ejus admonitiones, agitas caput, & rides. Nec ob hoc bonus Deus denuò te monere cessat, nunc per gravem morbum, nunc per mortem filii magis chari, nunc per carcerem, nunc per opum ablationem, non aliam ob causam nisi ut te emendes.

Sed si te pertinacem videat, arripit alterum vexillum suppliciorum, & dum corpus morti, animam orco adjudicat moriris ut bestia damnatus ad pœnas æternas, nec aliquid habes quo te possis excusare, vel defendere: quomodo poterit ille se excusare, qui ultimis mundi temporibus se seduci permittet ab Anti-Christo, cum Christus id diu ante præmonuerit, dicens: *Surgent pseudo-Christi, & pseudo-Prophetæ, ita ut in errorem inducantur si fieri potest etiam electi?* sed audite quid filius Dei subdat: *Ecce prædixi vobis*: non cessavi vos monere, nunc cogitate an ignorantia vos excuset.

9. Indagant plures Scriptores sacri, cur Deus permiserit ut dæmon tentaturus Evam assumpserit potius figuram tortuosi serpentis, quam alterius animalis puta candidæ columbæ, vel mansuetæ ovis. Cùm serpens sit deformis, venenosus, juratus hostis hominis, debebat cogitare quod solo aspectu terreret & fugaret fœminam, sed columbæ sunt domesticæ, absque felle, & oves mansuetæ, & humanæ. Audite subtilitatem cujusdam moderni. Si assumpsisset formam columbæ, vel ovis, potuisset se excusare, dicendo: Quis unquam potuisset cogitare, quod columba adeò candida fuerit tam mala, ut deciperet fœminam? nunquam credidissem, quod ovis ita mansueta adeò fuerit astuta, & prava, ut me pelliceret ad peccatum, & errorem. Deus ergo voluit eum induere formam serpentis, ut Eva sciens quod erat *callidior cunctis animantibus terræ*, non posset allegare quod peccaverit per ignorantiam: *Non sub alia forma, quam sub serpentina permittitur serpenti cum hominibus concertare. Sanè id sub columbina, aut ovina forma ad hominem sermonem diabolus habuisset, posset aliquam de peccato suo ostendere excusationem dicendo? quis enim crederet sub tam simplici formâ fraudes delitescere?* Gen. c.3. Ioan. Pin. Tom 1. fol.42. nu. 14.

10. Sanctus vates Elias cum sacerdotibus falsis acriter certabat cui deberetur honor veri Dei. Dissolvebat rationes eorum, qui eum deberi asserebant Baal. Et in eodem tempore argumentis efficacissimis demonstrabat honorem suo Deo, quem adorabat deberi. Demum hoc pactum inierunt, nempe ut in monte Carmeli duo Altaria erigerentur, & in unoquoque ligna supponerentur, ita ut cujus victima incenderetur, ille verus Deus haberetur: *Dentur nobis duo boves, & illi eligant sibi bovem unum, & in frustra cædentes, ponant super ligna, ignem autem non supponant; & ego faciam bovem alterum, & imponam super ligna, ignem autem non supponam: Et Deus qui exaudierit per ignem, ipse sit Deus.* Nemo non putavit hoc pactum minimè rejici posse, & omnes illud admiserunt, dicendo: *Optima propositio.* Agedum, ait bonus Elias vos primo sacrificate, & honorate vestrum Baal ego vobis præcedentiam concedo: *Facite vos primi, & invocate nomina Deorum vestrorum.* Hic mihi videtur Elias parum practicus, & natare in aere. Agitur de puncto honoris, & falsus Deus Baal primas feras, locus primus, qui est dignior debebatur Deo Israelitis, ergo non debebat permittere Elias tale præjudicium. 3 Reg. cap. 18.

Vere, inquit sanctus Theodoretus Elias hic se prudentissimum exhibuit, nec vituperio, sed laude dignus est. Si sacerdotes falsi non tulissent primas, dum postea ignis cælestis non descendisset super ipsorum victimas, quem à Deo petebant, potuissent se excusare dicendo, non est mirum quod a nostro Baal non simus exauditi, indignatus est, quod Deo Israelis dederimus primas, & ægrè tulit præjudicium tam notabile illatum suo honori. Agedum

dum, ait sanctus Vates hanc excusationem præscindam: *Facite vos primi, &c* Id confirmat Theodoretus : *Prius voluit ipsos nomen Baal invocare, ne pudore affecti mendacii dicerent, ægrè ferre Baalim, quod non inprimis munus acceperit.*

D. Theod. ibid.

11. Dum Rex Balthasar in convivio epularetur audaciter sacra vasa, quæ ipsius pater Nabuchodonosor in occupatione urbis Jerusalem è templo surripuit, & inter thesauros reposuit mensæ inferri jussit, & non solum profanavit illa ex iis bibendo, sed & permittendo, quod omnes convivæ ex iis biberent etiam infames concubinæ. Deus scelus hujus Regis ægrè ferens manum misit, quæ in pariete vicino hæc verba exaravit : *mane, Thecel, Phares,* quæ sic explanat Daniel : *Mane numeravit Deus regnum tuum, & complevit illud. Thecel: Appensus es in statera, & inventus es minus habens. Phares, divisum est regnum tuum, & datum est Medis, & Persis.*

Daniel cap. 5.

Sed in hoc facto debemus observare quandam diligentiam Scripturæ, nempe quod dicat manum scripsisse: *In pariete contra candelabrum.* Quid refert dicere, quod litteræ fuerint exaratæ è regione candelabri. Multum interfuit; nam potuisset se excusare dicendo conclave esse amplum, muros altos, litteras scriptas in loco obscuro, & se non potuisse videre. Sed hæc excusatio tibi non prodest. O Balthasar, nam Deus sententiam tuam clarè voluit exprimi, ne posses te excusare, quod eam non videris. Conceptus est sancti Patris Hieronymi : *Videntur digiti in pariete scribere contra candelabrum, ne manus id quod scribebat longius à lumine appareret.*

D. Hieron.

12. Valde difficilia intellectu videntur hæc verba Salvatoris: *Si non venissem, & locutus iis fuissem peccatum non haberent, nunc autem excusationem non habent de peccato suo.* Sanctus Augustinus valde admiratur hunc modum loquendi. Ergone si Christus non venisset Hebræi nullius criminis essent rei? nonne ante Adventum Filii Dei gravia in Hebraismo committebantur peccata? dicere voluit Dominus, si non venissem, & iis prædicassem, essent aliquo modo compassione, & excusatione digni, voluit significare per illa verba peccatum non haberent, sed modo eorum peccatum est inexcusabile. Hinc Cajetanus: *Significantur quod non habent colorem, seu apparentiam excusandi peccatum suum post manifestam meam prædicationem.*

Ioan. cap. 15.

Cajetanus in cap. 15. Ioan.

13. Nemo est, qui culpas pallio excusationis involvere non conetur, res quæ summè displicet Deo prout ex sancto Marco eruitur. Mare conturbabatur, undæ susque, deque volvebantur, Discipuli qui erant in navi conterriti ad magistrum fugerunt, & eum excitarunt, dicendo: *Magister, ad te non perveniet, quia perimus.* Ille subito ventis ut quiescerent, mandavit: *Et exurgens minatus est vento,* & dein conversus ad mare illi præcepit ut taceret, & obmutesceret: *Et dixit mari, tace, & obmutesce.* Sed quomodo hoc mandat mari si sit elingue, nec possit formare voces? an forsan loquebatur? an proferebat verba? & quid dicebat? videbatur, respondet Celada quod mare se voluerit excusare, dicendo se non esse causam illius tempestatis, sed ventos à quibus infestabatur. Christus ergo qui non vult excusationes, jubet ei ut taceat: *Vix mare reprehendit Christus cum illi silentium indixit, & iterum mutum fecit, ne verba conaretur, & erumpere in vocem quâ se excusaret.*

D. Marc. cap. 4.

Didac. Celad. in Iudit cap. 6. v. 1. §. 3. moral. nu. 14.

14. Quot sunt, qui se excusant, dicendo non potui non patrare illud peccatum, dæmon me tentavit, & instigavit, occasio facit furem, societas amicorum me præcipitem dedit, necessitas me coegit, restiti quantum potui, non debebam nasci sub tali constellatione. Audite Davidem: *Confitebor adversum me injustitiam meam Domino.* Domine, peccata mea meæ depravatæ voluntati tantum ascribo. Sic quidam devotus Scriptor : *Confitebor adversum me. Non equidem in te Deum creatorem meum pia culi mei culpam convertam, non dæmonem accusabo omnis impietatis, & injustitiæ impulsorem, qui nonnisi volentem revincit. Non infirmitatis meæ accusabo naturam, quam ipsi emaculavimus, quam ipsi nobis fecimus impiam gravem, sævam, & duram novercam in omne flagitium facile pronam, sed peccati mei in te, coram te, & flamine tuo me ipsum accusabo. Quoniam peccavi, non stellæ, non sidus aliquod, non fatum, non diabolus, non denique homo me ad malum coegit, traxit, illexit : Verum ipse peccavi, quia volui, ipse me illexi, impulsor, & suasor fui. Domine, miserere.*

Basilius Cotta. Senen. in Psalm 31. fol. 15. col. 2. v. 6.

15. Alii non tantum excusant peccata, sed & bona opera omissa dicendo fuimus impediti, non habuimus commoditatem, putavimus omne opus bonum difficile, & millenos similes prætextus adferunt. Sed non sunt fundati nisi in malitia humana prout ex his verbis Christi deduci potest: *Si quis dederit potum aquæ frigidæ: Amen dico vobis non perdet mercedem suam.* Hoc mandato voluit insinuare Christus rem esse facillimam bene operari, nec ullam suffragari excusationem. Ideo dicit Albertus Patavinus: *Aquæ frigidæ, non calidæ, ne quisquam se excuset de penuria ignis.* Et Dionysius Carthusianus: *Nullus ergo adeò pauper est, ut possit se omissione operum misericordiæ excusare.* Et demum sanctus Thomas concludit: *Frigidæ, inquit, non calidæ, ne & in calida paupertatis, penuriæ lignorum excusatio quæreretur.* Idem opinatur Cajetanus, dicens: *Qui potum non vini, sed aquæ frigidæ* (*ut nullum laborem aut sumptum fecerit calefaciendo non perdet mercedem suam.* Si ergo ad operandum bene nulla sit difficultas, vel incommoditas juxta monitum Ludolphi à Saxonia: *Tollamus ergo de medio excusationes vanas & malas.* Idem monet Christus, dicens: *Ecce prædixi vobis, nolite credere.*

Albert. Pat. serm. 8. fer. 4. Cin. fol. 10 col. 3. Dionys. Cart. in Matth. c. 10. art. 11. D. Thom. in Cat. ca. 10. Matth. Cajet. in Matth. c. 10. fol. 66. Lu.tol.

16 Et si aliquis sit inexcusabilis sane is est Christianus, sic ait meus Valentinorum Archi-Episcopus. *Dicet Gentilis nescivi, Judæus non audivi, Paganus non intellexi,* Sed tu, ô Christiane, qui vixisti ut bestia, an forsan te excusare poteris, quod non sciveris modum bene operandi, quod illum non sis edoctus, vel, quod eum non intellexeris? *Tu vero miser, quid dicturus es.* Confunderis, & instar bombicis, *illaquiaberis ore.*

Car. de invitatis ad cænam. fol. 376. lect. 1. cap. 81. D. Thom. à Villa Nova.

Ipsæ creaturæ in quarum præsentia peccasti te accusabunt. Cyrillus Hierosolymitanus vestigia Judæ, quibus magistrum traditurus perrexit adhuc horto Olivarum impressa servari tradit. Mirum est, nec ullum vix reperiri signum antiquæ Hierosolymitanæ, & in horto Gethsemani nullam viridem plantam vel herbam esse, & tamen adhuc servari illæsa vestigia Judæ: *Porro Gethsemani amisit hortum* (ut vix cognosci possit) *& tamen non amisit vestigia Judæ, illa hodie quasi recentia proponens. Multa sunt de Christo testimonia, testatur Pater de cælo, testatur Spiritus Sanctus; hortus testatur Gethsemani, modo monstrans Judæ vestigia adhuc considerantibus.* Ne ille nequam crimen negare vel excusare audeat terra per ejus vestigia eum accusabit.

Cyrillus Hierosol. Cat. 10.

17. Dum Zacharias jussu Josiæ Regis Israël, quia arguerat eum de idololatria lapidatus fuisset *sanguis eius*, verba sunt D. Hieronymi, *in saxis, & lapidibus pavimenti adeò fuit impressus, ut nunquam deleri potuerit.* Idem affirmat Tertullianus: *Zacharias inter Altare, & ædes trucidatur, perennes cruori sui maculas silicibus assignans.* Id factum forsan ut si vellet Josias se excusare ipsi lapides purpurei ejus injustitiam, & homicidium proderent.

D. Hieron. apud Petrum de Natal. in vita S. Zach. Tertull. contra gentes.

Idem testatur magnus Basilius de Seleucia de Saule, qui irâ exæstuans innocentem David hastâ transfodere voluit, sed dum David declinaret ictum furor dextræ Regalis parietem petiit, & in eo signum impressit. *Tenebat Saul lanceam, & misit eam putans quod transfigere posset cum pariete, & lancea in ipso pariete infixa est.* An forsan casu accidit, ut paries læderetur? nequaquam sed Deus id permisit ut casu quo auderet excusare feritatem suam esset testis eum excusans. En Basilium: *Ictum paries accipit, omnibusque facinus indicat, ita David periculo exemptus est, & paries funestæ manus monumentum tali sustinuit impressione.*

1. Reg. c. 18. D. Basil. Seleucus. orat. 15.

Quis ergo audebit se excusare apud illum Deum coram quo responsa evanescunt, & abeunt in infernum? Audi Procopium. *Vt enim Deus misericors cum ad supplicium peccatorum descendere cogitur, prius obstinatam illorum imprudentiam omnibus patefacere, ut suâ iustitiâ qualis est incorrupta demonstretur, nullaque peccatoribus excusatio, aut iustitiæ querimoniæ supersit ratio, sed suo in scelere deprahensi, ac se ipsos ultro damnantes obmutescant, & cooperti sint diploide confusione sua.* Quiescamus.

Procopius Gazeus.

SECUNDA PARS.

18. DUm venerit Anti-Christus suas perfidias operaturus servator suadet fugam: *Fugite in montem;* fugere non est semper meticulosi, sed aliquando generosi. Fuga non est semper infamis, sed sæpe generosa; ergo tu adversario tuo audacter occur-

occurras ego ero ex illis qui fugiendo terga vertunt; nam, ut ait magnus Doctor Hieronymus: *Fuge, & vicisti*: prudens namque reputabitur qui fugit, & adversarium declinat, & imprudens qui eum quærit, vel ei occurrenti occasionem indagat. Sic Salomon testatur: *Sapiens timet, & declinat à malo, stultus transilit, & confidit.* Huic adjungit Tertullianus: *Qui præsumit minus veretur, utilius ergo si speremus nos posse delinquere, sperando enim timebimus, timendo cavebimus, cavendo salvi erimus.* Hanc veritatem agnovit, & denuò roboravit sanctus Hieronymus, dum dixit: *Confiteor imbecillitatem meam, pergo ad eremum ut bella non patiar, nolo spe pugnare victoriæ, ne perdam aliquando victoriam.* Qui pertinaciter vult pugnare turpiter vincitur, qui hostem non declinat, non obtinebit victoriam. Joseph cecidisset in pugna ei oblata ab impudica uxore Putipharis nisi fugam non minus generosam, quam gloriosam arripuisset: *Relicto in manu eius pallio fugit, & egressus est foras.* Hanc fugam Dux cælestis militibus Apostolis suasit. *Tunc qui in Judæa sunt, fugiant ad montem.* O insigne stratagema, quo ad vincendum inimicum capitur, fuga. Hirundo dum hieme fugit, salvat vitam, de qua quidam hoc formavit symbolum, *alio hyemandum.*

D. Hieronymus. Proverb. cap. 14. Tertull. lib. de cul. tu fam. c. 2. D. Hieronymus. Gen. c. 39.

19. Veniamus ad Scripturas. David hæc verba protulit: *Rex virtutum dilecti, dilecti.* Hebræus legit: *Reges virtutum fugerunt, fugerunt.* Sanctus Hieronymus: *Reges virtutum fœderabuntur.* Felix Pratensis: *Reges virtutum fugiunt, fugiunt.* Quid significat *Reges virtutum*? respondet Mendoza: *Reges fortissimi, & robustissimi.* Sed si erant fortissimi, quomodo capesserunt fugam. Quomodo simul stent fortissimi, & fugerunt? voluit dicere quod fugiendo demonstrarint suum valorem. Hinc iste Psalmus intitulatur: *Vincenti David Psalmus cantici.* Psalmus ergo iste compositus est à Vate & Rege David ad honorem fugientium. Sic observat quidam modernus scriptor: *Viri omnibus virtutibus munitissimi à minimis etiam tentationibus caverunt, & fugerunt; nam in hoc certamine, fuga est victoria, pugna vero aliquando est ruina.*

Psal. 67. D. Hieron. Felic. Praten. apud Felic. Prat. Psal. 67. Franc. Mendoza lib. 1. Reg. cap. 4. sect. 3.

20. Dum David fuga evaderet mortem, quam illi moliebatur Rex Saul in gratiarum actionem quendam Psalmum composuit, & ut Deo ageret gratiam ob victoriam ab inimico Saul reportatam eum sic intitulavit: *Psalmus David dum fugeret à facie Saul in speluncam.* Sed si fugiebat, quomodo obtinuit victoriam? forsan, quia dicere solebat Achilochus Poëta Græcus: *Satius est clypeum abiicere, quam interire.* Verum quidem est quod David fugerit, nihilominus victoriam cecinit: *Exurge gloria mea, exurge psalterium & cythara, exurgam diluculo.* Ne miremini, ait supradictus Author, *Davidis fuga, non indecora fuit, sed gloriosa.* A Davide, qui Mars victoriarum fuit, & bellorum ne abeamus, ob has Deo gratias agens, sic cantabat. *Qui fecit pedes meos tanquam cervorum.* Idem cecinit Propheta Habacuc: *Deus Dominus fortitudo mea, & ponet pedes meos quasi cervorum. Et super excelsa mea deducet me victor in Psalmus canentem.* Rex David, & Propheta Habacuc agunt Deo gratias, quod illis dederit pedes cervorum. Sed cur potius non referunt grates Deo, quod iis dederit animum intrepidum, & generosum? Plinius refert cervos fugere audito latratu canum, canibus ergo auditis fugiunt, & vitam salvant; nam si vellent cum iis certare, absque dubio interimerentur. Habes ergo mentem Davidis, & Habacuc. Deo agunt gratias ob sibi collatos pedes cervorum, hoc est, velocitatem in fugiendo, per quam sperabat victoriam. Sic supradictus Author: *Ut facile quis intelligat etiam in fuga à tentationibus fortitudinem divinam collocari.*

Psal. 67. Achilochus Poëta. Mendoza ubi supra. Psal. 17. Habacuc cap. 3. Franc. Mendoza ibid.

Hoc sensu dicere solebat Salomon: *Frustra iacitur rete ante oculos pennatorum.* Si avis audax, & temeraria certet cum venatore, & se ejus insidiis opponat, facillimè reti concluditur, sed si alis expansis avolet, & velociter se in fugam det, effugit insidias, & fraudibus se subtrahit. Sic Beatus Solonius: *Pennati isti sunt sancti viri, qui habent spirituales oculos, quibus & insidias hostis prævident, & parata fugiendo, præcavendo præcavent.*

S. Solonius.

21. Finire volo cum eo quod evenit Apostolo. Corinthiis suas heroicas actiones scribit, & dicit se sæpius pugnasse, sed semper succubuisse: *Ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum, ter naufragium pertuli pro Christi nomine.* Sed postea se semel pugnasse glo-

2. Cor. 11.

se gloriatur, & victoriam obtinuisse: *Per fenestram in sporta dimissus sum per murum, & sic effugi manus eius in nomine Domini.* Meliori modo quo potuit corbi se includi fecit, ac è fenestra dimitti, & sic vitam salvavit. Hunc actum generosum, & heroicum putavit, & de eo Corinthios per literas certiores reddidit, ac si victoriam obtinuisset. Sed si fugit, quomodo victoriam & palmam reportavit? observate, quod per sportam fugerit, sed cur non per funem? jurarem in hac sporta quoddam mysterium latere. Videamus, si sitanimus illud inveniendi. Author quidam nomine, & ingenio peregrinus testatur illo ævo sportas ex palmis victoriæ symbolis confici solitas. Optime, Paulus ergo in tali sporta fugit, ut ostenderet se fugiendo vicisse, & palmam victoriæ obtinuisse: *Adnimadvertite diligenter haud temere mentionem fieri* Alexand. Pellegr.

sporta: crediderim ut intelligatur, quam gloriosa sit fuga bellatorum Christi, sporta enim palmis conficiebantur, palmam vero victorum honestamentum semper fuisse decantatur in triviis. Sic etiam Beda & Glossa: *Sporta plerumque à palmis conteritur, in sporta igitur Paulus fugit, quia eius fuga non timor, aut imbecillitas, sed fortitudo, & palma consequitur.* Hinc Salvator suadet fugam. *Tunc qui in Iudaa sunt, fugient ad montem.* Non alia de causa nisi quia juxta divum Thomam à Villa Nova: *Fugisse, vicisse est: nam qui amat periculum, peribit in illo. Fugite ergo, & vincetis,* & ite in pace.

Parad. 16. cap. 2. n. 13.

Beda & Gloss. apud Lorin.

B Thom. à Villa Nova Conc. 2. Dom. 1. Quad.

F I N I S.

Ad honorem immaculatæ Conceptæ Virginis, cui nuper Alexander Septimus favit.



INDEX LOCORVM
SACRAE SCRIPTVRAE
QVÆ EXPLICANTVR à DOMINICA IN Albis, usque ad Dominicam Pentecostes.

CAP.

CAP. 8.

V. 9. *Constitue mihi quando deprecer pro te.* Dom. 5. n. 6

CAP 12.

V. 11. *Renes vestros accingetis, & comedetis festinanter.* Dom. 3. n. 5

V. 14. *Celebrabitis eum cultu sempiterno,* Dom. 6. n. 16

CAP. 24.

V. 7. *Omnia quæ locutus est Dominus faciemus, & erimus obedientes,* Dom. 3. n. 14

EX LEVITICO.

CAP. I.

V. 3. *Masculum immaculatum offeret,* &c. Festo Ascensionis, n. 16

CAP 25.

V. 8. *Numerabis septem hebdomadas annorum.* Dom. 6. n. 9

EX LIBRO NUMERORUM.

CAP. 6.

V. 24. *Benedicat tibi Dominus, & custodiat te,* &c. Dom. 6. n. 15

CAP. 21.

V. 5. *Deest panis non sunt aqua,* &c.

CAP. 25.

V. 11. *Phinees avertit iram meam,* &c. Dom. 6 num. 12.

V. 13. *Ecce do ei pacem fœderis mei,* Ibid. Dom in Albis, n. 5

EX DEUTERONOMIO.

CAP. 6.

V. 4. *Audi Israel Dominus Deus noster unus est.* Dom. 6 n. 3

CAP. 30.

V. 3. *Reducet Dominus Deus tuus captivitatem tuam,* Ibid. n. 15

EX LIBRO JOSUE.

CAP. 10.

V. 12. *Sol contra Gabaon ne movearis,* Dom. 5. num. 11.

EX LIBRO PRIMO REGUM.

CAP 1

V. 5. *Dominus autem concluserat vulvam ejus,* Dom. in Albis, n. 15

CAP. 2.

V. 1. *Exultavit cor meum in Domino,* Ibid.

CAP. 12

V. 24. *Timete Dominum, & servite ei in veritate,* Dom. 6 n 3

CAP. 17.

V. 25. *Virum, qui percusserit eum, ditabit eum Rex.* Dom. 4. n. 6

EX LIBRO II. REGUM.

CAP. 5.

V. 6. *Non intrabis huc nisi abstuleris cæcos,* &c. Dom. 4. n. 10

CAP. 7.

V. 13. *Stabiliam thronum regni ejus usque in sempiternum.* Dom. 6. n. 16

CAP. 9.

V. 4. *Porro Rex operuit caput suum,* &c. Dom. in Albis, n. 5

CAP. 24

V. 6. *Misertus est Dominus super afflictione, & ait Angelo,* Dom. 5. n. 7

EX LIBRO III. REGUM.

CAP. 21.

V. 4. *Projiciens se in lectulum avertit faciem,* Dom. 2, n. 11

EX LIBRO IV.

V. 12. *Pater mi, pater mi, currus Israel,* &c. Dom. 4. n. 9

EX LIBRO PRIMO PARALIPOMENON.

CAP. I.

V. 6. *Omnis qui percusserit Iebusæum ipse erit princeps.* Dom. 4. n. 11

CAP.



INDEX LOCORVM SACRAE SCRIPTVRAE

Quæ explicantur

A DOMINICA PENTECOSTES usque ad Dominicam Adventus.

EX GENESI.

CAPUT I.



Cum

EX EXODO.

Cap. 3.

Cap. 3. *Apparuit ei Dominus in flamma ignis in medio Rubri*, Dom. decimaoctava, num. 14.

Descendit ut liberem eum de manibus Ægyptiorum, & educam de terra illa in terram bonam & spatiosam, in terram quæ fluit lacte & melle, Dominica decimanona, num. 4.

Veni, & mittam te ad Pharaonem, ut educas populum meum filios Israel de Ægypto, Dom. 7. post Pent. num. 6.

Cap. 4. *Non sum eloquens, impeditioris & tardioris linguæ sum*, ibid.

Cap. 5. *Deus Hebræorum vocavit nos, ut eamus viam trium dierum in solitudine, & sacrificemus Domino Deo nostro, ne fortè accidat nobis pestis aut gladius*, Dominica Trinit. num. 18.

Cap. 7. *Dic ad Aaron tolle virgam tuam, & extende manum super aquas Ægypti, & super fluvios eorum, ut vertantur in sanguinem*, Domin. 11, num. 8, & Dominica 21, num 13.

Percussit aquam fluminis quæ versa est in sanguinem, & non poterant Ægyptii bibere aquam fluminis, dominica Trinitatis, num. 21.

Cap 8. *Orate Dominum, ut auferat ranas à me, & à populo meo*, dominica 23, num. 4.

Cap. 9. *Mortuaque sunt omnia animantia Ægyptiorum*, dominica nona, numer. 9.

Et dixit Dominus ad Moysen, & Aaron: Tollite plenas manus cineris de camino, & spargat illum Moyses in cœlum coram Pharaone, dominica vigesimaprima, numer. 11.

Cap. 10. *Ite sacrificate Domino Deo vestro oves tantum vestræ, & armenta remaneant*, dom. 14, num 5.

Extende manum tuam super Ægyptios, ad locustam, & devoret omnem herbam, dom. 9, num. 10.

Cap. 12. *Loquimini ad universum cœtum filiorum Israel, & dicite eis, decima die mensis hujus tollat unusquisque agnum*, domin. 2. num. 12.

Erit autem agnus absque macula, masculus, anniculus, dominica tertia, num. decimoquarto.

Renes vestros accingetis, dom. 1, num. 19.

Petierunt ab Ægyptiis vasa aurea, & argentea vestemque plurimam. Dominus autem dedit gratiam populo coram Ægyptiis, ut commodarent eis, & spoliaverunt Ægyptios, dom. 14, num 8.

Profectique sunt filii Israel de Ramesse in Socoth sexcenta ferè millia peditum virorum, absque parvulis, & mulieribus, dominica 14, num. 8.

Sed, & vulgus promiscuum innumerabile ascendit cum eis, oves, & armenta, & animantia diversi generis multa nimis, ibidem.

Cap. 13. *Quicquid habueris masculini sexus consecrabis Domino, primogenitum asini mutabis ove*, dominica tertia, numero 15.

Armati ascenderunt filii Israel de terra Ægypti, dom 19, num 9

Cap. 14 *Tollens se Angelus Dei, qui præcedebat castra Israel, abiit post eos*, dominica 12, num. 9.

Cap. 15. *Tunc cecinit Moyses, & filii Israel carmen hoc Domino*, dominica vigesima, num. 4

Evaginabo gladium meum, interficiet eos manus mea, dom. 14, num 7.

Venerunt autem in Elim filii Israel ubi erant duodecim fontes aquarum, dominica 5. num. 4.

Cap. 16. *Et murmuravit universa multitudo filiorum Israel contra Moysen & Aaron in solitudine*, dominica quarta, numero nono.

Cap. 29. *Tolles adipem de ariete, & caudam*, dom 3, num. 14

Cap. 32. *Noli orare pro populo isto: dimitte me ut irascatur furor meus*, dominica 23, num 4

Cap. 33. *Non videbit me homo, & vivet*, dom. 2, num. 4.

Cap. 34. *Omne quod aperit vulvam generis masculini meum erit, de cunctis animantibus tam bobus, quam de ovibus meum erit*, Exod. 3, num. 15.

EX LEVITICO.

Cap. 2. *Omnis oblatio, quæ offertur Domino, absque fermento fiet*, dom. 2, num. 26.

DE

DE ESTHER.

EX JOB.

EX LIBRO PSALMORUM.

Psal. 58.

EX PROVERBIIS SALOMONIS.

DE ECCLESIASTE.

DE CANTICO CANTICORUM.

EX LIBRO SAPIENTIÆ.

DE ECCLESIASTICO.

DE ISAIA PROPHETA.

EX JEREMIA.

DE EZECHIELE.

DE DANIEL.

DE OSEA.

EX JONA.

EX MICHEA.

EX DIVO MARCO.

EX DIVO LUCA.

EX DIVO JOANNE.

DE ACTIBUS APOSTOLORUM.

Tanquam advenientis spiritus vehementis, Domin. Pent. n 22.

Cap. 4. *Multitudinis credentium erat cor unum, & anima una*, Dom. 4. num. 5.

Cap. 5. *Quare posuisti in corde tuo hanc rem? non es mentitus hominibus*, Domin. 16. numer. 11.

Cap. 7. *Domine, ne statuas illis hoc peccatum*, Dom. 13.

Cap. 9. *Accepit Epistolas in Damascum, ut si quos invenisset hujus vitæ viros, ac mulieres, vinctos perduceret in Ierusalem*, Dom. 4. n. 6. & Dom 7. n. 8.

Cap. 12. *Oratio autem fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo*, Domin. 23. numer 4.

Erat Petrus dormiens inter duos milites vinctus cathenis duabus dormiens, Dom. 12. n 6.

Processerunt vicum unum, & continuo discessit Angelus ab eo, Dom. 2. n 10.

Et ut cognovit vocem Petri, præ gaudio non aperuit januam, sed intro currens nuntiavit stare Petrum ante januam, Dom. 12. n. 7.

EX DIVO PAULO AD ROMANOS.

Cap. 1. *Invisibilia Dei à creatura mundi per ea, quæ facta sunt intellecta conspiciuntur*, Dom. Trinit. n. 2.

Cap. 3. *Vbi est ergo gloriatio tua? exclusa est: per quam legem? factorum? non: sed per legem fidei. Arbitramur enim justificari hominem per fidem sine operibus*, Dom 7. n. 16.

Cap 4. *Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad justitiam*, ibid. num 17.

Cap. 11. *O altitudo divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei!* Dom. Trinit. num. 1.

Cap 12. *Non plus sapere, quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem*, Dom. 4. num. 11.

AD CORINTHIOS.

1. Cap. 3. *Omnis sufficientia nostra ex Deo est*, Dom. Pent. n. 19.

1. Cap 11. *Accipite & comedite, hoc est corpus meum*, Dom. 2. n. 1.

1. Cap. 15. *Cum tradiderit regnum Deo Patri, cum evacuaverit omnem principatum potestatem, & virtutem*, Dom. 12 num. 19.

2. Cap. 11. *Nam hujusmodi Pseudo Apostoli sunt operarii subdoli, transfigurantes se in Apostolos Christi*, Dominica decimaseptima, num. 14.

Ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum ter naufragium pertuli pro Christi nomine, Dom. 24. n. 22.

Periculis fluminum periculis latronum, periculis ex genere periculis ex gentibus, periculis in civitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus, Domin 12, num. 1.

AD GALATHAS.

Cap. 5. *Currebatis bene; quid vos impedivit?* Dom. 3. n 18.

Cap 6. *Ergo dum tempus habemus operemur bonum ad omnes*, Dom. 7. n. 16.

AD EPHESIOS.

Cap. 6. *In omnibus sumentes scutum fidei*, Domin. 7. n. 3.

AD TIMOTHEUM.

1. Cap. 2. *Vult omnes homines salvos fieri*, Domin. 2. num. 11.

Cap. 6. *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli*, Domin. 14 num. 16.

AD TITUM.

Cap 1. *Confitentur se nôsse Deum, factis autem negant, cum sint abominati, & incredibiles, & ad omne opus bonum reprobi*, Dom. Trinitat num. 16.

AD HE-

Finis Indicis Locorum Sacræ Scripturæ.

INDEX
RERUM NOTABILIUM
QUÆ CONTINENTUR à DOMINICA IN Albis usque ad Dominicam Pentecostes.

Dicta

INDEX
RERUM NOTABILIUM
QUÆ CONTINENTUR IN HOC OPERE à Dominica Pentec. usque ad Dominicam Adventus.

S.

T.

Tama.

FINIS.

INDEX PRO FORMANDIS CONCIONIBUS.

DOMINICA I. ADVENTUS.
Matth. 21.

Cùm venisset ad montem Oliveti.

O Deus cùm te occisuri sint, cur fugis ad montem Oliveti, qui symbolum est misericordiæ? cur non potius te confers ad vallem Josaphat justitiæ symbolum ut ex illo obtineas à patre plures legiones Angelorum, qui perfidios illos tuæ vitæ insidiantes puniant? ad montem Oliveti se contulit, ut ostendat quod esto justam ansam habeat illos puniendi, tamen misericordiam prævalere, ut ostendit concio Domin. sextæ post Pentecosten.

Dominus his opus habet?

Cur, ô Domine, non accipis plura jumenta ut etiam Apostoli in illis equitare possint? an non es magister humilitatis, qui doces humilitatem, cur ergo tu equites, & Apostoli pedites incedant: docere voluit excessum in quolibet genere esse nocivum; cum enim Apostoli ire possent æque commodè pedites, noluit pro iis jumenta petere. Domin quarta post Pentecost.

Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus.

Cùm esset Rex certum est quod vexerit in nostrum commodum; eo namque fine reges, prælati, & superiores instituuntur, ut commodo subditorum, non suo intendant, & studeant omnes ad Pascua æternæ salutis adducere, Dom. secunda post Pascha.

DOMINICA II. ADVENTUS.
Lucæ 21.

Erunt signa in sole & luna.

Sed cur in sole ac luna sint signa? primo ut ejus magna misericordia appareat; nam esto nos justè posset punire absque ulla præmonitione prævia, tamen nos vult minis, & terroribus præmonere ut nos emendemus, & sic culpas evitemus. Dom. 24. post Pentecosten, vide etiam de la Hay, in Indice concionatorio Dominicæ primæ Adventus, & Engelgrav Tomo secundo in eadem Dominica. Secundo erunt signa, ne possit videri quod ipse puniat; nam dum punire debet totus in id est ne ipse Author pœnarum cognoscatur. Dom. 6. post Pentecosten, num. 10.

Videte ficulneam & omnes arbores, &c.

Non dixit, videte arbores cum producunt flores, sed fructus; quia qui in judicio sine fructibus bonorum operum comparebit ille damnabitur. Dom. 7. post Pentecost.

Cælum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt.

Quomodo verba Dei non transibunt, & mutantur si Deus aliquid prædixit aliquando quod tamen non contigit ut patet in Ninivitis? id potest oratio; nam si Deus posset mutari, oratio id faceret, illa enim sæpè non facit evenire, quod Deus dependenter ab illa præmisit, Dom. 23. post Pentecosten.

DOMINICA III. ADVENTUS.
Matth. 11.

Si Joannes misit Discipulos suos ad Christum quia dubitabant an ipse esset Messias, & ut sic eorum dubitatio tollere-

tur,

tur, cur hoc non exprimit sacer Evangelista? sacer Scriba docere nos voluit quam cauti debeamus esse in defectibus propalandis, & quod illos celare debeamus, sic in simili non nominat Magdalenam, sed eam compellat nomine communi mulieris, Dom. 8. post Pentecost. num. 12.

Cùm audisset Ioannes in vinculis.

Si Joannes Herodi erat valdè gratus, ita, ut eum libenter audiret, quomodo nunc ab eo conjectus est in carcerem? sine dubio Herodes ut suum crimen palliaret aliquem prætextum bonum adhibuit fortè quod Joannes esset seditiosus, & turbaret bonum publicum; nam familiare est pravis propria commoda aliquo prætextu virtutis palliare, Dom. 17. post Pentecost.

Tu es an alium exspectamus?

Ac si diceret; tu es exspectatio gentium frustra alium exspectamus, & in aliis rebus spem nostram collocamus, in uno enim Deo spes nostra collocanda est, Dom. 23. parte 2.

DOMINICA IV. ADVENTUS. Joan. 1.

Confessus est, & non negavit.

Confitetur, & non negat, & sæpè eadem repetit. Standum enim est in virtute nec fluctuandum, sed in virtute perseverandum, ac de virtute in virtutem eundum, nam nulla opera bona aliquid sunt sine perseverantia, & illi sola corona & gloria debetur. Dom. 3. post Pentecosten.

Non sum Elias.

Si Spiritus Sanctus dixerat eum fore venturum in spiritu Eliæ, quomodo jam negat se esse Eliam? solum id dixit ex humilitate, ideo etiam adeò Deo gratus fuit; nam portenta humilitatis sunt valde sublimia, & Deus valdè humiles exaltat. Concione 10. post Pentecost. num. 12.

Propheta es tu? Respondit non.

Si Dominus Prophetam, & plus quam Prophetam eum dixit, cur ipse hoc negate sanè? ut qui ad summum gloriæ apicem cui peccatum inerat prius sollicitatus fuerat, non solum malum respueret, sed & occasiones peccandi proscinderet; Dom. 18. post Pentecosten, ubi ostenditur quomodo occasio sit vitanda, vide & Momigno in Quadragesimali Concione 4. part. 2. & in Directorio sermone 11. & 14.

FESTUM SOLEMNE NATIVITATIS.

Evangelizo vobis gaudium magnum, quia natus est vobis hodie Salvator mundi. Lucæ 2.

Vides hic expressè in quo magnitudo hujus gaudii consistat, scilicet in eo, quod illis sit natus Salvator mundi, nam solus Jesus universos lætificare potest, Dom. in Albis per totum maximè n. 16.

Et verbum caro factum est. Joan. 1.

Si verbum assumpsit humanam naturam, cur non dicit: *Verbum homo factum est*, vel, *Verbum anima facta est.* Cùm anima sit nobilior corpore? voluit Deus ostendere se non esse acceptorem personarum; nam si dixisset: *Verbum factum est anima*, ostendisset se partialem eo quod anima quandam communicationem cum Deo habeat. Domin. 22. post Pentecosten, præcipuè num. 12.

Verbum caro factum est.

Sed quis induxit verbum ut fieret caro? preces, & orationes Deiparæ: nam ut illa dixit: *Fiat mihi secundum verbum tuum, verbum factum est caro.* Hinc colligimus Deum tanti æstimare preces ut maxima dona earum intuitu donare velit: Vide Dominicam 23 post Pentecosten, & quintam post Pascha.

FESTUM DIVI STEPHANI.
Matth. 23.

Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta.

Hoc est supplicium gravissimum quod Deus nobis inferre potest. Si domus nostra sit deserta, hoc est, si anima solam fidem habeat, & careat veris operibus: nam de ea actum est & Deus eam repellet, nec illam cælo admittet, Dom. 7. post Pentecosten, ubi ostenditur quod debeant adesse opera bona ad hoc ut salvari possimus.

Ierusalem quoties volui congregare filios tuos, &c.

Magnam compassionem Christus ostendit erga Hierosolymam, & videtur magnam compassionem habere cum ejus angustiis, miseriis, & calamitatibus, sed cur non facit mentionem de seipso? an non cum occisuri sunt? hinc patet quod nostris miseriis magis compatiatur quam suis, quod injurias nobis factas gravius ferat quam sibi illatas, & ideo facit tantum mentionem de homicidio suorum, Dom. 9. post Pentecosten.

Domine, ne statuas illis hoc peccatum.
Actuum 7.

Magna est differentia inter sanguinem Abelis, & sanguinem Divi Stephani: ille clamat vindictam, hic postulat veniam. Unde hæc differentia? sanguis Abelis habuit commercium cum terra, quæ à Deo fuit maledicta, ideo aliquid de ejus natura participavit. Hinc vide quam sit nociva societas pravorum, Dominica 13. post Pentecosten.

FESTUM DIVI JOANNIS EVANGELISTÆ.
Joan. 21.

Dixit IESVS Petro, sequere me.

Supina est ignorantia, si aliquis credat quod Prælati debeant sedere, hoc est, quiescere; nam à Christo instituti sunt ut animam pro ovibus suis ponant, & studeant subditos ad pascua salutis deducere, Dom. 2. post Pascha.

Dixit IESVS Petro, sequere me.

Cur non dicit Petrus, Domine, mea negotia necdum expedivi, domum mihi prius eundum est, ut cum fratribus, ac parentibus hæreditatem dividam, sed Christus voluit eum statim sequi, quia Spiritus Sancti gratia nescit tarda molimina, & ideo statim exequi opera bona debemus, Dom. 3. post Pascha.

Domine hic autem quid?

Hic Petrus demonstrat suam curiositatem, dum de iis interrogat quæ non pertinent ad se. Multi hodie similes sunt Petro, qui animæ necessaria negligentes circa inutilia curiosi sunt. Vide Dom. 15. post Pentecosten, ubi ostenditur quàm nociva sit curiositas.

FESTUM SS. INNOCENTIUM.
Matth. 1.

Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph.

Sed cur ei apparet in somnis? an non potuisset ei in vigilia apparere, sicut pluribus apparuit? an forsan hoc favore non fuit dignus? non sine mysterio, id est, factum, ne scilicet ille defectus Josephi constaret aliis sensibus, qui id in vigilia cognovissent. Hinc cognosce quanto studio debeas celare defectus proximi, Dom. 8 post Pentecosten.

Fuge in Ægyptum.

Sed cur fugiat? an non ipse est Dominus vitæ, & mortis, qui facillimo modo se potest salvare ab illo periculo Herodis? Esto id potest, tamen ut nos doceret vitare occasiones peccandi, & ut tales rescindi debere doceret, fugit in Ægyptum, Dom. 18. post Pentecosten.

Fuge in Ægyptum.

An non fuga est signum timidi, & meticulosi animi? nequaquam esto enim sæpè ita fit, tamen nonnunquam fuga heroici animi est indicium per quam victoria obtinetur ut constat de Paulo, Dom. 24. post Pentecosten, parte secundâ.

FESTUM CIRCUMCISIONIS.

Lucæ 2.

Vocatum est nomen ejus IESVS.

Quamprimum impositum est illi hoc nomen vult jam fundere sanguinem, & sic incipere redemptionem; cum enim esset Salvator, voluit ut responderent opera nomini; hoc conari debes, ut opera tua correspondeant nomini Christiani; nam væ tibi, si id non facias, Dom. 7. post Pentecosten per totum, maximè num. 15.

Vocatum est nomen ejus IESVS.

Prima littera hujus sancti Nominis, quæ est I. fuit in omnibus nationibus symbolum misericordiæ; nam Christus potius ad miserendum, quam ad puniendum inclinatur, Dom. 6. post Pentecost.

Voccatum est nomen ejus IESVS.

Justè pater nos punire poterat, quia nos peccaveramus, filius autem ejus innocens est, & nihilominus magis compatitur nobis, quam ei siquidem nostris miseriis magis compatitur quam suis, Dominica nona post Pentecosten.

DOMINICA INFRA OCTAVAM NATIVITATIS.

Lucæ 2.

Ecce hic positus est in ruinam.

Si non delectatur in punitionibus nostris, ita ut doleat dum punire debeat, quomodo positus est in ruinam multorum? ex se non est ruina nostra sed occasionaliter, & ex parte nostra, quoties enim ipse nos non admonet sanctis inspirationibus, monitionibus per prædicatores, &c. sed dum nos obstinati manemus eum ad puniendum cogimus, Dominica vigesima-quarta post Pentecosten.

Et ut perfecerunt omnia secundum legem Domini.

Bene dicit *perfecerunt*, quia non quomodocunque mater Christi adimplevit legem, sed eam perfectè observavit, & usque ad perfectionem deduxit; nam frustra lex sine perseverantia observatur, Domin. 3. post Pentecosten, & Momigno Concione 16. Quadragesimalis, parte secundâ.

Puer autem crescebat, &c.

Ita non sufficit tibi quod perseveres; nam esto perseverantia bona sit, tamen quotidie de virtute in virtutem proficiendum est, nam non lucrari est amittere, Dominica tertia post Pentecosten, parte secunda.

FESTUM SOLEMNE EPIPHANIÆ

Matth. 2.

Vbi est, qui natus est Rex Iudæorum?

Sed ubi mansit stella quæ eos duxit? an fortè aliquod crimen patrarunt, quo indigni ejus ductu redditi sunt? dum ducem terrestrem quærerent quo non egebant, nec erant contenti duce cælesti, perdiderunt ducem cælestem, & alium non invenerunt; sic contingit iis qui non sunt necessariis contenti, Dom. 4. post Pentecosten, parte secunda.

Turbatus est Herodes, & omnis Hierosolyma cum illo.

Sed cur cum Herode turbetur Jerosolyma, quæ nullam habuit causam turbationis, sed potius gaudii & lætitiæ quod regnum ad regem nativum veniret? nil miri, nam qualis est rector civitatis, tales & sunt inhabitantes in ea, Dom. 20. post Pentecosten, maximè num. 10.

Et congregans omnes Principes &c.

Cur tanta diligentia indagat Herodes ubi sit natus Christus? an non Orientis dinastas viderat? an non ex eorum verbis id audierat? absque dubio. Sed non poterat credere, sed rei veritatem à Scribis, & Sacerdotibus eruere volebat; nam si illos vidisset lætos scivisset eum natum, vel brevi nascendum; nam Dei nostri natura est mœrores repellere, Dom. in Albis, maximè num 10.

DOMINICA INFRA OCTAVAM EPIPHANIÆ. Lucæ 2.

Remansit puer IESVS in Ierusalem.

Ergone, ô Christe, adeò contristas tuos parentes, & tuâ dulcissimâ præsentiâ eos prives? Christus Prælatus, ac superior erat, & quia illi Doctores erant in via erroris, ut illos ad pascua salutis reduceret, reliquit parentes, & in templo mansit, nam Prælati, & Superiores se & suos negligere debent, ut oves ad pascua cæli adducant, Dom. 2. post Pascha.

Dolentes quærebamus te.

Nil ego super hoc miror quod doluerint, nam solus Deus lætificare, & mœrorem à cordibus nostris pellere potest. Dom. in Albis.

Et non invenientes regressi sunt in Ierusalem.

Sed cur eum non invenerunt? quia quærebant eum in comitatu; per quod Deus docere voluit animam non posse esse perfectè liberam à peccatis, nisi prius radices occasionem tollat, & esto in Beata Virgine de hoc non fuerit periculum, tamen ad nostram doctrinam id factum est, Domin. 18. post Pentecosten.

DOMINICA SECUNDA POST EPIPHANIAM. Joan. 2.

Deficiente vino.

In nuptiis solent homines providere, ne nil desit, & maximè vinum, quomodo ergo in his statim deficit vinum? sciebat iste sponsus quàm nocivus sit excessus in quolibet genere, & ideo necessariis, ac mediocritate contentus esse voluit, Dom. 4. post Pentecosten.

Quodcunque dixerit vobis, facite.

Cur exspectavit Christus Dominus ut ad tantam in convivio illo necessitatem perveniretur? voluit præbere occasionem, ut ad se per orationem recurrerent; est enim oratio in ejus auribus adeò grata, ut summoperè delectetur, si eum oremus, Dom. 23. post Pentecosten.

Nondum venit hora mea.

Si nondum venit ejus hora, quomodo Deipara jubet ut impleant hydrias aqua? an voluit tentare Christum, ac illudere ministris? scivit ipsa orationis vim, & potentiam ut Deum ipsum cogere possit, Dom. 5. post Pascha.

DOMINICA TERTIA POST EPIPHANIAM. Matth. 8.

Domine, si vis, potest me mundare.

Ille leprosus non confidebat in medicis, nec spem suam collocarat in aliquibus mortalibus, sed in solo Deo, ac ideo statim mundatus est, ita si tu velis tuas preces esse efficaces, debes in solo Deo spem tuam collocare. Dom. 23. parte 2.

Ostende te sacerdoti.

Sed si ipse sit supra omnes, cur vult, ut post sanitatem se talis offerat sacerdoti? respondet Hugo ob humilitatem, ut majora per hoc dona reciperet, & suæ

& suæ sortis memor esset, magna enim sunt portenta humilitatis. Dom.10. post Pentecosten.

Offer munus tuum, quod præcepit Moyses.

Lex Moysi præcepit leproso curato offerre aliquos passeres in gratitudinem beneficii accepti: ut discamus nos sanitate, vel aliquo alio beneficio accepto esse obligatos ad Deum cum gratiarum actione confugere, Dom.11

DOMINICA IV. POST EPIPHANIAM. Matt 8.

Domine salva nos.

Sed quid an Apostoli Christo præsente aliquid mali pati possint prout formidabant, & forte merebantur ob peccata? nequaquam; Christus enim non permitteret ut se præsente aliquid paterentur, sed cur? quia ipse auctor pœnæ habitus fuisset; est autem adeo misericors, ut dum punire debet, se occultet ne auctor pœnæ habeatur. Dom.9.

Ecce motus magnus factus est in mari.

O venti unde vobis animus ut naviculam in qua Christus cum Apostolis navigat concutere, & commovere audeatis? D. Ambrosius excusat ventos, & dicit Judam fuisse in mari. Hinc patet quam nociva sit societas perversorum, Dom.13

Quid timidi estis modicæ fidei.

Non sine mysterio à Christo solos Apostolos in navim ductos observat Philippus Diez; nam cum eos ob defectum fidei erat reprehensurus nullum voluit adesse; ut disceremus peccata proximi celare, Dom. 8, post Pentecosten.

DOMINICA V. POST EPIPHANIAM. Matt. 13.

Venit inimicus homo, & superseminavit zizania.

Non est dubium quin hic homo inimicus omnimodo expectarit, & quæsierit occasionem nocendi, sic sunt plures impii, & peccatores, qui non solum non vitant pravas occasiones peccandi, sed & illas sedulo quærunt, & dolent quod non inveniant, Dom.18

Dixerunt servi ejus vis & colligimus ea?

Per servos illos intelliguntur Angeli. Sed cur vocantur servi ut sciamus quàm prompti sint in nobis succurrendo, Dom. 12. post Pentecost.

Sinite utraque crescere.

Sed cur non evellit statim tribulos? an non hoc præstaret, ne bonum semen inficiatur? magnam in hoc ostendit misericordiam quod non statim puniat, sed differat pœnam quousque peccatores ut se emendent, quod si non faciant graviter eos punit, Dom.24, post Pentec.

DOMINICA VI. POST EPIPHAN. Matth. 13.

Simile est regnum cœlorum grano sinapis.

Granum sinapis esto sit tam parvum ut vix videatur dum seritur, tamen fit arbor tam alta, & procera, ut volucres cœli in ea habitent, sic humilitas esto sit minima virtus, tamen ejus portenta maxima sunt, Dom.10

Idem thema.

Si cœlum sit amplissimum quomodo comparatur grano sinapis? loquebatur Christus cum mundanis, qui cœlum nihili æstimant & terena præferunt, Dom.19.

to; ſic & nos facere debemus ut pro beneficiis acceptis grates agamus ſi non verbis, ſaltem factis; nam ingrati beſtiæ ſunt, DOM. 11.

FERIA IV. CINERUM.

Matth. 6.

Theſaurizate vobis theſauros in cœlo.

Sed quid an in cœlo ſint ſacci auro argentoque pleni? aut ciſtæ divitiis vel theſauris refertæ? non quia opes à beatis vilipenduntur; cur ergo ait theſaurizate, &c. ſcit quàm impenſe homines opes ament, ut illos ergo excitet ad appetendam gloriam, beatitudinem theſauro comparat; nam alias homines illam non amarent, DOM. 14, n. 10

Vbi eſt theſaurus tuus ibi & cor tuum erit.

Divitiæ ſunt cor hominis, ſicut ergo ſine corde non poteſt vivere homo, & cor eſt præſtantiſſimum in homine, ſic mundani & divites non poſſunt vivere ſine illis quinimo potius vellent carere vitâ quam divitiis, Ibidem n. 6

Vbi eſt theſaurus tuus, ibi eſt cor tuum.

Si ubi theſaurus ſit ibi & neceſſe eſt etiam ut ſit noſtrum cor, ſequitur quod cor avari opibus & divitiis immenſum ſit, nam illas valde diligit & amat, Dom. 16, num. 19, ubi oſtenditur omnia avari membra eſſe valdè affecta.

FERIA QUINTA CINERUM.

Vide Dom. 15, poſt Pentec. quia eſt idem Evangelium.

FERIA SEXTA CINERUM.

Matth. 5.

Ego autem dico vobis diligite, &c.

Valde mirum eſt quod nos tam ſimus inertes, & deſides in præceptis divinis adimplendis, cum Deus adeo celer, & promptus in nos juvandis; nam eo ipſo tempore quo aliquid petis, ſtatim tibi ſuccurrit. Dominica tertia poſt Paſcha.

Diligite inimicos veſtros.

Nil adeo Deus execratur quam diſſipationem, diſunionem animorum, idcirco enim hodie dilectionem inimicorum præcipit, ut ad concordiam nos inducat. Id patet ex omnibus operibus, ad illam te incitabunt bona diſcordiæ, & mala ejuſdem, Dominica 5. poſt Pentecoſten.

Vt ſitis filii patris veſtri:

Vide quantum tibi præmium asſignet ſi ſerves hoc mandatum, hoc faciet ut illud facile & animo libenti impleas, ad hoc enim conſideratio præmii eſt efficax, Dominica quarta poſt Paſcha.

DOMINICA PRIMA QUADRAGESIMÆ.

Matth. 4.

Cur nunquam ante cum dœmone ſuſcepit certamen, vel prælium? An forte fuit debilis, & ipſo inferior ſic ut ſibi non fideret? nequaquam; ſed ut diſcamus à Spiritu Sancto nobis vires contra hoſtes obvenire, DOM. Pentecoſtes, parte 2, maximè num. 24

Dic ut lapides isti panes fiant.

Dicere voluit: scio te esurire, & fame premi, panis tibi necessarius est, teneris vitæ tuæ consulere, ergo dic ut lapides panes fiant, quo satisfacias tuæ necessitati, vide quomodo proprium commodum & lucrum pallio sanctitatis velet dum eum volebat in peccatum pertrahere, & sanè id videntur omnes pravi ab eo didicisse, Dom. 17.

Hæc omnia tibi dabo si cadens, &c.

Hanc tentationem ultimum velu arietem adhibuit, ut si prioribus nil efficeret hoc saltem eum dejiceret; cum enim Christus judicaret purum hominem putabat eum temporalia æternis prælaturum. Vide Dom. 19, & 14.

FERIA SECUNDA DOMINICÆ PRIMÆ.

Matth. 25.

Venite benedicti patris mei. &c.

Cur non prius puniat impios, & inferno adjudicet, ac dein justos præmio afficiat? cur non prius illos à facie sua abigat, & dein justos ad gloriam vocet? cur non prius dicit. *Ite maledicti*, & postea, *Venite benedicti*? voluit Deus misericordiam anteponere justitiæ, ut sciremus eum esse magis misericordem quàm justum, Dominica 6, post Pentecosten parte. 2.

Quod uni ex minimis fratribus meis fecistis, &c.

Quomodo illi sint minimi, & simul ejus fratres? quomodo eminentia vilitati, supremitas comparetur infimitati? ideo sanè ejus fratres sunt, quia sunt humiles; nam humilitatis portenta valdè mira sunt. Dom. 10. n. 19

Domine quando te vidimus esurientem?

Si dicunt Domine, annon fatentur quod sis Deus? nonne ille qui crediderit salvus erit? nequaquam; nam sola fides non sufficit; sed præterea bona opera requiruntur, Dom. 7, p 2

FERIA TERTIA DOMINICÆ PRIMÆ.

Matt. 21,

Cum fecisset quasi flagellum de funiculis, &c.

Ut observat auctor imperfectus ministri Ecclesiæ adeò molestè hunc actum tulerunt, ut tunc prius in ejus necem molirentur, sed cur hoc? nonne potius ei grates referre debebant, quod reverentiam loci sacri celaret? proprium ob lucrum id fecerunt, quia timebant quod privarentur illo lucro. Domin. 14, post Pentec. n. 17

Et intravit Iesus in templum.

Hoc erat officium boni medici ait Chrysostomus ut templum ingrediens radicem tolleret infirmitatis, nam qui vult aliquem curare debet prius tollere ipsam radicem peccati, quæ est occasio. Dominica 18.

Videntes principes sacerdotum indignati sunt.

Illam venditionem in templo palliarunt titulo sanctitatis eo quod illa Deo in sacrificio offerrerentur, sed quia Christus eorum nequitiam detexit, & lucro illo privavit, ideo unanimiter contra illum insurgunt. Hic est mos impiorum ut dum non possunt frui intento contra justum coadunentur, Dominica 17, parte secunda,

FERIA QUARTA DOMINICÆ PRIMÆ.

Matth. 12.

Magister volumus à te signum videre.

Si bonâ intentione petiissent illud signum credo profectò quod illud obtinuissent, sed petierunt illud ex curiositate, curiositas autem prava est, ac in profundum deturbat, ideo ait generatio prava, &c. De curiositate vide Dominica 15. & Joannem de la Hay in hac Dominica.

Generatio prava & adulteræ, &c.

Sunt ex prosapia Abrahæ nobilissimi Patriarchæ, cur eos ergo vocat adulterinam generationem? Deus habet oculos velatos, nec videt an simus senes, juvenes, nobiles, vel ignobiles, sed solum quales simus attendit, Dom. 22, n. 15, tales & debent esse judices, &c.

Non dabitur nisi signum Ionæ.

Vide quàm clemens, & misericors sit Deus, esto enim puniat tamen in alio adhuc miseretur in quo vides quod misericordia prævaleat justitiæ, Domin. 6, post Pent.

FERIA QUINTA DOMINICÆ PRIMÆ.

Matth. 15.

Miserere mei fili David.

Cùm esset inter suos non legimus quod fuerit hac fide prædita, imò nullam in eâ legimus virtutem: hinc vide quam nociva sit perversorum societas, Dominica 13.

Qui non respondit ei verbum.

Si dixit petite & accipietis, cur non largitur huic mulieri quod petit? cur silet? ostendit quàm grata sit oratio sibi, & ideo adhuc semel voluit ab illa rogari. Vide Dom. 23.

Etiam Domine nam & catelli edunt.

Viden magnam fiduciam & spem hujus mulieris; nam ex providentia quâ animalia sustentat, sperabat & se audiendam; sic & tu in solo Deo tuam fidem collocare debes, Ibid. parte 2.

FERIA SEXTA DOMINICÆ PRIMÆ.

Ioann. 5.

Angelus autem Domini descendebat ad piscinam.

Sed cur descendebat? scilicet ut infirmos consolaretur in suis miseriis, hoc enim Angelis proprium est. Vide concionem, 12. num. 20.

Tolle grabatum tuum & ambula.

Nonne sufficiebat grabatum sumere, cur ergo etiam dicit ambula? ut doceret peccati occasiones esse vitandas, illæ enim valdè nocivæ sunt, Dominic. 18 post Pentecost.

Ne quid deterius tibi contingat.

Sed quid deterius poterat illi contingere quàm morbus 38. annorum, damnatio scilicet æterna; nam Deus antequam nos damnet prius punit temporaliter, & si tunc ad hæc non resipiscimus punit nos æternaliter, Dominica 24. post Pentecosten.

DOMINICA SECUNDA QUADRAGESIMÆ.

Matth. 17.

Faciamus hic tria tabernacula.

Ut hæc verba protulit Petrus ait sacer scriba quod nubes apparuerit, & Apostolos obfuscarit, & instar cortinæ gloriam illam insignem oculis subduxerit, quinimo ob illa ut parum sapiens redarguitur, sed cur hoc? quia divisionem fecit cum Deus concordiæ amans sit, Dom. 5, post Pentecosten n.12

Assumpsit IESVS Petrum, &c.

Si omnes diligebat cur non affecit omnes hoc favore? An ut excluderetur Judas qui hoc favore indignus erat? cur ergo non relinquit illum solum? hoc noluit facere ne eum diffamaret. Unde discimus quomodo defectus aliorum celare debemus. Dom. 8, n. 14

Nesciebat quid diceret.

Sed an nesciebat quid diceret dum gloriam sibi dari petit? an non dicit ut rogemus *Adveniat regnum tuum*? quomodo ergo ait *nesciebat quid diceret*? revera nesciebat quid diceret, quia ibi stare volebat est autem de virtute in virtutem proficiendum, Dom. 3. n. 23.

FERIA SECUNDA DOMINICÆ SECUNDÆ.

Joann. 8.

Ego vado, & quæretis me.

Sicut Christo abeunte omnia in deterius ruant necesse est, sic ipso præsente omnis mœror abire debet; nam solus Deus lætificare corda, & dolores pellere potest. Dom. in Albis.

Nisi credideritis quia ego sum moriemini.

Vide benignitatem, & clementiam salvatoris nostri prius minatur ut emendatione pœnas effugiamus, & si non emendaverimus nos, postea gravius nos castigabit, Dom. 24, Vide & de la Hay in indice hujus feriæ.

Quo ego vado non potestis venire.

Sed cur illuc venire non possint? nonne Deus dat omnibus sufficientem gratiam ut cœlum possint lucrari? cur ergo non possint venire quo vadit Christus? terrenis & divitiis erant dediti, adeoque eorum servi, & illa majoris æstimabant quàm bona cœlestia. Vide Dom. 14, & 19.

FERIA TERTIA DOMINICÆ SECUNDÆ.

Matth. 23.

Super cathedram Moysi sederunt.

Dicuntur sedisse super cathedram & non in cathedra, ut designetur quod se, & non subditos quæsiverit. Prælatus vero, & superior non se & proprium lucrum, sed animas & bonum subditorum quærere debet, Dom. 2. post Pascha.

Secundum opera eorum nolite facere.

Cur non dicit secundum eorum verba, sed secundum opera eorum nolite facere? ut doceret quantum valeat exemplum superiorum pravorum, de exempli efficacia. Vide Dom. 20.

Omnia sua faciunt ut videantur ab hominibus.

Ostendunt multa bona opera, sed illa tantum externam apparentiam habent, & ideo alii volunt videri, quam sunt. Verbo sunt hypocritæ, qui exterius videntur Dei, sed interius sunt diaboli, Dom. 7. secunda parte.

FERIA

FERIA QUARTA DOMINICÆ

secundæ vide Dominicam Quinquagesimæ & Festum D. Jacobi.

FERIA QUINTA DOMINICÆ

SECUNDÆ.

Lucæ. 16.

Homo quidam erat dives.

Cum pauperem nominet expresse scilicet Lazarum cur etiam non exprimit nomen divitis? magnum hic latet mysterium. Docere nos voluit, quod proximi defectus celare, & non propalare debeamus, Dom. 8, post Pentecosten.

Mortuus est dives, & sepultus est in inferno.

Dives acriter punitur, & pauper cœlo admittitur. Ille est nummatus, & habet multos favores, iste est pauper, & derelictus ab omnibus, & tamen hic obtinet sententiam favorabilem, ille contrariam, quo facto Deus judices æquitatem docere voluit.

Mitte Lazarum ut intingat.

Eccur tam parum petiit ille dives? quid poterat sufficere una gutta ad talem sitim restinguendam? an non major dolor ex hoc obvenire poterat? petiit primo guttam, quia sciebat pœnam talionis sibi refundendam, Dominica 12. Secundo petiit extremitate digiti sibi instillari guttam, quia per illum digitum denotatur Spiritus Sanctus, cujus minimum solamen omnes pœnas inferni mitigare potest, Dom. Pentecost. n. 9.

FERIA SEXTA DOMINICÆ

SECUNDÆ.

Matth. 21.

Homo erat paterfamilias, &c.

Paucis ante diebus consilium inierant principes Judæorum ut Christum occiderent, imò jam ipsum judicarent mortis reum. Hic ergo minatur iis pœnam si illud concilium sint executuri: quo facto declarat quàm invite eos puniat, de quo vide Domin. 9. & ut se emendent quatenus pœnas evitare possint, Dom. 24.

Sepem circumcedit ei.

Nempe custodiam Angelicam, & væ homini si illam non haberent, Angeli enim promptissimi sunt ut homini succurrant, Dom. 12.

Idem thema.

Sicut nullus fructus à vinea potest sperari, quæ sepe & macerie non est munita, sic nullum bonum potest sperari ab eo, qui degit inter pravos, societas enim pravorum est valdè nociva, Domin 13, post Pentecosten.

DOMINICA TERTIA QUADRAGESIMÆ.

Lucæ 11.

Locutus est mutus.

Egregius modus curandi morbos spirituales, si radices illius morbi amoveantur; poterat quidem Christus dæmonem ejicere esto linguam non restitueret, tamen id non voluit facere, sed voluit causam, & radicem tollere ut doceret pœnas à peccatis provenire, Domin. 9. parte 2, & etiam occasiones esse tollendas, Dom. 18.

Idem Thema.

Chrysostomus homilia 32. in hunc locum ait, Discipulos illotis manibus manducasse quia superflua despiciebant; excessus enim in quolibet genere est nocivus, Dominica quarta post Pentecosten.

Quare Discipuli tui transgrediuntur, &c.

Curiosi sunt ut aliorum minimos defectus observent, majores autem quibus ipsi laborabant, non videant; ideo Christus eos redarguit quod mandata Dei non observent. Hæc curiositas est vitium innatum hominibus, Dom 15.

FERIA QUINTA DOMINICÆ TERTIÆ.

Lucæ 4.

Tenebatur magnis febribus,

Esto esset sancta tamen vexabatur febri, quia non erat sine peccatis venialibus; mala autem nostra à peccatis proveniunt, Dom 9 part. 2. Vide & Lanuza homil. 10. num. 28.

Continuò surgens, &c.

Deus valde celer est ad nobis benefaciendum, & ideo nullas moras nescit, è contra nos in ejus servitio inertes & desides sumus, Dom. 3. post Pascha.

Increpans non sinebat ea loqui, &c.

Mirum quod dæmones ei obediant, non tamen cæci quos sanarat; verum hi tacere noluerunt, quia grati pro beneficio accepto esse voluerunt. Hoc enim Deo acceptum est, Dom. 11.

FERIA SEXTA DOMINICÆ TERTIÆ.

Joan. 4.

IESVS fatigatus ex itinere.

Non sine mysterio hic exprimitur nomen JESUS; cum enim esset superior voluit pro subditis laborare quia ad superiores pertinet eorum salus, Dom. 2. post Pascha. Etiam voluit præire exemplo quia illud valde efficax est, Dom. 20.

Si scires donum Dei tu forsitan, &c.

Cur non ponit verbum *forsitan* prope *daret*, sed prope *petiisses*? ostendere voluit precum efficaciam, quæ esto ex parte nostra sint contingentes, tamen iis positis Deus absolutè vult dare, quod petitur, Dom. 23 num. 5. & Dom. 5. post Pascha.

DOMINICA LÆTARE.

Qui biberit ex hac aqua, non sitiet in æternum.

Per hanc aquam Eucharistia potest intelligi, quæ non solum comparari potest beatitudini, sed illi aliquo modo præferri, Dom infra Octav. Corporis Christi. Quia Evangelium Dominicæ 4. est ferme idem cum Evangelio Dominicæ 6. post Pentecost. ideo vide ibid.

FERIA SECUNDA DOMINICÆ QUARTÆ.

Joan. 2.

Cum fecisset quasi flagellum ex funibus.

Sed cur non accepit baculum, virgam, vel aliud instrumentum? voluit, ut culpæ responderet pœna; cum enim peccator peccando faciat funes juxta illud *funes peccatorum circumplexi sunt me*: funibus eos castigare voluit, ut iisdem mediis puniantur quibus peccarunt, Dom. 21.

Vendentes boves & oves.

Magna est hæc nequitia quod sub prætextu pietatis illa faciant, & bysso virtutis vestiant suas avaritias. Hæc pravorum est consuetudo, Dom. 17.

Mensas nummulariorum evertit.

Non sufficiebat ei abjicere pecuniam, sed & evertit mensas, quia non satis est curare peccata, sed & tollere radices, hoc est, occasiones, Dom 18.

FERIA TERTIA DOMINICÆ QUARTÆ.

Joan. 7.

Si circumcisionem accipit homo, &c.

Non illos redarguit, ne eos magis concitet; & exasperet solum suam famam purgat, esto esset sanctus, ut discamus virtutibus bonam famam comparere, & partam tueri, Dom. 8.

Ascendit IESVS in templum, & docebat.

Quomodo non doceret, qui tot miracula, signa, & virtutes patrarat? major enim est efficacia exempli, quàm verborum, Dominica 20.

Nonne Moyses dedit vobis legem?

Videbantur quærere aliquam excusationem, sed benè eos redarguit, quod habeant legem, quæ eorum peccata prohibet; Deus enim nos monet, ne excusandi nos occasionem habeamus, Dom. 24.

FERIA QUARTA DOMINICÆ QUARTÆ.

Joan 8.

Vidit hominem cæcum à nativitate.

Ut vidit eum, sanavit. Sed quando? dum ut ait Joannes de la Hay tulerunt lapides ut jacerent in eum. Sui ergo obliviscitur, ut misero illo succurrat, quia nostris magis compatitur miseriis, quam suis, Dominica nona.

Nec peccavit hic, nec parentes ejus.

Si omnes simus peccatores quomodo dicit nec cæcum, nec parentes ejus peccasse? non dicit quidem quod omnimodo sint exempti à peccatis, sed docuit peccata proximi celanda esse, Dom. 8.

Tu Discipulus ejus sis.

Magnam videmus hic eorum cæcitatem, & dementiam, dum Moysen Christo præferunt instar mundanorum, qui terrestria præferunt cælestibus, Domin. 19. pro feria 5. Vide Dominicam 15. post. Pentecost quia est idem Evangelium.

FERIA SEXTA DOMINICÆ QUARTÆ.

Joan. 11.

Scio quia resurget, &c.

Utraque soror diffidentiam ostendit, & per eam peccavit; cur ergo solum reprehenditur Martha, & non Magdalena? Martha erat sola, Maria autem habebat comitatum. Hoc facto docuit peccata alterius celare, Dom. 8.

Erat quidem laquens Lazarus.

Lazarus interpretatur adjutus; nam maximè adjuvit eum Christus, vult enim Deus ut facta nominibus respondeant: tu ergo cum sis Christianus fac opera quæ decent Christianum, Dom. 7.

Ut vidit eam plorantem infremuit spiritu.

Vide quomodo compatiatur miseriis Magdalenæ, de quo vide Dominicam nonam.

DOMI-

DOMINICA PASSIONIS.
Joan. 8.

Quis ex vobis arguet me de peccato?

Esto esset innocentissimus, & securissimus, quod nullus aliquid sinistri de eo posset dicere, tamen solicitus fuit de suo honore, ut nos discamus famam nostram, & proximi conservare, Dom. 8.

Tulerunt ergo lapides, &c.

Dum grati esse deberent ob plurima beneficia accepta ingratos se exhibent, & eum lapidare volunt; utinam hoc non posset dici de multis Christianis, qui ei ingrati sunt, Dom. 11.

Abscondit se, & exivit è templo.

Sed annon fuga signum est hominis meticulosi, & timidi, cur ergo fugit? fuga etiam sæpè generosi animi est indicium & per eam quis vincit, ut patet in divo Paulo, Dom. 24. parte 2.

FERIA SECUNDA DOMINICÆ PASSIONIS.
Joan. 7.

Miserunt Principes & Pharisæi ministros, &c.

Omnes omninò contra Christum consentiunt, & concitantur, esto alias discordes sint, nam hic est genius peccatorum, ut contra justum sint uniti, Dominica 17. part. 2.

Idem Thema.

Cùm sæpè conati sint Deum capere, nec potuerint, mittunt ministros qui eum capiunt, hinc videmus quomodo occasiones peccandi quærant, Dominica decima octava parte secunda.

Modicum tempus adhuc vobiscum sum.

Quamvis me vexetis, persequamini, & occidere velitis, tamen non cessabo vos monere, & ad pascua salutis adducere, hoc enim est officium boni pastoris, qui debet animam suam ponere pro ovibus suis, Dom. 2. post Pascha.

FERIA TERTIA PASSIONIS.
Joan. 7.

Quærebant eum Iudæi interficere.

Sed quando? circa Festum Paschatis, & ideo etiam ipsi justi justo Dei judicio circa Pascha à Romanis capti sunt, ut culpæ pœna responderet, Dominica vigesima-prima, parte secunda.

Non volebat in Iudæam ambulare.

Cur? an quia sibi timebat? an non poterat suâ divinâ virtute eorum insidias evadere? credo id eum ideo fecisse, ne Judæos puniendi ansam haberet, est adeò enim misericors, ut punire vix possit, Dominica nona.

Idem Thema.

Nonnè fuga est signum animi meticulosi? cur ergo fugit? fuga non semper est contemptibilis, sed sæpè gloriosa & victrix, Dom. 24. part. 2.

FERIA QUARTA PASSIONIS.
Joan. 10.

Facta sunt Encœnia, &c.

Christus usque ad mortem festa observat, & se in bonis operibus exercet; sic & tu semper in bonis virtutibus debes te exercere; nam sine perseverantia opera bona nulla sunt, Dom. 4. post Pent.

Ambu-

Ambulabat IESVS in templo, &c.

Dum ipsi cogitant de ipsius nece, ipse in templo de eorum salute agit, hoc enim decet pastorem bonum, Dominica secunda post Pascha; & in hoc etiam manifestat suam misericordiam, Dominica sexta post Pentecost.

Opera quæ ego facio testimonium perhibent de me.

Non est quod dubitetis, an sim Messias in lege promissis, solum mea opera spectate, nam illa faciunt verum nobilem, verum Christianum, Dom. 7.

FERIA QUINTA.
Lucæ 7.

Et ecce mulier, quæ erat in civitate peccatrix.

Sed cur Evangelista non nominat eam nomine proprio, maximè cùm soleant eam vocare alias Mariam, vel Magdalenam; hic agere debebat de peccatis ejus, ut ergo illa celaret, subticuit nomen, Dominica octava, num. 12.

Simon, habeo tibi aliquid dicere.

Sed Christe, cur te non defendis? nonne te insimulavit Prophetam falsum, & mendacem: dicens: *Hic si esset Propheta, &c.* taxaverat etiam Magdalenam, & quia gravius fert injurias nobis quam sibi illatas, ideo ait: *Vides hanc mulierem?* Dom. 9.

Vt cognovit.

Optimè fecit Maria, nam nescit tarda molimina, ita & tu in negotiis tuæ salutis non debes esse iners, cùm Christus celer sit ad tibi benefaciendum, Domin. 3. post Pascha.

FERIA SEXTA PASSIONIS.
Joan. 7.

Si dimittimus eum, omnes credent, &c.

Sed cur hoc vos angit? quid vestri refert, num in eum credant? an non potius de hoc gaudere deberetis? naturam habent peccatorem qui terrena cælestibus præferunt, Dom. 19.

Venient Romani & tollent.

Allegarunt prætextum boni publici, ut Christi mortem licitam suaderent; hic est mos impiorum, ut proprium commodum prætextu pietatis vestiant, Dominica decimaseptima.

Vnus Caiphas nomine.

Dum ipse subscribit omnes facilè in eandem eunt sententiam; nam exemplum superiorum efficacissimum est, ad subditos pervertendos, Dom. 10.

Pro Dominica Palmarum, vide Dominicam primam Adventus quia est idem Evangelium.

DOMINICA SOLEMNIS PASCHÆ.
MARC. 16.

Ite, & dicite Discipulis.

Tunc enim gaudio perfundentur cùm me resurrexisse audient, nam ego solus vera gaudia instillare, & mœrores pellere possum, Dominica in Albis.

Valde mane.

Cùm enim Christus multa fecisset pro eis, illi rursus ferventes fuerunt in ejus servitio, cùm nos è contra valdè tepidi, & negligentes in eo simus, Domin. 3. post Pascha.

Ite, dicite Discipulis.

Sed cur hoc committis mulieribus? an non est indecens ut eum mulieribus conversentur? sed impartialem se ostendere voluit & nullius respicere personam; id faciant & judices, Dominica vigesimasecunda.

FERIA SECUNDA PASCHÆ.

Lucæ 24.

Accepit panem, benedixit ac fregit.

Tres assidebant mensæ, cur ergo frangit panem in duas partes? an unus itaque impransus maneat? magis illorum miseriis quam sibi compatiebatur, Dominica nona numero sexto.

Et aperti sunt oculi eorum.

Sed quando sunt aperti; dum fregit panem, hinc patet cæcos invitari ad mensam Eucharisticam, ut illustrentur, Dominica infra octavam Corporis Christi.

Potens in opere, & sermone.

Merito dicitur in opere prius quam in sermone, quia Deus non attendit verba, sed opera, & qui opera bona non habebit, in judicio à Deo à cælo excludetur, Dom. 7

FERIA TERTIA PASCHÆ.

Lucæ 24.

Venit IESVS, &c.

Vide quam egregium se ostendat pastorem, dum esto sit gloriosus non deponit tamen curam Discipulorum, id enim debent agere pastores, ut non se, sed subditos quærant, Dominica secunda post Pascha.

Stetit in medio.

Ut impartialem se ostendat, nec huic vel illi magis affectus videatur, id & debent curare judices, ut docet Concione vigesimasecunda.

Ego sum, nolite timere.

Hæc ratio sufficit, ne paveatis, nam mecum omne gaudium habetis; siquidem ego solus verum gaudium dare, & mœrores pellere possum, Dom. in Albis.

Pro reliquis Dominicis usque ad Adventum habes integras Conciones, & si lubet, poteris inspicere Indicem Scripturæ, & materiarum.



INDEX CONCIONATORIVS PRO SANCTIS.

FESTUM DIVI ANDREÆ.

Matth. 4.

Ambulans IESVS trans mare Galilea.



Um esset Prælatus non sedit, nec quievit, sed studuit omnes ad viam salutis adducere, hoc est officium boni pastoris, ut oves conetur ad pascua salutis minare, Dominica secunda Paschæ, p arte secunda.

Faciam vos fieri piscatores hominum.

Nonne invitas omnes ut veniant ad te, & accipiant quietem? quomodo ergo Discipulos tuos vocas de opere laborioso ad labores? jugum ejus quidem est durum, sed redditur leve si consideretur præmium, quod eo obtinetur, Dominica quarta Paschæ.

At illi continuò relictis retibus, &c.

Optimè fecerunt statim eum sequendo, cum enim ipse sollicitus sit pro nostra salute, nos in ejus obsequio celeres esse debemus, Dominica tertia Paschæ.

FESTUM IMMACULATÆ CONCEPTIONIS.

Matth. 1.

Liber generationis, &c.

Hic liber scriptus est ut in eo beneficia nobis collata legamus, ac ad gratitudinem excitemur, sed nostrum plurimi sunt Deo ingrati, Dominica undecima post Pentecosten.

Filii David, filii Abraham, &c.

Sed cur David junior præponitur Abraham seniori? ut ostenderet Evangelista, quod esto Christus assumpserit naturam humanam, tamen nos continuò ante oculos habeamus lapsum Davidis & ne nos occasionibus peccandi temerè exponamus, Dom. 18.

Idem Thema.

Similiter præponitur nobis David, ut videamus eum venire ad hoc, ut misericordiam exerceat, sicut egit cum Davide, Dominica sexta post Pentecosten.

FESTUM DIVI THOMÆ APOSTOLI.

De hoc vide Dominicam in Albis, quia est idem Evangelium.

FESTUM

FESTUM PURIFICATIONIS.

Lucæ 2.

Postquam impleti sunt dies purgationis MARIÆ.

Si non erat subjecta legi purgationis, cur eidem se subjicit? nonne per hoc dabat ansam aliis suspicandi, quod ejus partus esset vulgaris? voluit docere quam eximia virtus sit humilitas, vide Domin. decim.

Et Spiritus Sanctus erat in eo.

Idcirco venit in spiritu ad templum: hoc est, in devotione & fervore; nam Spiritus Sanctus corda tepida inflammat & accendit, ut patet in Apostolis, Dominica Pentecost.

Accepit eum in ulnas, & statim benedixit Deum.

Sic debet fieri, ut post beneficium aliquod acceptum Deo gratias referamus, de hoc vide Conc. 11.

FESTUM DIVI MATTHIÆ.

Matth. 11.

Venite ad me omnes qui laboratis, &c.

Hoc cogita in omnibus tuis desolationibus, & afflictionibus ut ad Deum confugias: nam ille solus reficere, hoc est, lætificare, & mœrores pellere potest, Dom. in Albis.

Suspensus crepuit medius.

Actor. 1.

Mira res, quod Judas à Christo ad Apostolatum vocatus tam miserum habuerit exitum; unde vides nil prodesse, si principium sit bonum, & finis malus. Dom. 3. post Pent. n. 10.

Et cecidit sors super Matthiam.

Cur Deus non direxit ut sors caderet super Josephum? vel cur non elegit ipsum absque sorte? an fortè non fuit aptus ad Apostolatum? Deus docere voluit se nullius personam respicere, & esse impartialem, Dominica vigesimasecunda, præcipuè num. 10.

FESTUM DIVI JOSEPHI.

Matth. 1.

Cùm esset desponsata, &c.

Cur Christus voluit cum sui dedecore desponsare matrem fabro lignario? voluit prospicere honori suæ matris, ex quo discimus quam sedulo defectus proximi sint zelandi, Dom. 8.

Ecce Angelus Domini, &c.

Hic vides officium Angelorum, quomodo scilicet mœstos solentur, vide Domin. duodecim.

Quod enim in ea natum est, &c.

Ex hoc videmus genium, & naturam Spiritus Sancti, quod scilicet soleat, opera imperfecta complere, & ad perfectionem deducere, Domin. Pentecost. præcipuè num. 16.

FESTUM ANNUNTIATIONIS DEIPARÆ.

Lucæ 1.

Ne timeas Maria.

Cùm enim habiturus sis Dominum tecum, non est quod metuas, quia ille omnem tristitiam pellere, & vera gaudia tantum dare potest, Dom. in Albis.

Idem Thema.

Virgo quantumvis purissima ad omnem aspectum viri trepidare solebat, ut nos doceret quam sedulo occasiones peccandi vitare debeamus. Dom. 18.

Ecce ancilla Domini.

Quia ipsa de se humillimè sentit, & depressit, ideo ad maternitatem Dei, quâ nullum opus est majus evecta est, de portentis humilitatis, vide Conc. 10.

FESTUM SS. APOSTOLORUM PHILIPPI ET JACOBI

Joan. 14.

Creditis in Deum, & in me credite.

Ut omnis timor absit à vobis, unicum fundamentum est ut in me fiduciam colloceris; nam si in me speraveritis, omnia bona impetrabitis, Dominica vigesimasecunda, part. 2.

Vado parare vobis locum.

Esto abeam à vobis, tamen non habetis ansam dolendi, quia vestri causa abeo, ut cælum vobis procurem, nam spe præmii omnia levia reddit, Dominica quarta post Pascha.

Nemo venit ad patrem nisi per me.

Ut ergo aliquid impetres à Deo debes rogare in nomine filii ejus, & sine Ecclesia solet omnes orationes concludere, rogando per merita Christi, Dominica quinta post Pascha.

FESTUM INVENTIONIS S. CRUCIS.

Joan. 3.

Nemo ascendit in cælum, nisi & qui descendit.

Videmur meritò posse dolere, dum nobis aditum ad cælum procludit, cum è cælo non descenderimus. Sed insinuare voluit eum ascendere qui descendit, hoc est, se ascendere, qui descendit, ut omnes ad cælos perduceret; hoc est enim officium boni pastoris, Dominica secunda post Pascha part. 2.

Sicut Moyses exaltavit serpentem, &c.

Sicut nullus qui erat percussus poterat sanari nisi aspiceret serpentem, sic nullus potest veram lætitiam habere extra Deum; ille enim solus lætificat, Dominica in Albis.

Si terrena dixi vobis, &c.

Est argumentum à majori ad minus si enim terrestria non accepteat quæ majoris faciunt, quomodo audient illum de cælestibus, vide Dom. 19.

FESTUM SANCTI JOANNIS BAPTISTÆ.

Lucæ 1.

Elisabeth uxor tua pariet tibi filium.

Cur non dicit concipiet, & pariet sicut dixit Angelus ad Mariam? Conceptio Joannis futura erat maculata, ideo de conceptione mentionem non fecit ut illa macula subticeretur. Dom. 8.

Erit magnus coram Domino.

Sed unde hæc ei magnitudo? ex humilitate, quia enim ita se humiliavit, ideo exaltatus fuit. Dom.10.

Apertum est os Zachariæ.

Cum antea ipsum afflixisset privando eum usu linguæ nunc linguam ei restituit, & majoribus gaudiis cumulat, credo ego ut misericordiam contentaret, quæ conquerebatur sibi primatum ademptum, Dom.6, post Pentecosten.

FESTUM SANCTORUM PETRI, ET PAULI.

Matth. 16.

Interrogabat discipulos quem dicunt homines, &c.

Esto esset sanctissimus tamen voluit gerere curam suæ famæ ut doceremur famam bonam acquirere, & partam tueri. Dom. 8.

Vos autem quem me esse dicitis?

Illud autem videtur insinuare quod non sint, homines & merito, cum enim sint instituti prælati & judices debent cogitare se esse Deos, & in medio [illegible]orum judicare, Dom.22.

Tu es Petrus.

In scava ad Pontificatum evehitur, in aula vero eum negant. Hinc discimus quantum prosit conversatio cum bonis, & obsit conversatio cum malis, Domin.13.

FESTUM D. JACOBI.

Matth. 20.

Accessit ad eum mater, &c.

Non petiit pro iis temporalia sed spiritualia, adeoque sollicita fuit ut ad cælum pervenirent, hoc debet cogitare quilibet prælatus pro subditis, Domin.2, post Pascha, parte secunda.

Nescitis quid petatis.

Hoc multis dici potest qui petunt temporalia, & negligunt spiritualia, cum tamen hæc illis præstantiora sunt, Domin. 19.

Non est meum dare vobis.

Quomodo hoc sit verum cum pater illi tradiderit omnem potestatem? petebat pro uno dexteram, pro altero sinistram adeoque volebat divisionem, Deus autem concordiæ, & unitatis amantissimus est. Dom. 5, post Pentecosten.

FESTUM D. LAURENTII.

Joann. 12.

Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum, &c.

Hoc est nisi quis ita se humiliaverit, & depresserit, ac si nihil sit non poterit exaltari, nam soli humiles exaltantur Domin.10.

Multum fructum affert.

Si velis salvari debes bona opera exercere; nam sine bonis operibus Deus te non agnoscet, Dom. 7

Idem Thema.

Dicit in præsenti affert, non vero in præterito attulit, vel in imperfecto afferebat ut disceremus semper proficere in virtutibus; nam qui non proficit, deficit. Dom.3.parte 2.

FESTUM SOLEMNE ASSUMPTIONIS.

Lucæ 10.

Huic erat soror nomine Maria.

Sed cur exprimit nomen ejus proprium alibi vero de ea agens eam vocat in genere mulierem? dum eam vocavit mulierem debebat agere de peccatis, ne ergo illam diffamaret nomen subticuit, Dom. 8.

Martha, Martha sollicita es, & turbaris erga plurima.

Sed Domine an tibi aliquis nimium potest facere? nimiam sollicitudinem damnat, quia excessus in quolibet genere nocivus est. Dominica 4. post Pentecosten.

Maria optimam partem elegit.

Suum potius permittit diminui obsequium, quam ut Magdalena traducatur, ut ostendat se potius nostris compati miseriis, quam suis, Domin.9, post Pentecosten.

FESTUM D. BARTHOLOMÆI APOSTOLI.

Lucæ 6.

Exiit Iesus orare.

Debebat eligere Apostolos, & ideo orat ita tu cum aliquo indigueris ad orationem confuge; est enim valde potens. Dom.5.post Pascha, & 23.

Erat pernoctans.

Per hoc nos docuit perseverare; nam sine perseverantia virtutes nullæ sunt. Dom. 3, post Pentecost.

Exiit in montem solus orare.

Sed cur solus? ne forsitan ab aliquo impediretur, si ergo ipse vitavit commercium quam sedulo tu ergo illud debes vitare, & maxime pravum, Dom. 13.

FESTUM D. MATTHIÆ APOSTOLI.

Matt. 9.

Vidit hominem sedentem.

Per hanc sessionem denotatur quod fuerit immersus totaliter divitiis, homines enim divitias colunt ut iis serviant, easque Deo præferant. Domin. 14. & 16.

Matthæum nomine.

Ille se vocat nomine proprio, sed alii Evangelistæ vocunt eum nomine communi Levi, sine dubio ut illi ejus parcerent honori, ipse vero humilem se ostenderet, Dom. 8, & 10.

Fecit ei prandium.

Scilicet ut esset gratus ob beneficium acceptum, ita & tu gratus sis, Dom. 11.

FESTUM SS. ANGELORUM.

Matth. 18.

Advocans Iesus parvulum, &c.

Sed cur vocat parvulum, cur non vocat,

cat aliquem majorem? erat contentio inter illos, & quia debebat agere de defectibus hinc ne aliquis eos intelligeret parvulum vocavit ut doceret defectus occultare, Dom. 8

Si manus tua, vel pes tuus, &c.

An non peccaret qui illa membra abscinderet? loquitur Christus de occasionibus peccati amputandis, Dom. 18.

Angeli eorum, &c.

Esto fruantur essentiâ divinâ tamen nostri curam gerunt, Dom. 12.

FESTUM SS. APOST. SIMONIS, ET JUDÆ.

Joan. 15.

Hæc mando vobis, &c.

Amat enim summopere concordiam, ut ex ejus omnibus operibus constat, Dom. 5 post Pent.

Ut diligatis invicem.

Omnes indifferenter vult amari ut se ostendat non esse acceptorem personarum Dom. 22.

Si mundus vos odit, &c.

Oculos conjicite in me, & sic hoc patienter feretis; nam exemplum hoc efficax est, Dom 10.

FESTUM OMNIUM SANCTORUM.

Matth 5.

Videns turbas ascendit in montem.

Ut eas vidit statim cogitavit de earum salute, hoc enim est officium boni pastoris Dom. 2, post Pascha.

Beati pauperes, &c.


Væ ergo divitibus & avaris, & merito, nam divitiarum mancipia sunt. Dom. 14. & decima sexta.

Beati misericordes.

Illos dixit beatos, quia similes Deo sunt, in quo misericordia maximè prævalet, Dom. 6.

FINIS INDICIS CONCIONATORII.





[illegible]
[illegible]

6

Paoletti Augustinus O.S.Aug.

Quadragesimale sive Discursus praedicabiles in omnes totius anni quadragesimae Dominicas et Ferias.

Coloniae Agripp.

Apud Joannem Busaeum.

1662

12°. 4 K.n. + str. 589. A–A3 – Eeee – Eeee2 + K. 4. 30.

Opr. płótn. wspólna z „Discursus".

Paoletti Augustinus O. S. Aug.

Quadragesimale sive
Discursus praedicabiles in omnes
totius anni quadragesimae
Dominicas et Ferias.

Coloniae Agripp.
apud Joannem Busaeum
1662.

12° - 4 k. n. + str. 589 - A - A3 - Eeee - Eeee2 + k. n. 30.

opr. pdskr. wyjęte z „Discursus".

